

D12 D11

UNF

D. AUGUSTI SCHAARSCHMIED,

T A B U L Æ

A N A T O M I C Æ.

Ex germanico in latinum traduxit, recensuit,  
supplemento auxit


F. X. de WASSERBERG.



---

V I E N N Æ,

In Officina libraria à Gheleniana, 1777.



02 JUL 2004

T A B U L Æ  
OSTEOLOGICÆ.

UMF



## T A B V L A I.

### DE OSSIBVS IN GENERE.

CIRCA OSSA NOTANDA SVNT IN GENERE  
SEQUENTIA.

#### I.



**D**ESCRPTIO. Ossium sub nomine intelligimus partes corporis animalis sensu expertes, durissimas, siccas, ac inflexiles maximé, fulciantes machinam integram, firmantes, obtegentesque partes alias molles, motus voluntarios limitantes.

2. **OSSIVM SVBSTANTIA.** Constant ossa maximam partem terrâ, interventu particularum oleosarum, & aquosarum debite connexâ.
3. **EORVM FABRICA.** Componuntur ossa ex lamellis, per strata sibi superinpositis, ac ex fibris denuo fabrefactis.
4. **GENESIS OSSIVM.** Incipit genesis ossium in utero materno jam tertio mense; sequenti potissimum absolvitur ratione: omnium primo generan-



nerantur fibræ, tum vero membranæ tenues, ex his per strata sibi superinpositis exoritur membrana, crassa quidem, attamen mollis; densior hæc sensim fit, firmiorque, dum motu interno, & calore abiguntur particulæ oleosæ, aquosæque, terreæ vero arctè compinguntur; sic sensim enascuntur cartilaginee, tandem & ossa ipsa. Metamorphosis hæc membranarum in ossa *Offificatio* audit, pars vero, ubi ossificatio incipit, *punctum* dicitur *ossificationis*; medium hoc semper ossis obtinet.

5. CAVITATES OSSIVM. Sunt hæc vel

A. INTERNÆ: atque eadem vel

a. ARTICULATIONIBUS PROPRIÆ, uti

α. CAVITATES COTYLOIDÆ; *profundius* insculptæ.

β. CAVITATES GLENOIDÆ, *minus* profundæ.

b. Vel partem ossium occupantes internam, sunt vel

α. CAVITATES singulares *longæ*, aut recipientes *medullam*, uti in *ossibus fistulosis* videre est, aut excipiendæ *mucilaginis* dictæ, hæc vero *sinus ossium* nuncupantur.

β. Vel diversæ sunt *cellulæ*, aut *cavæ* *exiguæ*, *humorem* itidem, aut *medullam* continentes; instantia in *ossibus* est *medullofis*.

B. EXTERNÆ, nominibus donatæ variis, uti: *fovea*, *fulcus*, *orbita*, *canalis*, *ductus*, *incisura*, *inpressio*, *foramen* &c.

6. OSSIVM DIAPHYSIS, seu *corpus*, pars ossis maxima, præcipua omnium primo sumens incrementum.

7. APOPHYSIS, pars *Corporis* ossium, ex eodem prominens, eidem *immediate* connexa: vocatur

& *Protuberantia*, *processus*, *eminentia*, *tuberculum*, *tuberositas* Insignitur præter hæc *cognominibus* diversis aliis, vel ratione *figura*, *usus*, aut *situs*, uti sunt: *apophysis coracoidea*, *mastioidea*, s. *mammiformis*, *glenoidea*, *styloidea*, *condiloidea*, *aliformis*, s. *pterygoidea*, *odontoides*, *spinosa*, *transversa* &c. vocantur & nonnullæ nominibus denuò aliis, v. c. *Caput*, *collum*, s. *cervix*, *condylus*, *corona*, *spina*, *trochanter*, & sic porro.

8. **EPIPHYSIS.** Pars corporis ossium, mediante *cartilagine* eidem adnexa. (\*)
9. **CONNEXIO OSSIUM**, seu *Skeleton*, quo nomine coadunationem volumus, ordine maximè congruo factam ossium corporis totius omnium. Fit vel ope *ligamentorum membranarum*, ac *tendinum*, tum *skeleton* erit *naturale*; vel verò *remotis* ab ossibus *cartilaginibus* omnibus connectuntur ea ipsa *fila aurichalceo*, tum *skeleton* dicetur *artificiale*.
11. **PERIOSTEUM.** In *externum* dividitur, ac *internum*. Membrana *primum* est tenuis, fibris constans nerveis, tendineis, vasisque variis, intensa, maximè sensilis, faciem ossium omnium, cartilaginum, ac ligamentorum investiens externam, eidem mediantibus fibris variis, ac vasculis, in ipsam ossium substantiam partim penetrantibus, adnexa. Usus ejusdem est, ut per vasa sanguinea succum subministret nutritium, tum eorum firmet connexionem, tum & eorum incremento quadam ratione ponat terminos. *Periosteum internum*, aptius membrana

(\*) Confer. disp. celeberr. PLATNERI de ossium epiphysibus.

medullaris dicendum, membrana est tenuis, subtilissima, plurimum sensilis; superficiem obtegens ossium interiorem, cellulasque eorum osseas, innumeris vasculis minimis, fibrillisque aliis eidem annexa, sensibilitati medullæ, ejusdemque secretioni dicata.

12. **MEDULLA.** Substantia illa pinguis, oleosa, nunc fluida, nunc spissior, tum in ossium cavis majoribus internis, tum & in cellulis ossium, invicem ex ordine communicantibus, membrana medullari undique vestitis secreta. Detertur illinc vasis arteriarum secretoriis revehitur denuo canalibus huic negotio destinatis in substantiam ossium, quo eorum flexilitatem firmamque cohesionem perficiat.

13. **LIGAMENTUM.** Membrana albicans, fortis, flexilis, elastica; fibris constans tenuibus quidem, verumtamen sat fortibus, textu vario varias etiam ligamentorum species, diversis denuo nominibus donata efformantibus.

Inserviunt ligamenta potissimum:

1. Firmandis articulationibus, eorum nonnulla funicularum teretium adinstar ossa duo externe connectunt, alia articulationem amplectuntur integram, *ligamenta* hæc audiunt *orbicularia*, aut *capsularia*, superficies eorum interior plurimis obsidetur *glandulis mucilaginosi*, humorem fundentibus aliquantum viscidum *synovia* dictum, tum faciliorem motum ossium reddentem, tum adfrictum eorum mutuam impediens, tum & cartilagine humectantem. Ligamenta quedam intra ipsam articulationem duobus adnectuntur ossibus; *rotunda* hæc audiunt, seu *teretia*.

2. Coercendis, firmandisque binis ossibus, tum & partibus aliis, articulationis hic nulla habitatio.

---

3. Coercendis, augendisque musculorum quorundam motibus; ligamenta hæc vocantur *annularia*.

4. Firmandis musculosis partibus.

14. **CARTILAGO.** Cartilaginem partem dicimus corporis ex substantia compositam lævi, albicante, multo teneriori, ac minus fragili, flexibili vero, magisque elastica, quam quæ ossa constituere solet, cavitatibus donatam nullis, hinc nec recludentem medullam, facie exteriori membrana vestitam subtili, *Perichondrium* dicta. Usus cartilaginum in eo veritatur, ut vel jungantur, illis mediantibus, extremitates binorum ossium; vel magnitudo eorum exin augeatur, & cavitatis; vel ut ossibus specialem dent figuram; vel demum ut liberè quasi inter articulationes suspensæ hæreant; & ossium adfrictus mutuus hoc mechanismo præcaveatur.

15. **DIVISIO, Regiones, Connexiones, Insertiones Musculorum &c.**

Hæc omnia, dum de ossibus singulis agetur in specie, simul adnotabuntur.

16. **Usus.** Vide quæ adlata fuerunt No. 1.



~~—————~~  
T A B U L A II.

DE CONNEXIONE OSSIUM.

**O**ssa Corporis humani omnia vel nectuntur invicem ad *motum*, vel ad *connexionem firmam*. Prior nexus species *Articulatio*, altera *Symphisis* dicitur.

I. **ARTICULATIO** aut ea fit ratione ut *motus* adsit *manifestus*, vel vero *obscurus*, aut utrumque participat. Prima ratione *Diartrosis*, altera *Synarthrosis*, tertia *Amphiarthrosis* dicitur.

A. **DIARTHROSIS** hinc nexus ossium est ille, ubi *motus* adest *manifestus*. Huc referendæ species sequentes:

a. **ENARTHROSIS**. *Motus* in omnem sensum *manifestus*; dum scilicet *caput* ossis unius hæret in *cavo* alterius *profundo*, uti nectuntur: *caput femoris ac acetabulum*; *humerus & cavitas glenoidæ scapulae* &c.

b. **ARTHRODIA**. *Motus* itidem in omnem sensum *manifestus*, sic tamen constituta fabrica, ut *caput* ossis mobilis paulo *planius* sit, & in *cavo* hæreat ossis alterius *planiori*, sic nectuntur: *clavicula, & acromion scapulae*; *ossa carpi, ac radius*; *ossa tarsi, ac tibia*; videtur exin cur *carpus, & tarsus* in gyrum moveri queat.

c. **GINGLYMUS**. Nexus duorum ossium, ubi *motus* adest *reciprocus*: hujus binæ sunt species:

a. **GINGLYMUS ANGULARIS**, dum os alterum non nisi *inflecti*, ac *extendi* valet, ac in ossis unius

extremitate aut duæ inferuntur eminentiæ, cavitati uni; aut incavtatibus duabus eminentiæ quædam ossis alterius, v. c. articulatione hac uniuntur *cubitus ac humerus, tibia & femur; phalanx prima digitorum manus, ac pedis cum secunda, aut secunda phalanx cum tertia; uti & quadam ratione maxilla inferior ac os temporum.*

β. GINGLYMUS LATERALIS, dum OS UNUM non nisi medium circuli segmentum rotatione describit, ac ejus extremitas lateraliter à cavitate hemisphærica ossis alterius recipitur. Instantia est in *secunda vertebra colli, ejusdemque processu adomtoide articulationis cum vertebra prima; uti & in radio ac ulna, tum quadam ratione in fibula, ac tibia invicem connexionis:*

B. SYNARTHROSIS nexus est ossium, ubi motus adest obscurus, dum scilicet os unum cum altero parum solummodo inflecti, moverique valet; instantiam subpeditant ossa *carpi, metacarpi, tarsi, metatarsi* invicem connexa.

C. Amphiarthrosis nexus est ossium, ubi motus adest minimus, hinc vix notabilis: Instantiam subministrant ossa *innominata nexa cum osse sacro, uti & corpora vertebrarum* connexa invicem.

γ. SYMPHISIS, nexus ossium ad connexionem firmam, in *mediatam, aut immediatam* dirimitur.

A. SYMPHISIS *mediata*, triplex est, utpote:

- a. **SYNCHONDROSIS**, dum ossa duo connectuntur *cartilagine intermedia*; uti *costa* cum *sterno*, uti & *ossa pubis* ad invicem.
- b. **SYNEVROSIS**, dum ossa duo junguntur interventu *ligamentorum*; uti *os sacrum*, & *os coccygis* cum *osse ischio* per *ligamentum ischio sacrum*, & *coccygeum* &c.
- c. **SYSSARCOSIS**, dum ossa duo conjuncta sunt *mediantibus musculis*, uti *os hyoides* cum *sterno*, & *scapula*; & *scapula ipsa* cum *costis*, ac *spinadorsi*.
- B. **SYMPHISIS IMMEDIATA** denuo triplex est: nimirum:
- a. **HARMONIA**, dum inter ossa duo *linea* videtur *interposita aequalis*, Instantia in *ossibus* est *faciem*.
- b. **SUTURA**, dum inter ossa duo *linea* cernitur *denticulata*, uti in *ossibus bregmatis* *connexis* cum *ossibus frontis*, *occipitis*, ac *temporum*.
- c. **GOMPHOSIS**, *l. conclaveatio*, dum os unum *infixum* hæret alteri ad instar *cunei*; uti *nectuntur dentes maxillis*, *spina sphenoidalis vomeri*, *os palati parti pterygoidea ossis sphenoidalis* (\*)

TA=

(\*) Nonnulli auctores huc insuper referunt *coalitionem plenariam* ossium duorum, inter quæ nullum fere intercedit separationis vestigium: Instantiam præbent *os ischion* cum *osse ileo*, & *pubis*; *processus* etiam *cuneiformis* ossis *occipitis* cum *corpore* ossis *sphenoidis* in *sceletis senum*, *Maxilla inferior* in *medio*, & sic porro.

**T A B U L A III.**  
**SCELETI DIVISIO.**

**S**CHELETON aptissimé dividitur in *caput, truncum,*  
ac *extremitates, s. artus.*

**I.** CAPUT, *summa sceleti pars* subdividitur in *cranium & faciem.*

**A.** CRANIUM ossibus componitur octo, ex quibus sunt;

*α.* 3. *propria, scilicet 2. ossa bregmatica, 1. os occipitis.*

*β.* 5. *Communia, utpote 2. ossa temporum 1. os frontis, 1. sphaenoideum, ac 1. os ethmoideum.*

**B.** FACIES *maxilla* constat *superiori ac inferiori.*

*α.* MAXILLA *superior* 13. denuo completitur ossa, scilicet 2. *ossa maxillaria, 2. jugalia, 2. palatina, 2. turbinata, s. spongiosa inferiora, 2. ossa nasi, 2. ossa lacrymalia, ac os vomer unicum, seu impar.*

*β.* MAXILLA *inferior* in adultis osse unico, in infantibus vero duobus componitur ossibus.

**II.** Truncus, *media sceleti pars* dirimitur in *pectus, spinam dorsi, ac ossa inuominata.*

**A.** PECTUS completitur *Sternum & costas.*

*a.* STERNUM os est spongiosum, *medium occupans locum.*

*b.* COSTÆ ex utroque latere numero sunt duodecim primæ 7. *superiores* dicuntur, *s. verae*; reliquæ 5. *inferiores* audiunt, *s. spuria.*

**B.** SPINA DORSI constat

*a.* EX *spina vertebrali*, hæc vero denuo



a. ex 7. *vertebris colli.*

β. ex 12. *vertebris dorſi.*

γ. ex 5. *vertebris lumborum.*

b. ex *oſſe ſacro, &*

c. ex *oſſe coccygis.*

C. *Oſſa indurata* in adultis in oſſa duo ſunt diremta, unum dextram, alterum ſiniſtram partem occupat; in infantibus vero quodvis eorum in oſſa tria diviſum eſt. Summum vocatur *os ileon*, anterius *os pubis*, inferius *os iſchion*.

3. *EXTREMITATES*, ſ. *artus* denuo in *ſuperiores*, ac *inferiores* diſpeſcuntur.

A. *AD ſuperiores* ex utroque latere referuntur.

a. *Clavicula.*

b. *Scapula.*

c. *Humerus.*

d. *Antibrachium*, conſans:

a. *Cubito.*

β. *Radio.*

e. *Manus extrema*, huc pertinent;

a. 8. *Oſſa carpi*, utpote 1. *os ſcaploides*, ſ. *naviculare*, ſ. *entylodeum*, 2. *os lunare*, ſ. *ſemilunare*; 3. *os cuneiforme*, ſ. *triquetrum*; 4. *os piſiforme*, ſ. *lenticulare*, ſ. *orbiculare*; 5. *os trapezium*, ſ. *rhomboides*, ſ. *multangulum majus*; 6. *trapezoides*, ſ. *pyramidale*, ſ. *multangulum minus*; 7. *os magnum*, ſ. *capitatum*, ac demum 8. *os unciniforme*.

β. 4. *Oſſa metacarpi.*

γ. 3. *Phalanges digitorum quinque.*

B. *AD inferiores* ex utroque latere referuntur.

a. *Os femoris.*

b. *Patella.*

- c. Tibia.  
 d. Fibula.  
 e. Septem ossa *Tarsi*, scilicet 1. *astragalus*, 2. *Calcaneum*, 3. *os naviculare*, 4. *os cuboideum*, ac 5. 6. & 7. ossa tria *cuneiformia*.  
 f. 5. Ossia metatarsi, &  
 g. 5. digitorum quorum maximus è duabus reliqui omnes è tribus phalangis singulis componuntur.



~~—————~~  
T A B U L A IV.

DE CRANIO, AC SUTURIS OSSIUM  
CRANII.

**C**RANIUM summa sceleti pars receptaculum est cavum, ex integro osseum, constans ossibus 8. utpote osse *frontis*, osse *occipitis*, duobus ossibus *bregmatis*, osse *sphenoidæ*, ac osse *ethmoideo*, sphericum, parte superiori fornicatum, inferiori ac laterali magis complanatum, anteriori, & posteriori magis elatum, exteriori, ac interiori eminentiis variis, ac cavitatibus donatum; *cerebrum* recludens, *cerebellum*, *medullam oblongatam*, ac *sensuum* quædam *organa*.

Notanda circa ossa cranii in genere sequentia:

1. Componi ex laminis duabus osseis, quas *Tabulas* vocamus, substantiam cellulosam, humore medullari refertam, *Diploë* dictam recludentibus; lævigata lamina exterior magis est, *pericranio* vestita; interna multò durior, oblecta *dura meninge*; hæc *vitrea* dicitur.
2. Quibusdam locis crassiora esse, aliis vero tenuiora, magis transparentia; prout major, minorve carnosarum partium copia inibi adnexa reperitur.
3. In *foetu* ex partibus multo pluribus eadem componi:
4. Connecti inter sese mediantibus *suturis*: dividuntur *suturae*.
  - a. In *communes*, quæ junguntur ossa *cranii* cum ossibus *faciei*, harum tres numerantur, scilicet *Sutura transversalis*, *Sphenoidalis* ac *ethmoidea*.

b. In *proprias*, queis neſtuntur inter ſeſe ipſa oſſa cranii; ex quibus *Coronalis*, *Sagittalis* & *Lambdoidea* ſuturarum *verarum*, *ſquammoſa*, ſeu *temporales* vero *ſpuriarum* ſub nomine veniunt.

Suturæ tum oſſa cranii mutuò connectunt; tum periculum inminuat læſionum oſſibus cranii ſupervenientium; tum adhæſioni, & communicationi duræ meningis cum pericranio proſpiciunt; tum juxta auctorum quorundam ſententiam transmittendis ſubtiliſſimis encephali vaporibus inſerviunt, quod tamen veritati minus conſentaneum.

Notandum ulterius in oſſibus cranii:

5. In *infantibus* ad tertium uſque ætatis annum oſſa bregmatis cum oſſe frontis non immediate connecti, ſed jungi ope membranæ fortis; locus nexus *fontanella* dicitur, ſeu *fons pulſatilis*.
6. Inter *ſuturas veras*, imprimis *lambdoideam* inter, & *ſagittalem*, exigua reperiri oſſicula, futuris quaſi intercepta, *oſſicula triquetra*, vel **WORMIANA** dicta &c.



## T A B U L A V.

## DE OSSE FRONTIS.

*Notatur in osse Frontis, seu coronali.*

I.

**S**ITUS. In parte cranii *anteriori*.

2. **FIGURA.** Hemicyclica, conchæ similis.
3. **DIVISIO.** Per futuram *sagittalem* nonnunquam in partes duas divisum.
4. **REGIONES.** Et quidem
  - a. **SUPERFICIENS** *externa*, convexa, *frontem* efformans.
  - b. **SUPERFICIENS** *interna*, concava.
  - c. **PARS superior**, in infantibus *fontanelam*, in adultis *verticem* perficiens.
  - d. **PARS inferior**, internè *basim cranii* constituens, externè ad formandam *orbitam* concurrans.
  - e. **PARTES laterales**, ad formanda *tempora* nonnihil contribuentes.
5. **NEXUS.** Cum ossibus 7. tum *cranii*, tum *faciei*: utpote.
  - a. **SUPERIUS** cum ossibus *bregmatis* per futuram *coronalem*.
  - b. **INFERIUS**, ac *anterior*, cum ossibus *nasi* per futuram *transversalem*.
  - c. **INFERIUS**, ac *interne* cum O. *ethmoideo* per futuram *ethmoideam*.
  - d. **INFERIUS**, ac *posterior* cum O. *sphenoideo* per Sut. *sphenoidealem*.
  - e. **INFERIUS**, & *lateraliter* cum ossibus *unguis* per *harmonium*.

f. —

f. — — — cum ossibus maxillaribus per *Sut. transversam.*

g. — — — cum O. jugalibus per *futuram eandem.*

6. **SUBSTANTIA.** Maximam partem constans ex a. tabulis, ac intermedia diploë, superius crassior, antèrius, ac lateraliter tenuior.

7. **PROMINENTIÆ exteriores, & quidem**

a. In parte *superiori*, & *anteriori* ex utroque latere eminentia ad formandos *sinus frontales.*

b. **MARGINES orbitæ**, s. *arcus superciliares*, elevationis superciliarum causæ.

c. **APOPHYSES quinque**, nempe:

α **NASALIS**, cum ossibus nasi connexa.

β. **DUX orbitales**, aut *angulares externæ*, ad O. jugalia porrectæ.

γ. **DUX orbitales**, s. *angulares internæ*, cum ossib. unguis connexæ.

8. **CAVITATES externæ.**

a. Ex utroque latere cavum magnum, partem formans orbitæ superiorem.

b. In angulo cavi hujus exteriori, *fovea*, in qua sita est *glandula innominata.*

c. In angulo interiori *fovea* exigua, in qua recumbit *trochlea* musculi obliqui superioris.

d. Ex utroque latere retro apophysin orbitalem externam *fovea*, *temporalis* dicta.

e. In medio marginis orbitæ ex utroque latere *incisura*, s. *foramen*, *orbitale superius*, s. *superciliare* dictum, quod ramus principalis primus rami primi quinti paris nervorum cerebri transit.

f. In orbita ad angulum interiorem ex utroque latere *foramen*, *orbitale anterius* dictum, quod transit ramus nervi ophthalmici, *nasalis* adpellatus.

- g. EMINENTIÆ, & cavitates interna.**
- In medio eminentia, *spina frontalis* dicta, supra quam cernitur sulcus, sinum longitudinalem superiorem duræ matris recipiens.
  - Infra spinam foramen, *cæcum*, & *spinosum* dictum, quod exiguus sinus venosus transit.
  - Infra foramen major incisura, dicta *incisura ethmoidea*, recipiens partem ossis ethmoidis cribriformam.
  - Cavitates duæ, *fossæ coronales* dictæ, lobis cerebri anterioribus continendis destinatæ.
  - SULCI variis**, ab cæteris arteriarum duræ meningis excavati.
  - SINUS** duo, *frontales* dicti, formantur à secessu tabularum cranii, septo medio osseo divisi, membrana, *pituitaria* dicta vestiti, foraminibus binis in cavum narium aperti.
- 10. INSERTIONES Musculorum, nimirum**
- Musculi frontalis*, apophysi orbitali internæ, medioque arcui superciliari adnexi, ad usque verticem ex utroque latere adscendentes.
  - ORBICULARIS oculorum**, arcum superciliarum amplectentis.
  - CORRUGATORIS superciliarum** a cantho oculi majori ad medium usque arcus superciliaris decurrentis.
- 11. Usus, consistit in eo, ut**
- LOBOS** contineat *cerebri anteriores*, tum & partem *sinus longitudinalis*.
  - Mucum in sinibus suis secernat.
  - Frontem effingat, tempora, ac partem orbitæ.



~~DE OSSE OCCIPITIS~~

T A B U L A VI.

DE OSSE OCCIPITIS.

Notantur in *Osse occipitis*.

I.

**S**ITUS, In parte cranii posteriori.

2. FIGURA Tetragonum refert inæquale, oblongum.
3. DIVISIO. In adultis rariori observatione per *futurum sagittalem* in partes duas reperitur divisum; in fœtu vero semper partibus quatuor componitur.
4. REGIONES, scilicet:
  - a. Superficies *externa*, convexa.
  - b. INTERNA concava.
  - c. ANGULI quatuor, superior, inferior, laterales duo.
  - d. MARGINES quatuor, superiores duo dentati, duo interiores inæquales.
5. NEXUS, cum ossibus quatuor:
  - a. Superius cum ossibus bregmatis per *futuram lambdoideam*.
  - b. Lateraliter cum ossibus temporum.
  - c. Anterius cum osse sphænoideo.
  - d. Inferus cum vertebra prima colli, per *ginygium*.
6. SUBSTANTIA. Ubique ex duabus componitur tabulis, ac intermedia diploë; superius, ac in medio crassissimum, inferius vero levius est.
7. EMINENTIÆ *exteriore*: nimirum



a. In medio tuberculum, *protuberantia occipitalis*, s. *tuberculum occipitale* dictum, cui adhæret *ligamentum nucha*.

b. Linea eminens ab hoc tuberculo ad foramen magnum decurrens, *spina occipitalis externa* dicta.

c. APOPHYSES tres, scilicet:

a. Apophyses duæ *condyloideæ* ad latus foraminis magni; recipiuntur à cavitatibus *glenoidels* vertebræ primæ colli.

β. CUNEIFORMIS, *basilaris*, s. *sphænoïdalis*, à foramine magno ad os usque *sphænoïdale* producta, inæqualis, ex latere angulos duos formans, *apophyses spinosæ* dictos.

8. CAVITATBS externa.

a. Sex vel octo excavationes superficiales, quarum ex utroque latere spinæ occipitalis externæ tres sunt, scilicet:

a. Duo superiora versus; queis inferuntur muscoli *trapezii*.

β. In medio, & lateraliter, queis inferuntur muscoli *complexi* & *splenii*.

γ. Duæ inferiora versus, ad foramen magnum, queis inferuntur muscoli *recti minores*, & *maiores postici*, & *obliqui*.

b. INCISURÆ quatuor, scilicet:

a. *Majores* duæ, lateraliter sitæ, ossa temporum adtingentes.

β. *MINORES* duæ, partem constituentibus foraminis laceri, s. *jugularis*, quas transeunt sinus laterales, par octavum nervorum, vagum dictum, ac nervus spinalis ex cranio provenientes; sæpius parvus in super ramus arteriosus, ab arteria maxillari interna oriundus foramen hoc transit, ac in dura matre demum dividitur.

c. Fo,

e. FORAMINA quinque, scilicet:

a. Foramen magnum, *occipitale magnum* dictum, exitum concedens medullæ oblongatæ; ac nervo spinali, uti & arteriæ vertebrali ingressum in cranium.

β. Foramina duo *condyloidea anteriora*; per quæ transit par nonum nervorum.

γ. Foramina duo *condyloidea posteriora*; transit hæc ramus venæ occipitalis ex cranio proveniens.

d. FOVÆ quatuor:

a. Duæ condyloideæ posteriores.

β. Duæ condyloideæ anteriores, quibus secundum longitudinem apophyseos cuneiformis, & utriusque condyloideæ musculi inferuntur: rectus lateralis, rectus minor anticus, rectus major anticus, & kephalo-pharyngæus.

9. EMINENTIÆ, & *cavitates internæ.*

a. SPINA cruciata; cujus

a. Ramus superior sinum longitudinalem duræ meningis, &

β. Rami laterales sinus laterales recipiunt.

γ. Inferior, *spina occipitalis interna* dicta, cui adnectitur septum parvum occipitale.

b. FOVÆ quatuor: quarum

a. Duæ superiores lobos recipiunt cerebri posteriores.

β. Inferiores duæ lobos continent cerebelli.

c. EXSCISSURA *longitudinalis* in apophysi cuneiformi, cui inhæret medulla oblongata.

10. INSERTIONES *Musculorum.*


a. *Occipitalis*: cujus insertio incipit sub sutura lambdoidea, progreditur ad usque verticem,

B a

b. Tra-



- b. *Trapezii*, vid. num. 8. lit. a.  $\alpha$
  - c. *Complexi*, *Spleni*, *recti min*: & *majoris p-  
stici*, & *obliqui min. v. n. 8. lit. a.  $\alpha$ .  $\beta$ .*
  - d. *Recti lateralis*, *antici maj.* & *minoris. Ke-  
phalo-pharyngæi*, vid. num. 8. lit. d.  $\beta$ .
11. **USUS** 1. ut contineat lobos cerebri poste-  
riores, ac cerebellum.  
2. Exitum concedat oblongatæ medullæ.  
3. Articulando interviat capiti, & firmando.



## T A B U L A VII.

### DE OSSE BREGMATIS.

Notatur in Osse hoc

1.

- S**ITUS. In cranii parte *superiori*.
2. **FIGURA**. Tetragonum referens inæquale, for-  
nicatum.
3. **DIVISIO**. Ossa duo sunt, juxta invicem po-  
sita.
4. **REGIONES**;
- a. *Superficies externa convexa, interna concava*.
  - b. **Margines** quatuor, nimirum:
    - $\alpha$ . *Superior*, seu sagittalis.
    - $\beta$ . *Inferior*, seu temporalis.
    - $\gamma$ . *Anterior*, seu coronalis.
    - $\delta$ . *Posterior*, seu occipitalis.

c. An-

- c. **ANGULI** quatuor.
- α. *Anteriores* duo: *superior* ac *inferior*.
- β. *Posteriores* duo: *superior*, *inferior*.
5. **NEXUS**: cum ossibus quinque.
- a. Cum adhærente osse bregmatis, superius per futuram sagittalem.
- b. Cum osse temporum, ac sphænoideo per futuram squamosam.
- c. *Anteriora* versus cum osse frontis per futuram coronalem.
- d. *Posteriora* versus cum osse occipitis per futuram lambdoideam.
6. **SUBSTANTIA**. Tabulis constans duabus, intermedia diploë: tenuior tamen in genere, quam in osse frontis, ac occipitis.
7. **CAVITATES**, ac *prominentiæ exteriores*.
- a. *Apophysis lateralis* in angulo anteriori, ac inferiori; inter os frontis, ac temporum ossi adnexa sphænoidei.
- b. *Sectio hemicyclica* in margine temporali, cui inseritur musculus crotaphites.
- c. Sæpenumero *foramen* adest *parietale* dictum in margine sagittali posteriora versus, quod vasa transeunt hæmatophora.
8. **CAVITATES** *intervæ*.
- a. *Sulcus longitudinalis*, in quo recubat sinus longitudinalis duræ meningis.
- b. Sulci varii, ab ictibus arteriarum duræ meningis excavati.
9. **INSERTIONES** *Musculorum*.
- Musculus *crotaphites*, v. num. 7. lit. b.
10. **Usus**.
- a. Ut lobos contineat cerebri medios.
- b. Fornicem constituat cranii summam, tum & partem ossium temporum.

## T A B U L A VIII.

## DE OSSIBUS TEMPORUM,

*Notanda veniunt in Osse Temporum.*

I.

**S**ITUS. In lateribus, & inferiori parte cranii.

2. FIGURA. Irregularis.

3. DIVISIO. In duo ossa, quorum ex utroque latere cranii unum est; quodvis horum subdividitur in *partem squamosam*, hemicyclicam; ac *partem petrosam*, pyramidalem, basi ossi occipitis, apice vero ossi sphenoidi adnexa.

4. REGIONES;

a. In parte *squamosa*:

α. *Superficies externa convexa, interna concava.*

β. *Margo zygomaticus, parietalis, & sphenoidalis.*

b. In parte *petrosa*.

α. *Basis & apex.*


β. *Superficies tres: externa, inferior; interna, superior, & anterior; & interna, posterior.*

γ. *Anguli tres: a. superior, inter superficiem superiorem, & posteriorem, b. posterior, inter superficiem posteriorem & internam, c. anterior inter superficiem internam, & superiorem.*

†. **CONNEXIO**, cum ossibus quinque:

a. Su-

- a. *Superius*, cum ossibus bregmatis, per suturam squammofam.
- b. *Posterius & inferius*, cum osse occipitis.
- c. *Anterius & inferius*, cum osse sphænoide.
- d. *Anterius*, cum osse zygomatico.
- e. Cum *maxilla inferiori* per ginglymum.
6. **SUBSTANTIA.** Constat *pars squammofa* tabulis duabus, diploë intermedia pauca; in *parte vero petrosa* durior est; interne cavitates formans varias, ac cellulas; continet & organon auditus.
7. **EMINENTIÆ, ac cavitates externæ:**
- a. *Apophysis zygomatica* in parte squammofa, inferitur margini hujus superiori pars musculi crotaphitis, inferiori massefer.
- b. Adhæret huic *Eminentia transversalis* &c.
- c. *Fovea glenoidea*, seu *articularis* dicta, cui inferuntur condyli maxillæ inferioris.
- d. *Rima* in hac fovea, per quam dura meninx, musculus mallei externus, ac chorda tympani in cavitatem tympani penetrant.
- e. *Otificium meatus auditorii externi* inæquale, eminentiis donatum.
- f. *Apophysis styloides*, in parte petrosa, cui musculus stylo-hyoideus, stylo-pharyngæus, ac stylo-glossus, uti & ligamentum ab osse procedens hyoide inferuntur.
- g. *Apophysis mastoidea*, seu *mammillaris*, interne cellulosa, inferuntur huic musculi sterno-mastoidei, splenii, ac retractores auris externæ.
- h. *Sulcus* pone apophysin hanc, cui inferitur biventer musculus, s. digastricus.
- i. Inter apophysin mastoideam, ac styloideam *foramen, stylo mastoideum*, s. *mastoideum anterius* dictum, extremitatem facit *aquæ ductus Fallopii*, per hoc ipsum egreditur portio dura nervi acoustici, s. Auditorii, intrat vero arteria quædam exigua. B 4 k In-



- k. Infra hoc foramen *fovea*, quam sinus effingit venæ jugularis.
- l. *Canalis*, *Caroticus* dictus, *orificio* externo in superficie externa, ac *orificio* interno in apice partis petrosæ donatus. Transit canalem hunc arteria carotis interna in cranium, formatur & in eo nervus intercostalis.
- m. *Tuba Eustachii* ex latere illius.
- n. *Incisura*, foramen efficiens disruptum.
- o. *Foramen* retro apophysin mastoideam, *ma-*  
*stideum posterius* dictum, quod vena penetrat, interdum & ramus arteriæ occipitalis, in dura meninge evanescens.
8. **EMINENTIÆ, ac Cavitates interna.**
- a. *Fovea* in superficie interna partis squamosæ pro lobis cerebri mediis.
- b. *Sulci* varii ab ictibus efformati arteriarum.
- c. *Sulcus* exiguus in angulo superiori partis petrosæ, in quo situs est sinus medius petrosus, cui & adfigitur dura meninx.
- d. *Meatus auditorius internus* in superficie posteriori partis petrosæ, quem nervus intrat acousticus.
- e. *Foramen* retro hunc exiguum in angulo posteriori; quod transeunt vasa hæmatophora exilia ad cochleam tendentia.
- f. *Fissura*, s. *Hiatus aquaductus Fallopii*, in superficie interna anteriori, quem transit ramulus secundi rami paris quinti, ac portioni dein duræ admiscetur. Ad hiatum alius insuper adest sulcus longitudinalis, in quo jacet expositus illico nervus.
- g. *Sulcus* in eadem superficie, in quo recubant sinus laterales meningis duræ.
- h. *Fovea* pro cerebello.
- i. In *fovea* *foramen* pro vena occipitali.

9. INSERTIONES *Musculorum.*

- a. *Crotaphitis*, ac *masseteris*, num. 7. lit. a.
- b. *Mallei externi*, num. 7. lit. d
- c. *Styl. hyoidei*, *stylo pharyngæ*, *stylo-glusfi*, num. 7. lit. f.
- d. *Sterno-mastoidei*, *splenii*, *retractoris auris*, num. 7. lit. g.
- e. *Biocentris*, num. 7. lit. h.

10. *Usus.*

- a. Ut lobos contineat *cerebri medios*, & *partem cerebelli.*
- b. *Parte squamosa* efformet *tempora.*
- c. *Organon auditus* parte *recludat petrosa.*

## T A B U L A IX.

## DE OSSE SPHOENOIDEO,

In osse sphenoidæo, basilari, cuneiformi, multiformi  
notanda veniunt :

## I.

SITUS. In *basi* cranii, ac *eius medio.*

2. FIGURA. Maxime *irregularis*, *vespertilionem* tamen, *cujus alæ expansæ* sunt, *utcuque referens.*

3. DIVISIO. Os nonnisi *unicum* est, *in corpus* dividitur, ac *apophyses.*

4. REGIONES.



- a. *Superficies externa*, in *externa* parte cranii, ac *inferiori*.
  - b. *Superficies interna*, in *interna* cranii parte, ac *inferiori*.
5. **CONNEXIO**, cum omnibus ossibus *cranii*, ac 4 ossibus *faciei*, utpote :
- a. *Anterior*, cum osse frontis, ethmoide, maxillari superiori, ac jugali.
  - b. *Lateraliter*, cum o. temporum, ac o. bregmatis.
  - c. *Posterior* cum o. occipitis.
  - d. *Inferius*, cum o. palatino, ac vomere.
6. **SUBSTANTIA**. Os est spongiosum, lamina ossea cinctum, paucis solummodo locis diploen recludens.
7. **EMINENTIAE**, ac *cavitates externae*.
- a. *Apophyses* novem :
    - α. *Temporales* duæ, seu *planæ*, lateraliter adhærentes ossi temporum, ac bregmatis, partim & foveas temporales efformantes, dictæ quoque *ala majores ossis sphenoidis*.
    - β. *Orbitales* duæ, antrorsum tendentes, attingentes os frontis, ac zygomaticum, partem efformantes orbitæ, nonnunquam parvo foraminulo donatæ.
    - γ. *Spina sphenoidalis* inter has easdem sita, vomeri per gomphosin nexa, eminentia quædam una cum parva cavitate ex utroque latere sita est, jungitur huic os ethmoideum.
    - δ. *Spinosa* duæ, inferius ac posterius, procedunt hæ inter partem squamosam, ac petrosam ossis temporum, sulcum habent lateraliter, in quo sita est pars cartilaginea tubæ Eustachianæ.
    - ε. *Pterygoideæ* duæ ; quævis harum in *alæ* dividitur *externam*, ac *internam*, *ala* vero qua-

quævis in superficiem externam, & internam dirimitur, pars inferior *radix*, superior *eminentia* audit; in extremitate alæ internæ adest hæmulus, quem ambit tendo musculi *sphœnosalpyngostaphylini*, aut *circumflexi palati ALBINI*, qui dein expansione latiori fibrarum muscularium in post. fori, ac superiori parte veli palatini evanescit.

- b. *Foveæ pterygoideæ* inter alas apophysium pterygoidearum, quarum quævis in parte superiori, ac posteriori habet incisuram, ubi conjunctio est ossis palati; *incisura* hæc audit *palatina*.
- c. *Foramina duo pterygoideæ*, in quavis radice apophyseos pterygoideæ horum unum est, una cum apertura canalis, *pterygoidei* dicti, quem transit ramus nervus recurrens, ortus à ramo secundo paris quinti.
- d. *Foramina duo sphœnopalatina* dicta; sunt hæc inter partem posteriorem apophyseos pterygoideæ, ac partem orbitalem ossis palatini; transeunt itidem hæc nervuli exigui, ac vasa hæmatophora ad membranam pituitariam narium tendentia.
- e. *Foramina duo, spinosa* dicta, sunt hæc in extremitate apophyseos spinosæ, arteria hæc transit ad duram meningem tendens.
- f. *Rimæ duæ sphœno-maxillares*, seu *orbitales inferiores* dictæ, efformantes cum osse maxillari apophyses temporales, quas vasa transeunt, nervi, ac membranæ.
- g. *Fossæ duæ pterygo-maxillares*, seu *palatinæ* dictæ, constituitur his spatium occurrens inter radicem processus pterygoidei, alam ejus externam, ac partem posteriorem ossis maxillaris.

8. EMINENTIÆ, ac cavitates interna.

- a. *Apophyses* duæ *obliquæ*, seu *ala minores*, tenues, ac asperæ, oram efformantes superiorem rimæ sphenoidalis, seu orbitalis superioris.
- b. *Apophyses* quatuor *clinoideæ*, harum sunt
  - α. Duæ *anteriores*, sæpius foramen, nonnunquam & sulcum efformantes, quem transit arteria carotis interna.
  - β. Duæ *posteriores*, ac inter utrasque
- c. *Fovea*, *sella turcica*, seu *fossa pituitaria* dicta; recubat in hac *glandula pituitaria*, in medio foraminulum unum habet exiguum, aut & duo nonnunquam, in sinum sphenoidalem hiantia.
- d. Ex utraque parte apophyseos clynoideæ posteriori *sulcus* exiguus, in quo reposita hæret arteria carotis interna.
- e. Ex utraque parte sellæ turcicæ *Excavatio major* pro lobis cerebri mediis.
- f. *Rimæ* duæ *sphenoidales*, s. *orbitales superiores*, in orbitam apertæ; transit has totum partium tertium, quartum, ac sextum nervorum, tum & ramus primus paris quinti, una cum venis, ac arteriis. Supra hoc in orbita est
- g. *Foramen*, seu sæpenumero *incisura*, quod transit ramus carotidis externæ ad basin cranii tendens.
- h. *Foramina* duo, *optica* dicta, ad apophysin clynoideam anteriorem sita; transit hæc nervorum per secundum, *opticum* dictum, una cum arteria exigua, in orbitam.
- i. *Foramina* duo, *rotunda*, seu *maxillaria superiora* dicta, transit hæc ramus tertius paris quinti nervorum.

k. *Sinus duo sphenoidales*, sub parte anteriori sellæ turcicæ siti, subinde per septum intermedium ab invicem divisi, in cavum narium hiantes.

9. INSERTIONES *musculorum*.

a. Musculi *pterygoidei interni*, ab interna superficie alæ externæ apophyseos pterygoideæ exorientis.

b. *Pterygoidei externi*, ab superficie externa alæ externæ exorti.

c. *Sphenosalpyngostaphylini*, hamulum alæ internæ ambientis.

d. *Sphenopharyngæi*, à radice apophyseos pterygoideæ enati.

10. *Usus*.

a. Ad formationem concurrunt orbitæ.

b. — — — temporum.

c. Secretioni inservit muci, fit hoc in ejus sinibus.

d. Transitum concedit plerisque nervis encephali.

## T A B U L A X.

### DE OSSE ETHMOIDEO.

In osse ethmoideo, *cribroso*, aut *cribriformi* notantur:

I.

**S**ITUS interius, ac anteriorius ad basin cranii.

2. FIGURA, *maxime irregularis*.

3. Di.

3. **DIVISIO.** Non nisi os est unicum.

4. **REGIONES.**

a. *Regio superior*, cavum cranii spectans foraminulis pertusa.

b. *Inferior*, inferius cum vomere connexa, in cavum tendens narium.

c. *Anterior*, os adtingens frontis, ejusque finis.

d. *Posterior*, adtingens os sphenoideum.

e. *Lateralis dextra*, ac *sinistra*, in orbitam tendentes.

5. **CONNEXIO**: cum ossibus septem:

a. Cum osse frontis.

b. Cum osse nasi.

c. Cum osse maxillari.

d. Cum osse unguis.

e. Cum osse sphenoideo.

f. Cum osse palatino.

g. Cum osse vomeris.

6. **SUBSTANTIA**: Simplicibus constans laminis, tenuibus, cellulosis, diploë carentibus.

7. **LAMINÆ** duæ foraminulis pertusæ, *cribrosæ* dictæ, in regione superiori, tegentes ex parte superiori os integrum; eorum foraminula transeunt filamenta paris primi nervorum encephali.

8. **APOPHYISIS superior**, *crista galli* dicta; dividit hæc ipsa exposita illico laminas in duas partes; adnectitur ei processus duræ meningis falcatiformis.

9. **SUBSTANTIÆ** duæ cavernosæ, *Labyrinthus narium* dictæ; sitæ hæ sunt sub descriptis prius laminis, cellulis constant, sæpius cum sinu frontali communicantibus.

10. **APOPHYISIS inferior**, lamina hæc est perpendicularis, à crista galli exorta deorsum tendit, substantias cavernosas ab invicem separat, ac

in

in regione inferiori cum vomere connectitur, hinc ad formationem septi narium concurrunt.

11. PARTES duæ spongiosæ, *Ossa spongiosa superiora* dictæ, cornu quadam ratione referentes, cujus pars convexa versus cavum narium ac apophysin inferiorem, pars vero concava versus os maxillare lateraliter tendit; adhærent insuper substantiis cavernosis, ac interiori parte membrana pituitaria investiuntur.
12. LAMINÆ duæ tenues ossæ, *ossa plana*, seu *papyracea* dictæ, obtegunt hæ labyrinthum parte exteriori, ac in orbita partem constituunt lateralem, uti & sæpius foramen orbitale inferius.
13. APOPHYSIS duæ, *posteriores* dictæ, continuationes non nisi sunt labyrinthi, ac ex parte ejus posteriori versus spinam sphenoidalem tendunt, quam & ambiunt.
14. Usus. Organon amplificans olfactus.

## T A B V L A XI.

### DE OSSE MAXILLARI SUPERIORI.

*In Osse maxillari superiori notantur:*

I.

- SITUS. In parte faciei anteriori, ac media.
2. FIGURA: profum irregularis.
3. DIVISIO: in ossa duo, in utroque faciei latere unum; in medio mutuo connectuntur.



## 4. REGIONES:

- a. *Superficies externa*: inservit hęc formationi tum faciei, tum palati, tum & orbitę.
- b. *Superficies interna*: partem hęc constituit posteriorem nasi.

5. **CONNEXIO**. Cum ossibus novem, nimirum cum osse frontis, nasi, ethmoide, unguis, jugali, sphœnoidali, palatino, vomere, ac spongiolo inferiori.

6. **SUBSTANTIA**, compacta, maximam partem crava, diploë carens.

7. **EMINENTIÆ**, ac *cavitates externa*, ac quidem in quovis osse.

a. *Apophyses* sex

α. *Nasalis*, lateralem nasi constituens partem, inter ossa nasi, ac unguis lita, superiori ex parte os adtingens frontis.

β. *Orbitalis*, concurrens ad formationem partis orbitę inferioris, ac interioris, marginem insuper constituens fissurę sphœno-maxillaris, s. orbitalis inferioris, per futuram plerumque divisa.

γ. *Malaris, jugalis*, seu *zygomatice*, connexa cum osse jugali; constituens anteriora versus toveam, quę *maxillaris* dicitur, posteriora versus aliam similem *zygomatice*.

δ. *Palatina*, anteriorem hęc effingit partem palati, superficiem habet inæqualem, tuberculis oblitam, posteriora versus os adtingit palati; ab antiquis *os palati anticum* vocata fuit.

ε. *Arcus alveolaris*, margo est, cui inhxerent dentes, in quovis osse 7 aut octo a veolis donatus; extremitas eius posterior *tuberositas maxillaris* dicitur, sunt in hęc foramina multa minora, quę transeunt ramu-

li nervei à nervo alveolari, uti & vasa exigua hæmatophora in sinum maxillarem tendentia.

ζ. *Spina nasalis*, anteriora versus sub naribus à connexionem hæc formatur amborum ossium; adnectitur eidem portio cartilaginea septi narium.

b. *Sulcus pirvus*, in parte superiori apophyseos nasalis intra orbitam, una cum osse unguis partem efformans superiorem canalis nasalis, s. lacrymalis, ad usque superficiem internam ossis maxillaris penetrans, ubi partem constituit canalis dicti inferiorem, in cavum narium apertam.

c. *Foramen orbitale anterius*, s. *externum*, s. *infraorbitale* dictum, anterius sub apophysi malari hians, in canalem, quem *orbitalem* dicunt, abit; decurrit hic sub apophysi orbitali uno, duobusve foraminibus jam in sinus maxillares, jam & in superficiem externam hians, posterius in orbita non procul a fissura sphæno maxillari ope foraminis *orbitale posterius* dicti, aperitur; transit finis rami secundi paris quinti nervorum encephali, qui nervus *infraorbitalis* audit.


d. *Foramen* in parte anteriori apophyseos palatinæ, post dentes incisivos *palatinum anticum*, s. *incisivum* dictum, aperitur hoc superiora versus prope spinam nasalem in cavum narium, fit hoc mediante communicatio membranæ palati cum membrana narium.

e. Nonnunquam foramen magnum, post ultimum dentem molarem in tuberositate maxillari; principium hæc ipsum est caualis, intra laminas osseas decurrentis, ac in sinum maxillarem aperti, transit ramus nervi alveolaris.



- f. *Inpressio parva* eodem loco, cui adnectitur apophysis pterygoidea ossis palati.
- g. Non procul ab impressione hac sulcus exiguus, una cum osse palati, ac osse sphæroideo canalem constituens, in os palati mediante foramine, *palatinum posterius* dicto, apertum, transeunt hunc nonnulli nervi ad palatum tendentes.
8. **CAVITATES, ac eminentiæ interna.**
- a. *Eminentia parva transversalis* inter apophysin nasalem, ac partem infimam canalis nasalis, cui pars maximè anterior ossis spongiosi inferioris adnexa est.
- b. Cavum in medio ossis, *sinus maxillaris*, s. *antrum HIGHMORI* dicta; inferius ad alveolos usque dentium, posterius sub orbita ad fissuram sphæno-maxillarem porrigitur; anterius à quibusdam partibus ossis ethmoidi, spongiosi inferioris, ac palatini aliquantum obtegitur, ac in partes laterales cavitatis narium hiat.
9. **INSERTIONES musculorum:**
- a. *Orbicularis oculorum* ad apophysin nasalem, & sub margine orbitæ.
- b. *Incisivi magni*, prope foramen orbitale anterius, sub margine inferiori orbitæ ad foveam maxillarem.
- c. *Canini*, ad superficiem internam apophyseos malaris, ubi concurrunt ad formationem foveæ zygomaticæ.
- d. *Incisivi parvi*, infra, ac penes apophysin nasalem.
- e. *Buccinatoris*, supra dentes molares.
- f. *Obliqui inferioris oculorum*, in excavatione quadam in orbita ad ductum nasalem.
- o. **Usus.**

- a. Partem efformat orbitæ, palati, ac faciei, uti & cavitatis narium.
- b. Secretioni inservit mucii.
- c. Organum etiam constituit masticationis.



## T A B U L A XII.

### DE OSSE JUGALI, OSSE UNGUIS, OSSE NASALI, AC OSSE SPONGIOSO INFERIORI.

#### I.

*De Osse jugali, Mala, seu Zygomatico notanda sunt :*

#### I.

- S**ITUS, ad latera faciei.
2. FIGURA, *Tetragona.*
  3. DIVISIO: in ossa duo, quorum ex utroque latere faciei situm est unum.
  4. REGIONES,
    - a. *Superficies externa, convexa.*
    - b. *Superficies interna, concava, maximam efformat partem hęc foveæ zygomaticæ, interne vero partem exteriorem orbitæ.*
    - c. *Anguli quatuor, duo superiores, seu orbitales & duo inferiores.*

5. **CONNEXIO**, cum ossibus quatuor, nempe, maxillari, frontali, sphœnoidali, ac temporali.
6. **SUBSTANTIA**, compacta, paucam continens diploën.
7. **EMINENTIÆ, & cavitates.**
- a. *Apophyses quatuor* :
- α. *Orbitalis superior*, s. *frontalis*, apophysin adtingens orbitalem externam.
- β. *Orbitalis inferior*, s. *maxillaris*, apophysin adtingens orbitalem ossis maxillaris.
- γ. *Malaris*, dicta & *basis ossis jugalis*, os adtingens maxillare.
- δ. *Zygomatica*, adtingens apophysin zygomaticam ossis temporum.
- b. *Fovea, zygomatica* dicta, in qua siti musculi, vasa, ac nervi.
- c. Unum, duove *foramina* in ossis medio, transeunt hæc rami nervorum, ac vasorum.
- d. In parte exteriori orbitæ inter os malæ, & partem orbitariam ossis sphœnoidei unum duove *foramina* exigua, quæ transeunt nervuli exigui.
8. **INSERTIONES musculorum** :
- a. *Temporalis*, ad marginem superiorem apophyseos zygomaticæ.
- b. *Masseteris* ad marginem inferiorem ejusdem apophyseos.
- c. *Zygomatici magni*, ad superficiem externam, ac medium ossis.
9. **Usus.** Elevantur hujus ope malæ.

## II.

*De Osse nasi, proprio dicto, notanda sunt:*

## I.

- S**ITUS. In medio faciei, statim sub fronte.
2. **FIGURA.** Tetragonum referens oblongum.
3. **DIVISIO,** in ossa duo, harmonia mutuo connexa.
4. **REGIONES:**
- Superficies externa*, convexa, in medio nonnihil introrsum inflexa, dicitur & *dorsum nasi*.
  - Superficies interna*, concava, cavum respiciens narium.
  - Extremitas superior*, crassa, rectaque os frontis adtingens, *radix nasi* dicta.
  - Extremitas inferior*, tenuior. inæqualis, denticulata, cartilagini nasi unita.
  - Margo externus*, hujus ope ossa utraque nasi apophysin nasalem adtingunt ossis maxillaris.
  - Margo internus*, mediante hoc ossa utraque nasi sese mutuo adtingunt; in superficie hujus interna spinam efformant exiguam, cui apophysis interior ossis ethmoidei, huic septum narium adnectitur.
5. **CONNEXIO** cum ossibus tribus: frontali, maxillari, ac ethmoideo.
6. **SUBSTANTIA:** compacta, parum recludens diploës.
7. **FORAMEN** in superficie externa, quod exigui transeunt nervi, ac vaia hæmatophora.
8. **CONNEXIO musculorum.**
- Myrtiformis*, ad radicem nasi.

- b. *Pyramidalis*, ad partes laterales ossis nasalis.  
 9. **Usus.**  
 Ut obtegat organon olfactus.

## III.

*De Osse unguis, seu lacrymali notanda.*

- S**ITUS. in cantho interno cujusvis orbitæ.  
 2. **FIGURA.** Unguem quodammodo referens.  
 3. **DIVISIO**, in ossa duo, quorum in utraque orbita situm est unum.  
 4. **REGIONES.**  
 a. *Superficies externa, concava, introrsus orbitam, anteriora versus efformans sulcum, qui cum osse maxillari canalem constituit nasalem.*  
 b. *Superficies interna, convexa, superius cum cellulis sinus frontalis, in medio cum cellulis ossis ethmoidi, ac inferius cum sinu maxillari connexa.*  
 c. *Extremitates superior, & inferior.*  
 d. *Margo anterior, & posterior.*  
 5. **CONNEXIO**, cum ossibus quatuor; *externe*, cum frontali, ac maxillari, *interne* cum ethmoidi, ac spongioso inferiori, quocum in adultis concretum videtur in os unicum.  
 6. **SUBSTANTIA**, ex laminis tenuibus, diploë intermedia nulla constans.  
 7. **Usus.**  
 a. Ut ad formationem concurrat orbitæ.  
 b. Ductum efformet lacrymalem.  
 c. Labyrinthum obtegat narium.

## IV.

## IV.

*De Osse spongioso inferiori, seu turbinato notanda :*

## I.

**S**ITUS, in parte inferiori, ac laterali cavitatis narium.

2. **FIGURA**, speciem quasi referens conchæ.
3. **DIVISIO**, in ossa duo, quorum in utraque cavitate nasi situm est unum.
4. **REGIONES** :
  - a. *Superficies externa, concava*, ad sinum tendens maxillarem.
  - b. *Superficies interna, convexa*, ad cavitatem tendens, ac septum narium.
  - c. *Margo inferior, crassus*, in cavitate narium libere prominens.
  - d. *Margo superior, tenuior*, antè eminentiæ transversali ossis maxillaris firmiter adnexus.
  - e. *Extremitas anterior*, latior,
  - f. *Extremitas posterior*, acutior.
5. **CONNEXIO**, cum ossibus tribus, maxillari, unguis, ac palatino.
6. **SUBSTANTIA**, lamellis constans teneris, spongiosis, membrana pituitaria investita.
7. **APOPHYSES** duæ in margine superiori, quarum
  - a. una, recta sursum tendit, ad connexionem partis nasalis ossis palati cum osse unguis, ac maxillari concurrens.
  - b. Altera inferiora versus unci adinstar incurvata, orificium sinus maxillaris maximam partem obtegens.

8. **Usus.**

Organon ejus ope amplius redditur olfactus.

---

## T A B U L A XIII.

### DE OSSE PALATINO, AC VOMERE.

#### I.

#### *De Osse Palatino notanda:*

#### 1.

**S**ITUS. In parte palati posteriori, ac superiori, unde lateraliter in cavum ascendit narium, ac in orbitam usque progreditur.

2. **FIGURA** Irregularis.

3. **DIVISIO.** In ossa duo; per *harmoniam* invicem connexa.

4. **REGIONES:**

a. *Regio inferior, ac anterior, quæ & palatina vocatur, margine suo anteriori partem adtingens ossis maxillaris palatinam; margo ejus posterior fauces spectat, eique firmanur velum palatinum, uvula, horumque musculi. Regione hac ipsa perficitur ex integro fornix palati, ac basis cavi narium; ubi ossa ambo invicem uniuntur, prominentiam inferiora versus efficiunt acutam, superiora versus sulcum, cui adnectitur os vomeris.*

b. *Regio inferior, & posterior, quæ & pterygoidea vocatur, posteriora versus per incisuram*  
cum

cum extremitate apophyseos pterygoideæ, ac tuberositate maxillari connexa, acuminata notantur in hac :

*α.* Foramen palatinum posterius, finis canalis, qui canalis pterygo-palatinus anterior dicitur, transit eum ramus nervi palatini.

*β.* Unum, duove foramina minora priori propinqua; orificia sunt canalis pterygo-palatini posterioris; & hunc nervi transeunt exigui, nervi palatini propagines.

*γ.* Inter partem pterygoideam, tuberositatem maxillarem, ac alam externam ossis sphœnoidis canalis est exiguus, canalis pterygo-palatinus externus dictus, transitum concedens ramulo miuori nervi palatini.

*c.* Regio media, seu nasalis, lateraliter sursum tendens, exteriora versus orificium partim obtegens sinus maxillaris, interius cavum respiciens narium; per eminentiam transversalem, cui extremitas incumbit posterior ossis spongiosi inferioris, à regione palatina discreta; donatur & nonnunquam foramine exiguo, quod transeunt ramuli exigui nervei.

*d.* Regio superior, seu orbitalis, separatur per foramen sphœno-palatinum à regione nasali superiora versus nonnihil ad perficiendam facit orbitam, ac rimam sphœno-maxillarem; partem obtegit superiorem tuberositatis maxillaris, antè partem attingit posteriorem substantiæ cavernosæ ossis ethmoidi, postè sinum sphœnoidalem, lateraliter partem posteriorem obtegit sinus maxillaris.

5. CONNEXIO, cum ossibus quinque: maxillari, sphœnoidæ, ethmoidæ, spongioso inferiori, ac vomere.



1. **SUBSTANTIA**, laminis constans teneris, diploë pauca.
2. **INSERTIONES musculorum.**
  - a. *Epistaphylini lateralis* in regione pterygoidea.
  - b. *Palato-staphylini* in regione palatina, ubi nexus binorum est ossium.
3. **Usus.**  
Orbitam format, cavitationem nasi, foveam pterygoideam, ac palatum.

## II.

*De Vomere notanda:*

## I.

- S**ITUS. In medio cavi narium, quod in duas partes dirimit.
1. **FIGURA**, speciem quamdam referens singularem vomeris.
  2. **DIVISIO**. Os non nisi est unicum:
  3. **REGIONES:**
    - a. *Superficies dua*, quarum quævis cavitationem sui lateris spectat narium.
    - b. *Margo posterior*, sciendens, quin ossi cuidam adnectatur, fauces versus positus.
    - c. *Margo anterior*, in duas quodammodo lamellas fissus, ubi & cartilago adnectitur septi narium.
    - d. *Margo superior*, mediante fulco spinam ambiens sphenoidalem.
    - e. *Margo inferior*, in canalem ossium palati, ac o. maxillaris insertus.
  4. **CONNEXIO**, cum ossibus quatuor: *sphenoidali, ethmoideo, maxillari, ac palatino.*

6. SUBSTANTIA, tenera, diploë carens.  
 7. USUS. Ut partem efformet septi narium posteriorem.

## T A B U L A XIV.

### DE MAXILLA INFERIORI.

*De Maxilla inferiori notanda sequentia :*

#### I.

- S**ITUS, in parte infima, ac anteriori maxime faciei, totiusque capitis.
2. FIGURA, soleam referens equinam.
3. DIVISIO. In senibus os non nisi est unicum : in infantibus autem ossibus componitur duobus, per sychondrosin unitis.
4. REGIONES :
- a. *Corpus, pars media, ac extremitates.*  
 b. *Superficies externa, & interna.*
5. CONNEXIO, cum osse temporum per ginglymum.
6. SUBSTANTIA, spongiosa, ac compactis laminais osseis cincta.
7. EMINENTIAE, ac cavitates exteriores, ac interiores :
- a. *In corpore, cujus pars anterior, mentum dicta, in superficie exteriori eminentia, seu linea donata est, quæ symphisis audit maxillæ inferioris.*

b. Par-

- b. Partes binæ laterales, à mento postrosum tendentes, *latera menti* dictæ. In his occurrunt:
- c. *Margo superior*, seu *alveolaris*, continens *alveolos* sexdecim dentium.
- d. *Margo inferior*, & *baseos maxillæ inferioris* nomine veniens, in *labium* divisus *internum*, & *externum*, posteriora versus ex utroque latere in *angulum* terminatus, qui *angulus* dicitur *maxillæ inferioris*.
- e. *Foramen maxillare anterius*, s. *mentale* dictum, est ex utroque latere partium lateralium in superficie externa, orificium constituens canalis, totam ossis substantiam secundum longitudinem penetrantis, ac in extremitatis posterioris superficie interna terminati in foramen, quod *foramen* dicitur *maxillare posterius*; transit canalem hunc nervus maxillæ inferiori proprius, furculus rami tertii paris nervorum quinti, una cum arteria, ac vena siccis in vagina decurrens communi, ad dentem quævis furculus tendit hujus ejusdem nervi.
- f. *Spinæ* variæ, ac *foveæ* in superficie in- & externa, quæ variis inseruntur musculi.
9. PARTES laterales, occurrunt in quavis
- a. *Apophyses* duæ:
- α. *Anterior*, s. *coronoides*, inferiori parte lata, superiori acutior, in medio, ac superficie interna aliquantulum elata.
- β. *Posterior*, s. *condyloides*, situ parum transverso posita, *capite* donata latiori, *collo* angustiori, *foveæ glenoides*, seu *articulari* ossis temporum inferenda.
- b. *Incisura magna*, *semilunaris* dicta, inter ambas apophyses.

c. *Fovea*, in parte posteriori colli apophyseos condyloideæ, cui adnectitur musculus *pterygoideus externus*.

9. INSERTIONES musculorum :

1. *Superficiai internæ baseos ad symphysin.*

- a. *Biventer*, posteriora versus secundum longitudinem baseos.
- b. *Mylo-hyoideus*, supra, & prope eundem ad dentes posteriores.
- c. *Mylo-glossus*.
- d. *Mylo-pharyngæus*, penes dentes ultimos molares.
- e. *Genio-hyoideus*, ad symphysin mentalem, supra mylo-hyoideum.
- f. *Genio-glossus*, supra genio-hyoideum.
- g. *Pterygoideus internus*, ad eminentias superficiai internæ anguli maxillæ inferioris.

2. *Superficiai externæ adnectuntur.*

- a. *Elevator labii inferioris*, seu *incisivus inferior*, supra symphysin mentalem, proxime infra dentes incisores.
- b. *Quadratus* proxime sub præcedenti in basi menti.
- c. *Buccinator*, in basi, infra dentes molares.
- d. *Triangularis* inter utrosque præcedentes.
- e. *Masseter* in labio externo anguli maxillæ.
- f. *Pterygoideus externus*, in fovea sub condylo, v. num. 8. lit. c.
- g. *Temporalis* tendo apophysi inseritur condyloideæ.

10. *Usus* : ut *organon* constituat *masticationis*, ac *loquæ*.

## T A B V L A XV.

## DE PARTIBUS NONNULLIS, AC REGIONIBUS CAPITIS IN GENERE.

*Notanda in capite sequentia potissimum in genere.*

- A. **O**RBITÆ, seu *foveæ orbitales* duæ, in quibus siti sunt oculi; notantur in his:
- a. Ossibus has easdem componi septem:
    1. *Inferius*, osse maxillari, ac jugali.
    2. *Superius*, osse frontis.
    3. *Interiora versus*, osse unguis, ethmoideo, ac palatino.
    4. *Exteriora versus*, ac *in fundo* osse sphœnoideo.
  - b. *Margines* 2. *superior*, ac *inferior*. Formatur prior ab osse frontis, alter ab osse jugali, ac maxillari superiori.
  - c. *Anguli duo*, *internus*, seu *nasalis*, in quo *nasalis* litus est *nasalis*; ac *externus*, seu *trochlearis*, cui insculpta est fovea, *glaniam recipiens innominatam*. Est & in angulo interno fovea parva, in qua firmatur *trochlea masticuli obliqui superioris*.
  - d. *Rima*, seu *fissura* duæ:
    1. *Orbitalis superior*, s. *sphœnoidalis*, formata ab osse sphœnoideo, in parte fundi orbitæ summa, transitum concedens pari nervorum encephali tertio, quarto, ac sexto, ubi & ramo primo paris quinti, s. *nervo orbitali*,  
*valis*

vasis demum quibusdam hæmatophoris ex cranio in orbitam penetrantibus.

2. *Orbitalis inferior*, seu *sphæno-maxillaris*, formata ab osse sphænoideo, maxillari, ac palatino, & jugali, in parte orbitæ extrema, ac inferiori; transeunt hanc nervus infraorbitalis, vasa nonnulla hæmatophora, ac productio duræ meningis.

e. *Foramina* quinque:

1. *Foramen opticum* in fundo rimæ superioris, transit hoc nervus opticus.

2. *Foramen orbitale superius* in margine superiori orbitæ, sæpenumero non nisi incisura est; transit hoc ramus nervi orbitalis.

3. *Foramen orbitale interius* in latere interiori orbitæ inter os planum, ac os frontis: transit hoc ramus rami primi paris quinti, *n. s. n. s. n. s.* dictus, ad membranam tendens pituitariam.

4. *Foramen orbitale posterius* in fundo orbitæ prope rimam sphæno-maxillarem; intrat per hoc ipsum orbitam nervus infraorbitalis, propago rami secundi paris quinti.

5. *Foramen orbitale anterius* in osse maxillari superiori sub margine inferiori orbitæ; egreditur per hoc nervus intraorbitalis.

f. *Canales* duo:

1. *Canalis nasalis*, seu *lacrymalis* in cantho oculi interno; derivantur per hoc lacrymæ in cavum narium.

2. *Canalis infraorbitalis* in orbita inter foramen orbitale anterius, ac posterius; situm hic habet nervus infraorbitalis.

g. *ORGANON odoratus* communi voce *nasi* nomine veniens, constat proprie cavitatibus duabus, ope sinuum ampliatis. Notanda veniant:

- a. *Cavitates due* propriæ; antè aperturam in foramina duo, quæ *foramina* audiunt *narium*; posterius mediantibus aperturis duabus in fauces hiantes.
- b. *Sinus frontales*; progreditur ex his superiora versus canalis in cavitates *narium*.
- c. *Sinus sphenoidales*, ex quibus posteriora versus orificium in cavitatem hiat *narium*.
- d. *Sinus maxillares*, seu *antra Highnori*, ex quibus lateraliter apertura in cavitatem hiat *narium*.
- e. *Substantia cavernosa ossis ethmoidei*, seu *labyrinthus narium*, cujus cellulæ superiora versus in cavum aperiuntur *narium*.
- f. *Ossa spongiosa superiora*, ac *inferiora*, in utraque cavitate libere suspensa.
- g. *Septum narium*, ab anterioribus posteriora versus cavitates binas ab invicem dirimens; formatum à vomere tum apophysi inferiori ossis ethmoidei, tum & spinæ sphenoidali adnexo; inferius in canali firmato, quo mediante nexus perficitur ossium palati, & maxillarum, posterius fauces respiciente, antè cartilagine obductæ, ad extremitates usque amborum foraminum *narium* progrediente.
- h. *Compositio* harum cavitatum ex septem ossibus:
1. *Exterius*, ac *anterius*, ex ossibus nasi, maxillaribus, & frontis.
  2. *Inferius*, ex ossibus maxillaribus, ac palatinis.
  3. *Superius*, ex osse ethmoideo, ac unguis.
  4. *Posterius* ex osse sphenoidaleo, ac palatino.
- i. *Foramina*:
1. *Antè*, ac *posterius palatina antica* in osse maxillari.
  2. *Posterius*, ac *lateraliter sphenopalatina* inter os sphenoidaleum, ac palatinum.

**C. ORGANON MASTICATIONIS, seu DENTES**  
 (\*) de his notanda veniunt in adultis:

a. *Numerus* : communi naturæ lege triginta duo sunt, in maxilla superiori sexdecim, totidem in inferiori.

b. *Divisio*, in tres classes; secundum quas in quavis maxilla.

α. Primi anteriores dicuntur *incisores*, seu *risforti*.

β. Duo subsequentes *canini*; ex quovis latere incisorum conspicitur horum unus.

γ. Decem posteriores, *molars*, seu *maxillares*, ex quovis latere horum quinque sunt.

c. *Regiones*.

α. *Radix* dentis; pars intra alveolos hærens maxillarum, periosteo in & externo vestita, apice foraminulo instructa, vasis hæmatophoris, ac nervis in substantiam dentis transitum concedente; in incisoribus, caninis, ac primis molaribus radix hæc simplex est, in molaribus posterioribus duplex, triplex, quadruplex, in omnium ultimis denuo simplex.

β. *Corpus*, seu *corona* dentis, pars extra alveolos maxillæ prominens, periosteo destituta, ac 1. in incisoribus lata, æqualis, in aciem secantem terminata; 2. in caninis in apicem contracta; 3. in molaribus superficie lata instructa, quæ eminentiis

---

(\*) In *aphorismis anatomico-physiologicis de dentibus*, quorum nunc alteram adorno editionem auctiorem, multo accuratus rem hæc exposui de *Wasserberg*.



instructa est duabus, tribus, quatuorve subobtusis.

- d. *Connexio*, radicum apice alveolis dentium quodammodo inclavati; connexio hæc *gompbasis audit*.
- e. *Substantia*. Dura hæc est, compacta, interne cava; in corona externe substantia alia alba, densa, *vitrea* dicta priorem ambit.

Notanda iusuper veniunt sequentia.

1. *Foetui* alveoli interne cavi non sunt, sed substantia repleti cellulosa, exteriora versus periosteo, & gingivis obtekti.
2. *Foetui septem mensium* cavi occipiunt fieri: exoriuntur dentium rudimenta, in utraque maxilla bina sibi superinposita serie, exceptis dentibus tribus ultimis, qui non nisi simplices sunt. Superior series prius prodit; dentes hi vocantur *primariis*, aut *lactarii*, circa septimum ætatis annum denuo elabentes: tum prodit series altera; atque hi *dentes* dicuntur *secundarii*.
3. Omnium primo formatur corona, specie lamellæ tenuis, ossæ, formam propriam nunc adquirentis, interius cavæ, interius patulæ, in alveolis periosteo, ac gingivis obtektæ.
4. Dum infans 6. septemve menses natus est, radices adcreverunt coronis; sursum hæc ex hinc propelluntur, periosteum, gingivas perforant, ac extra alveolos prorumpunt; primi quidem incisores, tum canini, demum molares.
5. Secundo, tertiove ætatis anno ornatæ sunt maxillæ dentibus; numerus tamen ultra 24 non ascendit, quum exiguæ adhucdum sint hæc ipsæ.
6. Versus annum ætatis septimum dentes *lactei* ex ordine denuo excidunt, quum partim  
ob

ob incrementum maxillarum, alveolorum dilatationem nexum firmum obtinere nunc jam amplius nequeant, vacillare incipiant; partim ab incrementibus dentibus secundariis quodammodo vi expellantur.

Subin & secundarii prope primarios egrediuntur.

7. Dentes incisores, ac canini cujusvis maxillæ non directione perpendiculari sibi opponuntur, sed altera series super alteram aliquantulum prominet, ut resistere possint vi muscutorum inferiorem maxillam superiora versus adducentium.

8. Nutriuntur dentes ope vasorum, per foramina in radicem apice eosdem penetrantium, sicque crescunt indies, dum acidis corrosivis, aut masticatione de substantia quid est deperditum, ac detritum. Limites incremento oppositi ponunt dentes.

9. Per foraminula hæc eadem & nervi in substantiam dentium perveniunt, nulla tamen donantur sensibilitate, quum coronæ substantia obductæ sint vitrea.

10. Dum vero foraminula in senibus oblitte- rantur, nec dentibus amplius accedat nutrimentum, emoriuntur quasi, vacillare incipiunt, excidunt; replentur gingivis alveoli, obteguntur, masticatione occalescunt.

11. Usus dentium varius. Interveniunt a. Masticationi, incisores & canini cibos dissecant, conterunt molares, interveniunt b. Sermoni; variarum litterarum distinctæ pronunciationi, interveniunt c. ornatui faciei.

D. FORAMINA capitis. Dividuntur passim in interna ac externa. Ad interna referuntur 1. unum impar, nempe foramen occipitale magnum, quod medulla spinalis, nervus spinalis WILLISII,

ac arteriæ vertebrales transeunt. 2. undecim paria, ex quavis cranii parte unum, scilicet:

1. *Foramina cribrosa* in osse ethmoide, transeunt filamenta paris primi nervorum encephali, *olfactorii*.
2. *Foramina optica* in osse sphænoide, ad apophysin clinoidream anteriorem; transit par nervorum secundum, *opticum*.
3. *Fissura sphænoidalis* in osse sphænoide transeunt:
  - a. Par nervorum tertium, *oculorum motorium*.
  - b. Par nervorum quartum, *patheticum*.
  - c. Ramus primus paris quinti, *ophthalmicus*.
  - d. Par nervorum sextum, *abducens*.
  - e. *Arteriæ quædam, ac vena*.
4. *Foramina rotunda* in osse sphænoide; transit ramus secundus paris quinti nervorum, *maxillaris superior*.
5. *Foramina ovalia* in osse sphænoide; transit ramus tertius paris quinti, *maxillaris inferior*.
6. *Foramina spinosa* in osse sphænoide, transit ramus exiguus, *arteriæ carotidis externæ* ad duram meningem tendens.
7. *Incisuræ duæ irregulares* inter apophysin spinosam ossis temporum, ac apophysin cuneiformem ossis occipitis, quæ dura meninge omnino obteguntur, patet vero transitus nervo exiguo latere exteriori inter apophysin spinosam ossis sphænoidei, ac partem petrosam; qui dein in sulco speciali ad hiatum aquæ ductus FALLOPII decurrit, nervo duro per anastomosin junctus.
8. *Foramina carotica*, cum suo canali in parte petrosa ossis temporum: transit *arteria carotis interna*.
9. *Meatus auditorius internus* in superficie interna posteriori ossis temporum, transit par

nervorum septimum, *auditorium*, seu *acousticum*.

10. *Foramina jugalia*, & *lacera dicta*, inter partem petrosam ossis temporum, ac os occipitis, transit pars nervorum octavum, *vagus*, *nervus spinalis*, ac *principium venae jugularis internae*.

11. *Foramina lingualia*, seu *condyloidea anteriora*; transit pars nervorum nonum, *linguale dictum*.

*Ad foramina externa referuntur:*

1. *Foramen orbitale superius*, seu *superciliare* in osse frontali, transit *nervus frontalis*.

2. *Foramen orbitale interius*: transit *nervus nasalis*.

3. — *parietale*, in osse parietali, transeunt *vena hematophora*.

4. — *condyloideum posticum* in osse occipitis; transit *vena*.

5. — *stylo-mastoideum* in osse temporum, finis aquæ ductus **FALLOPII**, transit *nervus durus*.

6. — *mastoideum posticum*, transit *vena*.

7. — *meatus auditorii externi* in osse temporum.

8. *Tuba EUSTACHII* in osse temporum.

9. *Foramen pterygoideum* in osse sphænoide, transit *nervus pterygoideus recurrens*.

10. — *palatinum posticum* in osse sphænoide, transit *ramus nervus palatini*.

11. — *sphæno-palatinum*, transeunt *nervi ac vasa ad nares tendentia*.


12. — *palatinum anticum* in osse maxillari superiori, transit *membrana*.

13. — *orbitale anterius*.

14. — — *posterius*: transit *nervus infraorbitalis*.

15. — *jugale* in osse jugali; transeunt *ramus nervus*, ac *vasculosus*.

16. *Foramen nasale* in osse nasi, transit *ramus nervus*.
- 17 — *maxillare anterius*, ac
18. — *maxillare posterius* in maxilla inferiori cum suo canali, transit *nervus maxilla inferiori proprius*.



## T A B U L A X V I.

### DE ORGANO AUDITUS,

**S**ub ORGANO AUDITUS intelligunt Osteologi partes illas osseas, quarum ope perficitur auditus varieque modificatur, maximam partem intra partem petrosam ossis temporum reclusas. Dividi commode queunt in classes 4.

- a. In *meatum auditorium externum*.
- b. In *cavitatem tympani*.
- c. In *labyrinthum*.
- d. In *meatum auditorium internum*.

1. **MEATUS AUDITORIUS EXTERNUS**, seu **PORUS ACOUSTICUS** in adultis canalis est osseus incurvus, cujus *orificium externum* incipit in concha externa, omnino circulare, in medio angustatum; *orificium posterius* paulo amplius situm obtinet fixum inter apophysin mastoideam, ac zygomaticam; superficie interna sulcum habet, in quo extensa est membrana tympani, terminus inter meatum auditorium, ac cavitatem tympani. In infantibus meatus hic ex integro cartilagineus, membrana tympani annulo osseo inclusa

clusa, ex qua dein oritur meatus osseus, membrana obductus.

2. **CAVITAS TYMPANI** cavum est irregulare, dividi potest in *anterior* partem, *posteriorem*, ac *mediam*: in parte anteriori cernitur

a. *Orificium tubæ EUSTACHIANÆ.*

b. *Canalis*, qui & *semicanalis* dicitur, *musculus* continens *mallei obliquum*, seu **EUSTACHIANUM**, incipit ab orificio tubæ **EUSTACHIANÆ**, ad fenestram usque progreditur ovalem, ubi parvo finitur *hamulo*.

In parte posteriori cavitatis tympani cernitur:

a. *Sinuositas mastoidea*, in quam

b. *Cellulæ hiant apophysæos mastoideæ*,

In media parte cernitur:

a. *Fenestra ovalis*, cujus extremitas anterior *hamulum* respicit *canalis* pro *musculo EUSTACHII*, posterior *orificium* *canalis* pro *musculo stapedis*, in *labyrinthum* aperta.

b. *Fenestra rotunda*, *canalem* respiciens pro *musculo stapedis*, ad *cochleam* ducens.

c. *Tuberositas* sub *canali* pro *musculo EUSTACHII*, cui *subjecta* est *cochlea*, *fulco* donata *arteriam* *recludente*.

d. *Canalis*, seu *semicanalis FALLOPII*, *prominens* in *marginem* *fenestræ ovalis*, *transitum* *concedens* *nervo* *duro*.

e. *Eminentia* *exigua pyramidalis*, in cujus *apice* *foramen* *occurrit*, *orificium* *canalis* pro *musculo stapedis*.

f. *Fibræ osseæ*, à *canali* *nunc* *descripto* ad *fenestram directæ* *rotundam*.

g. *Officula* *quatuor auditus*, *malleus*, *incus*, *stapes*, ac *os lenticulare*.

*De Malleo notanda sunt.*

- α.* *Caput* in *collum* contractum varias efformans eminentias, & cavitates, quibus medianibus corpori jungitur incudis per *gyn-glymum*.
- β.* *Manubrium*, una cum capite efformans angulum, cui inseritur musculus mallei internus.
- γ.* *Apophysis manubrii*, quæ & *tuberculum audit mallei*, membranæ adfixa tympani, inseritur huic musculus mallei externus.
- δ.* *Apophysis colli*, & *Apophysis RAVIANA*, seu *FOLLIANA* dicta, inseritur ei musculus *FOLLIANUS*.

*De incude notanda sunt :*

- α.* *Corpus*, capiti mallei per *gyn-glymum* junctum.
- β.* *Crura* duo ; *longius* mediante osse orbiculari jungitur stapedi, *brevius* margini adnectitur cellularum mastoidearum.

*De stapede notanda veniunt :*

- α.* *Caput*, crus adtingens longum incudis, in *collum* contractum.
  - β.* *Crura* duo, arcum formantes stapedi non abfimilem.
  - γ.* *Basis*, fenestram adtingens ovalem.
- De *osse lenticulari*, seu *orbiculari*, osse corporis humani minimo notandum, duabus præditum esse superficiebus convexis, quibus medianibus jungitur capiti stapedis, ac cruri longo incudis, eidemque articulatur.

g. LABYRINTHUS pars est auris internæ, retro tympanum sita, tribus constans partibus, anteriora versus *cochlea*, in medio *vestibulo*, posteriora versus *canalibus semicircularibus*.

a. *Vestibulum* cavitas est inæqualiter inflexa, inter canales sita semicirculares, & cochleam, variis pertusa *foraminibus*, scilicet:

α. *Foramine ovali*, quo mediante vestibulum communicat cum cavitate tympani.

β. *Foramine in cochleam*, & nominatim *scalam vestibuli* aperto.

γ. *Foraminibus* quinque, quæ *orificia* sunt *canalium semicircularium*.

δ. *Quatuor, quinqueve foraminibus*, quæ transeunt rami nonnulli *portionis mollis nervi acoustici*.

b. *Canales semicirculares* tres vocantur arcus, tertiam tere absolventes circuli partem, in medio angustiores, ad orificia ampliores, posteriorius in parte petrosa ossis temporum basin versus ejusdem siti.

Sunt:

α. *Canalis semicircularis superior*, in superficie interna, & inferiori partis petrosæ ossis temporum prominens.

β. *Inferior*, prominens in superficie interna, & posteriori partis petrosæ.

γ. *Anterior*, externus, seu medius, in superficie externa partis petrosæ prominens.

*Canalium horum* quivis duobus orificiis in vestibulum aperitur; extremitas tamen inferior canalis superioris jungitur extremitati superiori canalis inferioris, commune simul constituunt orificium; hinc quinque sunt orificia.



e. *Cochlea* antrorsum, versus apicem sita est partis petrosæ, apex ejus in cavitate tympani prominet.

*De cochlea notanda :*

- a. *Extremities duæ*, scilicet:
- α. *Major* per fenestram rotundam in cavitate tympani, *orificium scalæ tympani*, & foramen aliud, *orificium dictum scalæ vestibuli* in vestibulo aperta.
- β. *Minor*, quæ & *apex* dicitur.
- b. *Basis*, introrsum meatum auditorium internum spectans.
- c. *Gyri* duo cum medio, ab extremitate majori incipientes, finientes ad apicem, ita ut margine externo cavitatem adtingant tympani, interno tum inter sese sint uniti, tum & nucleum adtingant, & meatum auditorium internum.
- d. *Modiolus*, seu *Nucleus cochleæ*, os durum figuræ conicæ, inter meatum auditorium internum situm, ac apicem cochleæ, canali præditum ab apice ad basin usque directo.
- e. *Duo canales* in gyris juxta totam eorum longitudinem, quorum unus *scalæ vestibuli*, in vestibulo, extremitate majori cochleæ apertus; alter *scalæ tympani* in eadem extremitate per fenestram rotundam in cavitate apertus tympani, unde ambo ad apicem tendunt cochleæ.
- f. *Lamina spiralis*, lamina hæc est subtilis ossea, itidem exoriens ab extremitate majori cochleæ intra ejusdem gyros, quos in duos dirimit canales; internè membrana nervosa, *Zona* dicta, vestita est; in apice cochleæ fissitur, ibique & hamulum effingit exiguum.


▼. **MEATUS AUDITORIUS INTERNUS** canalis est, in superficie interna, & posteriori partis petrosæ ossis temporum apertus, versus vestibulum, ac cochleam progrediens, in ibique per emiaentiam in foveas duas directus, quæ *fundi* vocantur, harum

a. *Fundus inferior* 4—5 foraminibus pertusus est, per quæ filamenta portionis mollis nervi auditorii in vestibulum tendunt, ac cochleam.

b. *Fundus superior* vero in duo dirimitur foramina, scilicet:

α. *Posteriorius*, transit hoc etiam ramus portionis mollis tendens ad vestibulum.

β. *Anteriorius*, est hoc orificium aquæductus **FALLOPII**, portionem duram nervi auditorii recipientis. Progreditur canalis hicce versus superficiem internam, & superiorem ossis petrosi, ac inter canalem semicircularem externum, & foramen ovale in cavitatem penetrat tympani, cujus partem transit posteriorem, ac tandem per foramen stylo-mastoideum in superficie externa ossis petrosi hiat.



## T A B U L A XVII.

## DE SPINA VERTEBRALI.

*De Spina vertebrali notanda sunt :*

I.

**S**ITUS; in parte trunci posteriori, ab offe occipite ad usque sacrum secundum longitudinem decurrens.

1. **FIGURA.** Aliquantum incurvata, vix non litteram S. exprimens.

3. **DIVISIO** in 24. *vertebras*, quarum

a. 7. *Supremae*, *vertebrae colli*, seu *cervicales*.

b. 12. *Mediae*, *vertebrae dorsi*, seu *dorsales*.

c. 5. *Infimae*, *vertebrae lumborum*, seu *lumbares* dicuntur.

*De Vertebrae autem singulis in genere notanda sunt :*

4. **Earum Corpus**, pars media, maxime anterior, crassissima, *superficie instructa superiori*, ac *inferiori*, cui incumbit *lamina cartilaginea*.

5. **APOPHYSES** quinque:

a. *Quatuor obliquae*, seu *articulares*, quarum

α. *Duae dicuntur ascendentes*, ac *superiores*, in parte *vertebrae sitae superiori* &c.

β. *Duae descendentes*, ac *inferiores* dictae, in parte *vertebrae sitae inferiori*, *lamina etiam superficie interna obducta cartilaginea*, laevi; inserviunt articulationi *vertebrarum inter sese invicem*,

b.

- b. *Dua transversales*, quarum ex quovis vertebræ latere sita est una; inserviunt adhæsiõni musculorum.
- c. *Spinosa*, posteriori loco sita, subacuminata, in apice lamina cartilaginea obducta, ex lateribus compressa, ligamentis connexa, tum adhæsiõni musculorum, tum firmandæ spinæ integræ parte posteriori inserviens.
6. **CANALIS** interne inter corpus, ac apophyses, incipiens à foramine magno ossis occipitis, superficie externa ossis sacri terminatus, medullam continens spinalem.
7. **INCISURÆ** quatuor; sunt harum superiores duæ, ex utroque scilicet latere una, minores; inferiores autem duæ majores; sitæ in inter corpus, ac apophysin transversam, incisuris vertebrarum supra, ac infra positis ea ratione connexæ, ut vertebræ duæ ex utroque latere foramen efforment perfectum, *laterale* dictum; transeunt hoc nervi ex medulla spinali extrorsum tendentes.
8. **ARTICULATIO** earum, & quidem,
- a. *Inter sese*, non enim corpora solum per Synchronosin sunt unita, sed & apophyses oblique descendentes vertebræ superioris inniuntur quodammodo apophysibus oblique ascendentibus vertebræ inferioris, articulantur per arthrodiam, firmantur ligamentis capsularibus.
- b. *Superius* cum capite, mediantibus apophysibus condyloideis occipitis, cum vertebra prima colli per ginglymum articulatis.
- c. *Inferius* cum osse sacro per synchronosin.
- d. *Lateraliter*, solæ vertebræ dorsi cum costis.
9. **SUBSTANTIA**, in corporibus spongiosa, foraminulis exiguis pertusa, in apophysibus natis compacta.

10. **Usus:** Spina vertebralis ossibus reliquis non solum pro fulcimento inservit; sed & ad mobilitatem corporis plurimum confert.

*In specie notanda:*

*1. De Vertebra colli.*

1. Corpora earum esse quidem tenuissima, à tertia tamen inferiora versus sensim latefcere.
2. Esse in earum corporibus superficies superiores concavas, inferiores esse convexas.
3. Laminas inter corpora positas cartilagineas crassiores esse, quam quidem in vertebra dorsi.
4. Apophyses oblique adscendentis anteriora versus sursum esse directas.
5. Oblique descendentes apophyses posteriora descendere, cavitate glenoidea planiori esse donatas, cui inferuntur eminentiæ apophyseum adscendentium.
6. Apophyses transversas duplici gaudere radice, quarum maxime posterior inter apophyses obliquas, anterior ex corpore exoritur.
7. Esse easdem in apice aliquantum bifurcatas, foramiue donatas, quod transeunt arteriæ, ac venæ vertebrales cranium int. antes.
8. Apophyses spinosas à tertia ad septimam usque vertebra sat esse breves, bifurcatas, deorsum spectantes, magis tamen ab invicem remotas quam vertebra dorsi.

*Spectilissime vero notandum:*

*1. De vertebra colli prima, atlas dicta.*

- a. Corpore gaudere valde parvo, tenui, in cuius parte anteriori, & exteriori tuberculum est, in interna fovea; ex lateribus tam foramen cœcum occurrit, quam & protuberantia. Recipit fovea procellum odontoidem vertebrae secundae per ginglymum lateralem

lem ; inseritur foramini ligamentum transversale , processum in situ retinens.

- b. Habere apophyses vix non maximas imprimis adscendentes , quæ locum supplere videntur corporis ; adscendentes concavæ sunt , recipientes apophyses condyloideas occipitis per ginglymum , descendentes his subjectæ , concavæ , cum adscendentibus vertebræ secundæ articulatæ.
  - c. Sub apophysibus oblique adscendentibus anteriora versus esse *sinum* , quem transeunt arteriæ , ac venæ cranium intrantes.
  - d. Apophysis spinosæ loco non nisi adesse tuberculum , ut capitis motus posteriora versus non sufflaminetur.
2. *Notantur de secunda vertebra colli , quæ & Epistropheus , seu Axis vocatur , sequentia :*
- a. Corpus crassis esse , firmissimumque , quam in subsequis colli vertebrais est.
  - b. Apophyses transversales esse brevissimas , ex obliquo perforatas.
  - c. Apophysin spinosam fortiore esse , superius spina in partes duas laterales divisam , inferius linea in cavitates duas discretam.
  - d. Esse in superficie corporis superiori apophysin , quæ *odontoides* , seu *dentoidea* vocetur ; intrat parte sua posteriori foveam atlantis , inibique ligamento firmatur transversali , partem ejus anteriorem ambiente , tum & ligamentis aliis , à parte superiori ad foramen magnum occipitis tendentibus.
3. *De Vertebra colli septima , quæ & prominens audit , notanda sunt :*
- a. Superficiem corporis inferiorem planam magis esse , quam concavam.
  - b. Apophysin ejus spinosam esse longissimam , raro bifurcatam.



c. Esse sæpius in apophysi transversa foramen singulare, quod arteria transit cervicalis posterior.

II. *De Vertebri dorsi notandum :*

1. Corpora à superioribus inferiora versus crassiora evadere, ac latiora.
2. Superficies corporum superiores, ac inferiores esse latiores.
3. Laminae corporibus interjectas cartilagineas in prima, secunda, tertia, quarta, tum & quinta vertebra superiori crassiores esse, magis flexiles, in inferioribus tenuiores, firmiores.
4. Esse in corporibus versus apophyses transversales ex utroque latere, tam in superiori margine, quam & inferiori foveolam, esse hinc in quavis vertebra foveolas quatuor, quarum duæ inferiores vertebræ superioris conjunguntur duabus superioribus vertebræ subjæctæ, sinumque efformant, cui capitulum unum inferitur costarum, ut adeo costa quævis adhærescat inter corpora vertebrarum; exceptis tamen prima, & ultima; quum illa excipiatur à vertebra prima, hæc à vertebra ultima, solis.
5. Esse superficies apophysium oblique adscendentium posteriora versus, oblique descendendum anteriora versus directas, situ verticali magis quam inclinato positas.
6. Apophyses transversales à superioribus inferiora versus sensim fieri breviores, habere anterius in capite foveam, cui inferitur tuberculum costarum secundum.
7. Apophyses spinosas vertebrarum quatuor supremarum esse nonnihil latiores, paulo magis ab invicem positas; fieri apophyses vertebrarum subsequarum anteriora versus acutiores.

tiores; interne cavas esse, arcte sibi incumbentes, in vertebra undecima, ac duodecima breviores, prominentes directione minus obliqua.

### III. *De Vertebri lumborum notanda:*

1. Corpora earum maxima omnium totius spinæ esse, latissima, crassissima.
2. Superficies earum esse quidem planas, in centro tamen nonnihil excavatas.
3. Lamellas corporibus interjectas cartilagineas esse crassissimas.
4. Apophyses oblique ascendentes secundum longitudinem esse parumper concavas, descendentes convexas.
5. Apophyses transversales esse longiores, quam in dorso, breviores tamen in vertebra ultima, ac prima.
6. Apophyses earum spinosas posteriora versus recta prominere, latas esse, fortes, ad radicem crassiores, terminari apice obtusiori, marginibus donatas esse duobus incindentibus, quorum interior linea in duo dimitur labia.

### *De Canali pro medulla spinali notandum:*

- a. Diametrum ejusdem in vertebri colli esse amplissimam, angustioram in dorsalibus, amplioram denuo in lumboribus. b. Foramina pro nervis spinalibus in vertebri colli, ac lumborum sita esse ex lateribus, in dorsalibus nonnihil posteriora versus, esse & minor.

Nectuntur spinæ vertebrali *musculi* sequentes:

1. *Apophyseus spinosis.*



- a. *5. Interspinales colli*, vertebris quinque colli inferioribus, ita, ut eorum quivis incipiat à parte superiori apophyseos spinosæ vertebræ, ac inferatur vertebræ supra positæ, parti inferiori prope apophysin.
- b. *Splenius* vertebris colli tribus ultimis, ac quatuor superioribus dorsi.
- c. *Rectus major posticus*, apophysii spinosæ vertebræ colli secundæ.
- d. *Minor* tuberculo vertebræ primæ colli.
- e. *Semispinosus*, apophysibus spinosis ossis sacri, lumborum, dorsi, triumque ultimarum vertebrarum colli.
- f. *Trapezius*, apophysibus spinosis omnium vertebrarum colli, & 7. sive superiorum dorsi.
- g. *Rhomboideus*, apophysibus spinosis quatuor inferiorum vertebrarum colli, triumque superiorum dorsi.
- h. *Latissimus dorsi*, apophysibus spinosis vertebrarum lumborum, ac 7. inferiorum vertebrarum dorsi.
- i. *Serratus posticus superior*, apophysibus spinosis trium superiorum vertebrarum dorsi, ac duarum inferiorum colli.
- k. *Serratus posticus inferior*, apophysibus superiorum vertebrarum lumborum, ac inferiorum dorsi.
- a. *Apophysibus transversalibus.*
- a. *Longus colli*, apophysibus transversis omnium vertebrarum colli.
- b. *Rectus lateralis*, apophysii transversæ atlantis.
- c. *Intertransversales colli*, ab una apophysii transversa tendentes ad alteram.
- d. *Obliquus major capitis*, apophysii transversæ atlantis, ac apophysii spinosæ epistrophei.

- e. *Obliquus minor capitis*, apophysi transversæ atlantis.
  - f. *Transversalis abdominis*, apophysibus transversis lumborum.
  - g. *Quadratus lumborum* ibidem loci ac vertebræ ultimæ dorsi.
  - h. *Longissimus dorsi*, apophysibus transversis tere totius spinæ.
  - i. *Scalemus*, apophysibus transversis vertebrarum colli.
  - k. *Elevator scapulae*, apophysibus transversis quatuor primarum vertebrarum colli.
- 

## T A B U L A XVIII.

## DE OSSE SACRO, COCCYGIS, AC OSSIBUS INNOMINATIS.

## I.

*De OSSE SACRO veniunt notanda :*

## i.

- S**ITUS, in parte trunci posteriori, ac inferiori.
- a. **FIGURA**, triangularis, basi sursum, apicē deorsum spectantibus.
  - b. **REGIONES**:
    - a. *Superficies interna, concava.*
    - b. *Superficies externa, convexa.*

- c. *Basis*, vertebram adtingens ultimam lumborum.
- d. *Apex*, adhærescens ossi coccygis.
- e. *Margines 2. laterales*, adhærescentes ossibus innominatis.

#### 4. NEXUS.

- a. *Superius*, cum ultima vertebra lumborum per synchondrosin.
- b. *Inferius*, cum osse coccygis per arthrodiam.
- c. *Lateraliter* cum ossibus innominatis per synchondrosin.

#### 5. SUBSTANTIA spongiosa.

6. *DIVISIO*: constat in *infantibus* vertebris 5—6, quæ *spuriæ* vocantur, ac synchondrosi sunt connexæ; in *adultis* cartilaginee una cum ossibus in eandem coalescunt substantiam osseam, ac non nisi unicum quidem simul os constituunt: in quo tamen notanda veniunt:

- a. *Corpora vertebrarum*; partem hæc faciunt mediam, superius lata, inferius magis contracta; superficies superior corporis vertebræ primæ corpus recipit vertebræ lumborum ultimæ, ac superficies inferior corporis vertebræ ultimæ conjungitur cum osse coccygis.
- b. *Apophyses obliquæ*, tam superiores, quam & inferiores invicem concretæ, tubercula nonnulla in superficie externa separationis produnt vestigia; obliquæ tamen superiores in vertebra prima manifeste distingui possunt; cum obliquis inferioribus ultimæ vertebræ lumborum articulantur.
- c. *Apophyses transversales*, marginibus suis firmiter invicem concretæ efficiunt partes ossis sacri laterales, superne latas, excavatas, cum ossibus ilei synchondrosi nexus, inferne tenuiores, minus latas; nectuntur ligamenti ossibus innominatis.

d.

- d. *Apophyses spinosæ*, in superficie externa tuberculis quibusdam conspicuæ.
- e. *Canalis inferiora* versus in superficiem apertus externam.
- f. 8—10. *Foramina* in superficie externa, vasa transeunt nulla; membranis obteguntur, ac tendinibus musculorum.
- g. 8—10. *Foramina* in superficie interna, egrediuntur per hæc ipsa *nervi sacri*.
7. **INSERTIONES musculorum.**
- a. *Longissimi dorsi*, enascentis à lateribus ossis sacri, ac spina posterioris ilei.
- b. *Sacrolumbaris*, exorientis ab apophysibus spinosis.
- c. *Glutæi maximi*, ibidem loci exorientis.
- d. *Pyriformis* enati à partibus lateralibus inferiora versus, ubi ab osse divergunt ilei.
- e. *Sacro-coccygei*, enati ab interna superficie ossis sacri, terminati in superficie interna ossis coccygis.
8. **Usus.**
- a. Ut cavitatem efformet pelveos.
- b. Ut spinæ integræ vertebrali fulcimento, sit, & basi.

## II.

*De Osse COCCYGIS veniunt notanda:*

## I.

**SITUS.** In parte inferiori ossis sacri.

2. **REGIONES.**

*Superficies externa, convexa.*

*Superficies interna concava.*

3. **NEXUS.**

1. Cum *Osse sacro* per aliqualem arthrodiam.
2. Cum *Osse ischio* per synevrosin.
4. SUBSTANTIA: spongiola.
5. DIVISIO. In homine constat vertebris 3—4, cartilaginibus flexilissimis invicem nexis; in animalibus vertebris componitur plurimis, ac productionibus his ipsis efformatur cauda.
6. INSERTIONES *musculorum*.
  - a. *Sphincteris ani*, enascitur à parte infima superficie internæ.
  - b. *Ischio-coccygei*, enascitur à partibus ossis hujus lateralibus.
7. USUS. Ut intestino recto sit fulcro,

### III.

*De Ossibus innominatis veniunt notanda:*

#### 1.

- S**ITUS. In parte trunci inferiori, anteriori, ac partibus ejusdem lateralibus.
2. FIGURA, maxime irregularis.
  3. NEXUS.
    - a. *Posterius* cum osse sacro, per synchondrosin ac synevrosin.
    - b. *Anterior*, inter sese per synchondrosin.
    - c. *Inferius* cum osse temoris, per enarthrosin.
  4. SUBSTANTIA, spongiola, hinc inde crassior, aut tenuior.
  5. DIVISIO. Constant ossa innominata in *infantibus ossibus tribus*.
    - a. *Osse ileo*, *superius*, ac *posterius* sito.
    - b. *Osse ischio*, seu *coxendice*, sito *inferius*.
    - c. *Osse pubis*, seu *pectinis*, sito *anterior*.

Ossa

Ossa hæc in infantibus cartilaginibus intermediis manifesto ab invicem sunt discreta; abolentur tamen hæ eadem sensim eousque, ut in adultis ex utroque latere non nisi os sit unicum.

6. MARGINES 4.

a. *Superior*, posteriori parte ad nexum ossis ilei cum osse sacro incipiens à tuberculo, quod *spina* vocatur *ilei posterior*, formans arcum, ac antrosum finitus in tuberculo. *spina ilei superior* dicto.

Margo hicce investitur cartilagine, & in *labium* dividitur *externum*, ac *internum*.

b. *Anterior*, incipiens à spina superiori ilei finitus symphysis pubis notantur;

α. *Incisura plana*, sub spina ilei superiori.

β. Ante hanc *tuberculum* exiguum, *spina ilei inferior* dictum.

γ. Ante hanc *incisura* major, transeunt vasa *cruralia*, ac *spermatica*.

δ. Ante hanc *spina obliqua*, separans os ileon ab osse pubis.

ε. Parte maxime anteriori symphysis pubis, ubi nempe ossium pubis est nexus; in parte *rum* *suprema*, & maxime anteriori sunt nonnullæ eminentiæ, queis adhærescunt muscoli.

e. *Inferior*, incipiens à symphysis pubis, finitus ad tuberositatem ischii.

d. *Posterior*, incipiens à tuberositate ischii, finitus ad nexum ossis ilei cum osse sacro, notantur in hoc:

α. *Incisura* proxime post tuberositatem, transit musculus obturator internus.

β. Retro hanc *tuberculum*, *spina* dictum *ischii*, adnectitur ligamentum *ischio-coccygeum*.

γ. Inter spinam hanc, ac marginem superiorem *incisura* magna, *ischiatrica* dicta: transit nervus *ischiatricus*.

*Margo superior* formatur à solo osse *ileo*.

*Margo inferior* tum ab osse *pubis*, tum ab osse *ischio*.

*Margo anterior* tum ab osse *ileo*, tum ab osse *pubis*, &

*Margo posterior* tum ab osse *ischio*. tum ab osse *ileo*.

### 7 SUPERFICIES *duæ*:

a. *Superficies externa*, antèrius *convexa*, posterius *conca*va, notantur.

α. In parte *posteriori*, *superficies* nonnihil *excavata* *cavitas* dicta *istaca externa*, locatur in hac *matriculi glutæi*.

β. In parte *media*, *margo* *prominens* *acetabuli*, antèrius *donatus* *incisura*, quam transeunt *vasa*, ac *ligamenta* in *acetabulum* *tendentia*.

γ. Sub *marginè* *acetabuli* in *tuberofitate* *ischii* *incisura*; transit *musculus* *obturator* *externus*.

δ. *Cavitas* magna, *acetabulum* dicta, seu *cavitas* *cotyloidea*; est in hac *fovea* pro *insertione* *ligamenti* *rotundi*; obducitur *cartilagine*, recipit *caput* *ossis* *femoris*, formatur *osse* *ileo*, *ischio*, ac *pubis*.

ε. *Foramen* magnum, *ovale* dictum, formatum ab osse *pubis*, ac *ischio*; obtegitur *musculis* *obturatoribus*, ac *membranis* *eo* *uique*, ut non nisi *marginè* *apertura* *re-*

ma-

maneat superiori, quam vasa transeunt, ac nervi.

b. *Superficies interna*, concava; notantur in hac:

a. *Pars postrema*, ac *summa*, inæqualis maxime, connexa cum osse sacro.

β. *Linea transversalis*, incipiens à spina ossis pubis obliqua, ad os sacrum ex transverso decurrens, dividensque sic *superficiem* hanc in *superiorem*, ac *inferiorem*, quorum prior musculis oblecta est iliaticis internis, *cavitas* dicta *iliaca interna*; hæc *fundus* audit *pelvens*.

γ. *Foramen supra dictum ovale*; sunt in margine hujus interiori ad symphysis ossium pubis incisuræ 2—3, quibus musculus inferitur obturator internus.

g. **INSERTIONES musculorum:**

a. *Glutæus maximus*, labio externo marginis superioris No. 6. lit. a.

b. — *medius*, ac *minimus*, sub maximo, superficiei externæ. No. 7. lit. a.

c. *Musculus fisciæ latæ* labio externo spinæ superioris ilei. No. 6. lit. a.

d. *Iliacus internus*, cavitati iliacæ. No. 7. lit. b. γ.

e. *Obliquus ascendens*, labio externo marginis superioris, & anterioris supra glutæum.


f. — *descendens*, una cum *transversali* labio interno marginis superioris, ac anterioris supra iliacum internum.

g. *Quadratus lumborum*, labio externo marginis superioris, posteriora versus.

h. *Rectus femoris* spinæ inferiori ilei, No. 6. lit. b. β.



- i. *Pectineus*, seu *lividus*, ante rectum, symphysis pubis, supra foramen ovale.
- k. *Rectus*, ac *Pyramidalis abdominis*, margini anteriori supra symphysis pubis.
- l. *Sartorius*, spinæ superiori ilei.
- m. *Triceps*, symphysis pubis, capitibus binis, ac tuberculo ischii capite tertio.
- n. *Gracilis*, margini inferiori, ad nexum ossis pubis cum osse ischii.
- o. *Erector penis*, *clitoridis*, ac *levatores ani*, interne tuberositati ischii.
- p. *Biceps*, *Semi-membranosus*, *Semi-nervosus*, & *Quadratus femoris*, externæ tuberositati ischii.
- q. *Obturator internus*, margini interno foraminis ovalis, transit incisuram, retro tuberositatem. N. 6. lit. d. a.
- r. *Obturator externus*, faciei foraminis hujus exteriori, ac insuræ sub acetabulo. No. 7. lit. a. γ.
- s. *Gemellus superior*, spinæ posteriori ilei, N. 6. lit. s. *Gemellus inferior*, sub spina ischii. N. 6. lit. d. γ.
- t. *Iliacus minor*, spinæ inferiori ilei. N. 6. lit. b. β.
9. *Usus ossium innominatorum*, ut efforment *pelvin*.



## T A B U L A XIX.

## DE COSTIS, AC STERNO.

## I.

*De Costis notandum.*

## I.

**S**ITUS, transversus, ac obliquus; incipiunt à vertebra dorsi, ex lateribus efformant arcum, antè rectiores fiunt, ac maximam partem uniuntur sterno.

1. FIGURA incurva, arcum fere referens medium, ea tamen ratione, ut extremitates ambæ non ad lineam rectam sint dispositæ.
2. SUBSTANTIA, posterius ossea, interne spongiosa, externe laminis obducta osseis, antè cartilaginea.
3. DIVISIO, in *veras*, ac *spurias*; ex his
  - a. Ex utroque latere septem supremæ *veræ* dicuntur, quum cartilagineus earum finis immediate nexus sit sterno, & hac ratione semicirculos sat bene effingant; notandum vero;
    - α. Costæ primæ partem osseam brevem esse, sed latam, insequentium autem minus latam, sensimque evadere longiorem,
    - β. Costæ primæ *veræ* cartilaginem duram esse, ac firmam, 6. reliquarum minus duram, flexiliorem, sensimque fieri longiorem,

b. Infimas quinque ex utroque latere vocantur *spuriae*, quum cartilago earum sternum non attingat, hinc & semicirculos non ex integro absolvant: notandum denuo

α. A summa ad infimam usque semper fieri breviores.

β. Nexam esse cartilagine primæ costæ spuriae cum cartilagine ultimæ costæ veræ, cartilagine secundæ spuriae cum cartilagine primæ spuriae, cartilagine tertiæ spuriae cum cartilagine secundæ spuriae.

γ. Cartilagines ultimarum duarum costarum spuriarum omnium esse brevissimas, terminari apice obtuso, hæere liberas, nec nexas esse cartilagini,

5. **NEXUS:**

a. *Posterior*, cum vertebra dorsi per ligyllum, & arthrodiam.

b. *Anterior* cum sterno per synchondrosin.

*In specie de quavis costa veniunt notanda:*

a. *Corpus* eorum, seu *pars media*.

b. *Margines*, nimirum:

α. *Margo superior*, crassior.

β. *Margo inferior*, tenuior.

γ. In quovis margine *labium externum*, ac *internum*, quibus inseruntur *musculi intercostales* ex- & interni.

c. *Superficies externa*, convexa; *interna*, concava. in qua margine inferiori cernitur *sulcus*, cui inhaerent vasa, ac nervi.

d. *Extremitates:*

- a.* *Extremitas anterior*, ac minus alta, quam posterior, ac excavata parum, ut pars cartilaginea possit innitti.
- β.* *Extremitas posterior*, constat hæc:
1. *Ex capitulo majori*, sine extimo; dirimitur linea in superficies duas, queis mediantibus articulatur cum corporibus vertebrarum dorsi.
  2. *Ex capitulo minori*, anteriora versus, articulatur cum fovea apophysium transversarum vertebrarum dorsi; exceptis costis undecima, ac duodecima, quibus capitulum minus non est.
  3. *Ex collo*, spatio inter hæcce duo capitula intercepto.
  - e.* *Angulus costæ*, antrorsum, prope extremitatem posteriorem situs, excurrit ab hoc sulcus in superficie interna. *Nro. 5. lit. c.*
- δ.* *Inserciones musculorum.*
- a.* *Intercostalium externorum*, ac *internorum*, à margine inferiori costæ superioris ad marginem superiorem costæ inferioris tendentium.
  - b.* *Subclavii*, margini superiori costæ primæ sternum versus.
  - c.* *Levatorum costarum STENONIS*, parti posteriori costarum.
  - d.* *Serrati antici majoris*, qui exoritur anteriora versus à quinque costis inferioribus veris, ac duabus spuriiis, ad basin tendens scapulæ.
  - e.* *Serrati postici inferioris*, exorientis à duabus costis infimis veris, ac spuriiis omnibus.



- f. *Sterno-costalium*, seu *triangulare sterni*; inseruntur hi cartilaginibus costarum verarum in superficie interna, & oriuntur ab interna superficie sterni.
- g. *Sacro-lumbaris*, inseritur parti costarum posteriori
- h. *Obliqui descendentes*, superficiei externæ costarum spuriarum omnium.
- i. *Transversalis abdominis*, superficiei internæ infimarum costarum spuriarum.
- k. *Recti abdominis* superficiei externæ cartilaginum costæ veræ sextæ, ac septimæ.
- l. *Scaleni* costæ veræ primæ, ac secundæ.
- m. *Pectoralis majoris*, anteriora versus, omnibus costis veris.
- n. *Pectoralis minoris*, costæ veræ secundæ, tertæ, ac quartæ.
- o. *Longissimi dorsi*, parti posteriori omnium costarum.
- p. *Quadrati lumborum*, ultimæ costæ spurie.
- 7. *Ufus*, ut efforment cavitatem thoracis ea ratione, ut extendi, augularique queat.

## II.

**De STERNO, seu OSSE PECTORIS veniunt notanda :**

### I.

- S**ITUS, in parte thoracis anteriori.
2. **FIGURA**, ensiformis.
3. **REGIONES :**


a. *Sua*

- a. *Superficies externa convexa, interna concava.*
- b. *Margines laterales, quibus adnectuntur cartilagine costarum.*
- c. *Extremitas superior, ac inferior.*
4. **SUBSTANTIA** spongiosa, humorem recludens adtenuatissimum medullarem.
5. **NEXUS superior**, cum clavicula, *lateraliter cum costis veris.*
6. **DIVISIO**, in partes tres
- a. *Pars superior, brevior, superne latior, contractior sensim, nexa mediante cartilagine parti subsequenti: notanda in hac ipsa:*
- α. *In medio extremitatis superioris, ad superficiem internam sinus est, in quo sita arteria aspera.*
- β. *Ex hujus lateribus duo sinus, recipientes claviculam.*
- γ. *Lateraliter sinus duo, quibus immittitur cartilago costæ primæ.*
- δ. *In parte inferiori cujusvis marginis sinus dimidiatus.*
- b. *Pars media, longior, superius lata minus, quam inferne, notanda in hac:*
- α. *In extremitatis superioris utroque margine sinus dimidiatus una cum sinu dimidiato partis superioris sinum constituens integrum, recipientem cartilagine costæ secundæ veræ.*
- β. *In quovis margine sinus quinque, quibus inhaerent cartilagine costarum quinque subsequentium verarum.*
- c. *Pars inferior, seu apex sterni, quæ & cartilago dicitur ensiformis, seu xiphoidea, inferius jam rotunda, jam acuminata, jam & bicuspidata, introrsum, extrorsumve versa, plerumque*

rumque foramine pertusa, quod vasa sæpius transeunt mammaria interna.

7. *Inserciones musculorum.*

- a. *Sterno-mastoides*, parti superiori sterni.
  - b. *Sterno-hyoidei*, loco eidem.
  - c. *Sterno-thyroidei*, loco eidem.
  - d. *Recti abdominis*, apici cartilaginis xiphoidis.
  - e. *Triangulare sterni*, superfici ei ejusdem internæ.
8. *Usus*: ut obtegat antica parte thoracem, ac mediastinum, uti & diaphragma adhærescere eidem queat.



## T A B U L A XX.

### DE CLAVICULA, SCAPULA, HUMERO, CUBITO, AC RADIO.

#### I.

*De Claviculis, duabus numero, notanda veniunt :*

#### I.

**S**ITUS, in parte thoracis superiori, anteriori, a sterno ad scapulam transversim quævis tendit.

2. **FIGURA**, incurva, speciem clavium adulterinarum quodammodo referens.

3. **SUPERFICIES** *externa*, & *interna*; seu *superior* & *inferior*.

4. **NEXUS**, parte antica cum sterno per arthrodiam obscuram, postica cum acromio scapulæ ratione eadem.
5. **SUBSTANTIA** spongiosa, laminis compactis superinducta.
6. **DIVISIO**, claviculæ cujusvis in corpus, ac extremitates.
  - a. *Corpus, pars media*, antrorsum inflexa, hinc externe convexa, interne concava, inibique donata *fulco*, cui inhærent vasa subclavia.
  - b. *Extremitas anterior*, crassior, magis rotunda, fere triangularis.
  - c. *Extremitas posterior*, tenuior, latior, planior, *capitulo* connexa cum acromio.
7. **INSERTIONES musculorum**.
  - a. *Deltoidis*, ab extremitate posteriori ad medium corporis producti.
  - b. *Pectoralis majoris*, excurrentis ab extrem. ant. ad med. corporis.
  - c. *Masticoidei*, extremitati anteriori adnexi.
  - d. *Subclavii*, internæ superficiei extremitatem juxta posteriorem.
8. **Usus** Ut scapula, & humerus eidem firmiter adnectantur, ne anteriora versus prolabantur.

## II.

*De Scapula, seu Homoplata veniunt notanda:*

## I.

- SITUS**, in parte pectoris posteriori, ac superiori.
2. **FIGURA**, fere triangularis.
  3. **CONNEXIO**:

F

a. cum





- a. cum clavicula,
  - b. — osse humeri.
  - c. — thorace, per *syssarcofin*.
4. **SUBSTANTIA**, spongiosa, in quibusdam locis diaphana, alibi crassior.
5. **MARGINES**, seu **COSTÆ** tres:
- a. *Margo superior*, exiguus, tenuis, acutus.
  - b. *Margo inferior*, seu *anterior*, crassissimus, oblique de collo descendens, in *labium externum*, ac *internum* divisus.
  - e. *Posterior*, & *Basis* dicta *scapula*, posterius ad spinam situs vertebralem, itidem in *labium externum*, ac *internum* divisus.
- ANGULI** tres:
- a. *Angulus superior*, basin inter, ac marginem *superiorem*.
  - b. *Angulus inferior*, inter basin ac marginem *inferiorem*.
  - c. *Angulus anterior*, inter marginem *superiorem*, ac *inferiorem*, qui & *collum*, seu *cervix scapulae* dicitur.
7. **SUPERFICIES** *duæ*:
- a. *Externa*, convexa, occurrunt in hac:
    - α. *Spina scapulae*, incipiens à basi, transversim superficiem transcurrens, antè finita in *acromion*; dictamque superficiem in *cavitates* duas dirimens, quarum
      - β. *Cavitas* dicitur *supraspinata* superior, minor.
      - γ. *Cavitas* *infra spinata* inferior, major.
    - b. *Interna*, concava, *lineis* nonnullis donata *eminentibus*, cum costis decussatis, insertio-num quorundam dicata musculorum.
8. **APOPHYSES** *duæ*:
- a. *Coracoidea* incipiens a parte anteriori marginis superioris, recta sursum tendens, anteriora dein versus incurva.

- b. *Acromion* dicitur continuatio spinæ scapulæ ; lata est, planaque, occurrit in ejus parte anteriori *fovea*, in qua articulatur clavicula.
9. **CAVITAS, GLENOIDEA** dicta, in collo scapulæ, ovalis, obducta cartilagine, recipiens caput ossis humeri.
10. **INCISURÆ tres**, transitum concedentes vasibus nonnullis, ac musculis ; nimirum :
- a. *Incisura major*, inter spinam & collum scapulæ.
- b. *Incisura minor*, inter marginem superiorem, ac apophysin coracoideam.
- c. *Incisura media*, inter apophysin coracoideam, & cavitatem glenoideam.
11. **INSERTIONES musculorum :**
- a. *Trapezii*, acromio, ac spinæ integræ scapulæ.
- b. *Deltoidis*, loco eodem.
- c. *Coraco-byoidei*, margini superiori, post incisuram minorem.
- d. *Coraco-brachialis*, *pectoralis minoris*, ac capituli unius *bicipitis*, apophysi coracoideæ.
- e. *Supraspinati*, cavitati supraspinatæ.
- f. *Infraspinati*, cavitati infraspinatæ.
- g. *Subscapularis*, superficiem internam scapulæ.
- h. *Elevatoris scapulæ*, seu *musculi patientiæ*, angulo superiori basæ ad usque spinam scapulæ.
- i. *Rhomboides*, basi à spina ad angulum usque inferiorem scapulæ.
- k. *Serrati antici majoris*, interne basi integræ scapulæ.
- l. *Capitis secundi Bicipitis*, margini cavitatis glenoideæ.
- m. *Rotundi majoris*, externe, angulo inferiori.
- n. *Rotundi minoris*, interne, a margine inferiori ad angulum inferiorem.
- o. *Extensoris longi cubiti*, interne à margine inferiori ad cavitatem glenoideam.
12. **USUS.**

- a. Ut faciliores reddantur motus extremitatum superiorum.
- b. Ut parte posteriori obtegatur thorax.

## III.

*De Ossibus Humeri, seu Brachii, quorum ex utroque latere situm est unum, veniunt notanda:*

## I.

**S**ITUS, sub acromio, secundum latera thoracis.

- 2. FIGURA, oblonga, fere cylindrica.
- 3. SUBSTANTIA, compacta, interne magna cavitate donata.
- 4. CONNEXIO:
  - a. Superne cum scapula, per arthrodiam.
  - b. Inferne, partim cum cubito per ginglymum angularem, partim cum radio per arthrodiam.
- 5. DIVISIO, in corpus, ac duas Extremitates.
  - A. Extremitas superior, constat
    - a. Capite hemisphærico, cartilagine obducto, postrosum scapulam versus directo, ac in cavitatem illius glenoideam inserto, contracto in collum.
    - b. Tuberculis duobus, quorum
      - a. Majus obversum est capiti, inpressionibus donatum binis, una in apice pro musculo Supraspinato, altera eodem latere pro musculo Rotundo minori.

*β. Minus lateraliter inter præcedens situm, & caput, inpressione denuo donatum pro musculo Subscapulari.*

*c. Sulcu, inter ambo tubercula oblique descendente tendinem recipiente musculi Bicipitis.*

**B. Corpus superne rotundum, inferne latefcit: notandæ in eo spina tres:**

*a. Una à tuberculo descendit majori, adnectitur ei musculus Deltoides, ac Pectoralis major.*

*b. Altera à tuberculo decurrit minori ad extremitatem inferiorem, adnectitur huic Brachæus internus, Rotundus major, ac Latissimus dorsi.*

*c. Tertia, facie exteriori ad condylum tendit externum extremitatis inferioris, adfigitur ei Supinator longus, ac sub hoc Radiæus externus.*

**C. Extremitas inferior, lata, plana, fere triangularis, notanda in hac:**

*a. Condylis quinque, ex lateribus duo, tres in medio, nimirum:*

*α. Externe, Condylus externus, oblongus, inæqualis, spinam referens, tuberculo majori e regione obpositus; inseruntur huic: Supinator brevis, Anconæus, Extensor communis, Extensor minimi digiti, Cubitæus, & Radiæus externus.*

*β. Interne, Condylus internus, brevis, obpositus capiti; inseruntur huic: Pronator rotundus, Palmaris, Sublimis, Cubitæus, Radiæus internus.*

*γ. Pone externum condylus subrotundus, condylus dictus capitatus, cavitati extremitatis superioris radii adnexus.*

δ. *Ad internum, condylus duplex, qui & trochlea audit ossis humeri, articulatus cum cavitate sigmoidea ossis cubiti.*

b. *Cavitates tres:*

α. *Posterior retro trochleam, hæret in hac processus anconæus cubiti, dum extenditur brachium.*

β. *Anterior, ac interna supra trochleam, hæret in hac processus coronoideus, cubiti, dum flectitur brachium.*

γ. *Anterior, ac externa, exigua, supra condylum capitatum.*

6. *INSERTIONES musculorum.*

a. *Supraspinati, Infraspinati, ac Rotundi majoris, tuberculo majori. No. 5. lit. A. b. α.*

b. *Subscapularis, tuberculo minori. No. 5. lit. A. b. β.*

c. *Capitis unius Bicipitis, sulcum inter duo tubercula transeuntis. No. 5. lit. A. c.*

d. *Deltoidis, ac Pectoralis majoris, spinæ, a tuberculo magno descendenti. No. 4. lit. B. a.*

e. *Latissimi dorsi, Rotundi majoris, & Brachii externi, spinæ a tuberculo minori descendenti.*

f. *Supinatoris longi, Radialis externi, spinæ, ad condylum externum tendenti. No. 5. lit. B. c.*

g. *Supinatoris brevis, Anconæi, Extensoris communis, Extensoris minimi digiti, Cubitæ externi, condylo externo. No. 5. lit. C. a. α.*

h. *Pronatoris rotundi, Palmaris, Sublimis, Cubitæ, ac Radialis interni, condylo interno. No. 5. lit. C. a. β.*

7. *Usus ad efformandas extremitates superiores.*

## IV.

*De Cubito . seu Ulna veniunt notanda.*

## I.

- S**ITUS, in parte interna . ac inferiori antibrachii.
2. FIGURA . oblonga, fere triangularis, superne crassior, tenuior inferne.
3. SUBSTANTIA compacta, interne cavitate donata.
4. CONNEXIO.
- a. Superne cum *osse humeri* per *ginglymum angularem*.
- b. Inferne cum *carpo*, per *synevrosin*.
- c. Lateraliter, superne, ac inferne cum *radio* per *ginglymum lateralem*.
5. DIVISIO, in *Corpus*, ac *duas Extremitates*.
- A. *Extremitas superior*, maxima : de hac notanda :
- a. *Processus anconæus*, seu *Olecranon*, recipitur sub *extensione brachii* in *cavitatem posteriorem extremitatis inferioris ossis humeri*.
- b. *Apophysis coronoidæ*, sita anteriora versus, recipitur sub *inflexione brachii* in *cavitatem anteriorem, & internam extremitatis inferioris ossis humeri*.
- c. *Cavitas sigmoidea*, seu *Sinus luxatus*, inter utrasque sita *apophyses*, recipiens *trochleam ossis humeri*, in *latitudinem æque ac longitudinem linea transversali, ac longitudinali* in *duas directas superficies*.
- d. *Cavitas semicircularis*, in *exteriori facie apophyseos coronoidæ*, recipiens *extremitatem superiorem radii lateraliter*,

- e. *Tuberculum minus*, sub apophysi coronoidæ; inseritur huic musculus Brachii internus.
- B. *Corpus, pars media*, notanda veniunt in hac:
- a. *Anguli tres*:
- α. *Angulus externus*, acutus, à cavitate descendens semicirculari; inseritur ei ligamentum interosseum.
- β. *Anguli duo interni*, superior unus, alter inferior, continuationes quodammodo olecrani.
- b. *Superficies tres*:
- α. *Convexa*, inter angulum superiorem, ac inferiorem.
- β. *Concava*, inter angulum superiorem, ac externum.
- γ. *Plana*, inter angulum externum, ac inferiorem.
- C. *Extremitas inferior, minor*: notanda in hac;
- a. *Capitulum rotundum*, lateraliter intrans sinum radii.
- b. *Fovea* in capitulo, inseritur huic ligamentum, connexum cum ossibus carpi.
- c. *Apophysis stiloidæ*, cui adnectitur ligamentum carpi externum.
6. *INSERTIONES musculorum.*
- a. *Extensoris longi, Brevis, Anconæ, Brachii externi*, parti posteriori olecrani.
- b. *Brachii interni*, sub cavitate semicirculari tuberculo.
- c. *Extensoris pollicis brevis, Extensoris indicis proprii*, angulo inferiori.
- d. *Flexoris profundi*, prope Brachii internum, angulo inferiori.
- e. *Ulnaris ex- & interni*, faciei ulnæ ex- & interiori.

f. Pro-

f. *Pronatoris quadrati*, extremitati ulnæ inferiori.

7. **Usus.** Motui infervit, ac extensioni antibrachii;

## V.

*De RADIO veniunt notanda.*

### I.

**S**ITUS, in exteriori, ac superiori latere antibrachii.

2. **FIGURA**, oblonga, cylindrica, ulnâ brevior

3. **SUBSTANTIA**, compacta, interne cavitate donata.

4. **NEXUS.**

a. *Superne*, cum condylo capitato ossis humeri per arthrodiam.

b. *Inferne*, cum carpo per arthrodiam.

c. *Lateraliter superne*, ac *inferne* cum ulna per ginglymum lateralem.

5. **DIVISIO** in corpus, ac duas extremitates.

**A. Extremitas superior**, parva est, constans

a. *Capite* rotundo, lateraliter cavitatem semicircularem ulnæ intrante, superne excavato, ut condylo adnecti queat capitato ossis humeri.

b. *Collo.*

c. *Tuberositate* in latere exteriori versus ulnam, cui inferitur tendo musculi Bicipitis.

**B. Corpus** pars est media, notanda in hoc:

a. *Anguli tres*:

a. *Internus*, acutus, ulnam respiciens, cui inferitur ligamentum interosseum.



β. *Externus superior.*

γ. *Externus inferior.*

b. *Superficies tres.*

a. *Convexa* inter angulum externum, superiorem, & inferiorem.

β. *Dua Concava*, una inter angulum inferiorem, & internum, altera inter angulum internum, & superiorem.

C. *Extremitas inferior*, major; de hac notanda:

a. *Cavitas glenoidea*, divisa, ossibus connexa carpi.

b. *Apophysis stiloidea*, in latere exteriori.

c. *Incisura semilunaris* in latere interiori, ubi inhæret ulna.

d. *Sulcus* in latere exteriori, cui inhærent duæ tendines musculi Radiæi externi.

6. *INSERTIONES musculorum.*

a. *Profundi*, *Flexoris pollicis longi*, *Supinatoris brevis*, superficiei internæ versus ulnam.

b. *Extensoris pollicis longi*, *Brevis*, *Pronatoris rotundi*, superficiei externæ.

c. *Supinatoris longi*, *Pronatoris quadrati*, *Flexoris digitorum communis*, *Indicatoris*, externe extremitati inferiori.

d. *Bicipitis* tuberculo.

7. *Usus*, ut motui inserviat manus extremæ pronatione, ac supinatione.



## T A B U L A XXI.

## DE OSSIBUS MANUS.

MANUSEXTREMA, cuius pars superior *dorsum*, inferior *vola* dicitur, constat *Carpo*, *Metacarpo*, & *Digitis*.

## I.

De CARPO veniunt notanda.

## I.

- S**UPERFICIES *duæ*
- a. *Externa*, convexa.
  - b. *Internæ*, concava, in quovis angulo *eminentia* parva prædita.
2. MARGINES *quatuor*.
- a. *Superior*, seu *caput carpi*, respiciens *antibrachium*.
  - b. *Inferior*, *basis carpi*, respiciens *metacarpum*.
  - c. *Externus* pollicem spectans, & *radium*.
  - d. *Internus*, *digitum* spectans *minimum*, ac *ulnam*.
3. DIVISIO in *duos ordines*, quorum
- a. *Ordo superior* attingit *antibrachium*, ossibus.
  4. *compositus*.
  - a. Os primum dicitur *Os scaphoides*, *Naviculare*, seu *cottyloideum*. Enumeratio horum ossium incipit à margine externo. Producit os *naviculare* in superficie interna

terna unam ex quatuor supra jam exposi-  
tis eminentiis: nectitur

*Superius*, cum radio.

*Inferius*, cum trapezio, trapezoide, uti &  
osse magno.

*Interiorius*, cum lunari.

β. Alterum os audit *lunare*, seu *semilunare*,  
nectitur superne cum radio, inferne cum  
osse magno, externe cum osse scaphoide,  
interne cum osse cuneiformi.

γ. Tertium os audit cuneiforme, seu tri-  
quetrum, supreme adtingens radium, in-  
terne nexum ossi unciformi, externe ossi  
semilunari, interne ossi pisiformi.

δ. Quartum dicitur os *pisiforme*, seu *lenticu-  
lare*, seu *orbiculare*, situm hoc ad os cu-  
neiforme, magis tamen extra ordinem re-  
liquorum, eminentiam secundam ex ante-  
dictis quatuor efformat in superficie ex-  
terna, adnectuntur ei & nonnulli mu-  
sculi.

b. *Ordo inferior*, adtingens metacarpum, con-  
stans ossibus quatuor, quorum

α. Primum vocatur os *trapezium*, seu *rhomboides*, seu *multangulum majus*. Eminentiam  
hoc producit tertiam interne, donatum  
sulco est, in quo hæret Flexor pollicis.  
Superne connectitur cum osse scaphoide,  
interne cum osse trapezoide, interiorius cum  
prima phalanga pollicis.

β. Os alterum vocatur os *trapezoide*, seu  
*pyramidale*, seu *multangulum minus*, nexum  
superne cum osse scaphoide, inferiorius cum  
primo, & secundo osse metacarpi, in-  
terne cum osse magno, & externe demum  
cum osse trapezio.

γ. Ter-

- γ. *Tertium os magnum*, seu *capitatum* est, nexum superne cum osse scaphide, ac semilunari, interne cum osse unciformi, externe cum osse trapezoides, ac inferius cum secundo, ac tertio osse metacarpi.
- δ. *Quartum* vocatur *os unciforme*, apophysi uncum referente, quæ quarta interiora versus est, donata, nexum superne cum osse pisiformi, & cuneiformi, externe cum osse magno, ac interne cum tertio, ac quarto osse metacarpi.
4. **CONNEXIO**, tam per ginglymum, quam & per arthrodiam non solum ossa ad invicem nequeuntur metacarpi, sed & uniuntur hæc ipsa superne cum radio, inferne cum metacarpo.
5. **SUBSTANTIA**, ex integro spongiosa.
6. **INSERTIONES musculorum**:
- Ulnaris interni*, ossi pisiformi.
  - Abductoris, & adductoris pollicis*, ossi trapezio.
  - Abductoris digiti minimi*, ossi unciformi.
  - Ligamenti transversalis carpi*, eminentiis quatuor, in superficie interna.
7. **USUS** horum ossium est, ut flexilis reddatur manus.

## II.

*De METACARPO veniunt notanda:*

## I.

**C**omponi ossibus quatuor, oblongis, interne cavis, horum primum est longissimum, quartum brevissimum, hærent carpum inter & digitos.

a. Coar.

2. *Connecti ossa hæc eadem superne cum carpo per ginglymum angularem, cum phalanga digitorum prima per arthrodiam, ea ratione, ut*
- Os primum metacarpi superne adtingat os trapezoides, & magnum carpi, interne nectatur digito primo.*
  - Os alterum metacarpi nectatur superne ossi magno, inferne digito secundo.*
  - Os tertium metacarpi nectatur superne osse magno, & unciformi, inferne digito tertio.*
  - Os quartum metacarpi nectatur ossi unciformi, inferne digito quarto.*
3. *Componi quodvis ossium corpore, ac duabus extremitatibus.*
- Corpus pars media, externe convexa, interne concava, ex lateribus efformans margines, queis adnectuntur muscoli interossei.*
  - Extremitas superior, seu basis inæqualiter angulosa, carpo nexa, lateraliter superficie cartilaginea instructa, qua invicem sese adtingunt.*
  - Extremitas inferior, seu caput instructa capitulo rotundo, connexa cum phalanga prima digitorum.*
4. *Insertos esse:*
- Ossi metacarpi primo musculus Radiaum externum ope tendinis alterius, ac Abductorem indicis.*
  - Secundo, Radiaum ope tendinis secundi.*
  - Quarto, Cubitaum, seu ulnarem externum, ac Abductorem digiti minimi.*

## III.

*De DIGITIS veniunt notanda :*

## I.

- E**sse in quavis manuum *digitos quinque* ; quorum primus vocatur *Pollex* , alter *Index* , tertius *Medius* , seu *Longus* , quartus *Annularis* , quintus *Auricularis* .
2. Componi horum quemvis *phalangibus tribus* , quarum priores sunt longissimæ , secundæ breviores , tertiæ omnium brevissimæ .
  3. Constare quamvis *phalangam corpore oblongo* , ac *duabus extremitatibus* .
  4. NECTI *phalangeas primas extremitate superiori* per *arthrodiam metacarpo* , *extremitate inferiori* donatas esse *duobus capitulis* , ac *sinu* ; inmittuntur hæc per *ginglymum angularem sinibus duobus* , ac *eminentiæ in extremitate superiori phalangæ secundæ* præsentibus .
  5. Instruætas esse *phalangeas secundas in extremitate inferiori capitulis binis* , una cum *sinu intrantibus sinus binos* , ac *eminentiæ in extremitate superiori phalangis tertiæ* per *ginglymum angularem* .
  6. *Phalangeas tertias extremitate sua inferiori margine esse donatas* , cui adhærent *ungues* .
  7. NECTI *musculos* .
    - a. *Phalangæ primæ pollicis Extensorem* , *Thenarem* , *Hypothenarem* , & *Antithenarem* .
    - b. *Phalangis omnium digitorum reliquis tendines Extensorum* , ac *Flexorum sublimium* .
    - c. *Phalangis tertiis tendines Extensorum* , ac *Flexorum profundorum* .

## T A B U L A XXII.

DE OSSE FEMORIS, TIBIÆ, FIBULÆ,  
ET PATELLÆ.

## I.

*De Osse FEMORIS veniunt notanda:*

## I.

**S**ITUS, in partibus sceleti inferioribus; obliquum obtinet situm, ac respectu ossis ipsius superne magis ab invicem remota sunt hæc ossa, inferne magis ad sese accedentia.

2. **FIGURA**, os femoris longum est, fere cylindricum, anterius convexum, posterius concavum, omnium sceleti totius maximum.

3. **SUBSTANTIA**, maxime compacta, interne cava.

4. **NEXUS**.

a. *Superne*, cum ossibus innominatis per enarthrosin.

r. *Inferne*, cum tibia, ac patella per ginglymum angularem.

5. **DIVISIO**, in *Corpus*, ac *duas Extremitates*.

a. *De Extremitate superiori* notanda sunt:

α. *Caput*, hemisphæricum, cartilagine obductum, ab exterioribus oblique interiora versus tendens, receptum à cavitate cotyloidea, seu *acetabulo* in centro convexitatis superioris donatum *fovea*, cui adnectitur ligamentum rotundum.

β.

- β. *Collum*, à capite oblique ab interioribus exteriora versus progrediens, cum corpore efformans angulum, superius tenuius, inferius crassius, ubi & *Basis colli* audit, circulo terminatum aspero, cui adhærescit ligamentum capsulare.
- γ. *Trochanter*, seu *Rotator major*, tuberositas inæqualis, insertioni diversorum dicta musculorum, exteriora versus capiti opposita, apice terminata obtusiori.
- δ. *Trochanter*, seu *Rotator minor*, tuberositas insertioni inserviens diversorum musculorum minor, postrosum sub basi colli loco depressiori ad corpus posita.
- ε. *Linea longitudinalis*, posteriori loco inter trochanteres sita, qua cavitas posterior redditur amplior.
- ζ. *Linea similis*, loco anteriori inter trochanteres locata, basin finiens colli.
- a. Occurrunt in *extremitate inferiori*, crassiori, ac latiori, notatu digna insequentia:
- a. *Condylis duo*, quorum externus parumper minor est interno: efformant ambo anteriora versus *sinum*, in quo recumbit *pistella*.
- β. *Incisura* magna parte posteriori inter utrosque condylos; occurrit in hac ipsa ad utrumque condylum fovea semilunaris pro insertione ligamenti cruciati, multæque inpressiones pro musculis, tum & quædam foramina, quæ transeunt vasa substantiam ossis penetrantia.
- γ. *Facie* cuiusvis condyli exteriori *inpressiones* cernuntur variæ, *tuberositates*, ac *fovae*,  
G
queis



queis inhærent tum ossa sesamoidea, tum & inferuntur musculi.

c. Notanda veniunt de corpore :

α. *Superficies anterior*, paulisper convexa; inseritur huic musculus cruralis ad faciem ossis anteriorem.

β. *Superficies posterior* : linea in externam dirempta, ac internam.

γ. Linea hæc ipsa audit *aspera linea femoris*, exoriri videtur ab ambobus trochanteribus, inferius in *ramos* divisa duos, quorum quivis ad condylum tendit; utrisque intercipitur spatium triangulare.

5. *Musculorum insertiones* :

a. *Pyramidalis*, *Gemini superioris*, ac *inferioris*, *Obturatoris in.* & *externi exorientium* ex cavitate trochanteris majoris.

b. *Quadrati femoris*, adnexi facie exteriori radici trochanteris majoris.

c. *Glutæi maximi*, *medii*, ac *minimi*, externe trochanteri insertorum majori.

d. *Psoæ magni*, ac *Iliaci interni* trochanteri adherentium minori.

e. *Lividi* sub trochantere minori lineæ inserti ibi loci conspicuæ.

f. *Vasti externi*, integræ adnexi superficiei externæ femoris.

g. *Vasti interni*, integræ adnexi superficiei internæ femoris.

h. *Tricipitis*, integræ lineæ asperæ.

i. *Poplitæi*, ac *Plantaris*, condylo externo extremitatis inferioris.

k. *Gastrocnemii*, cuivis condylo capite inserti uno.

7. *Usus*, ut fulcrum subpeditet partibus inferioribus, ac faciliores earum reddat motus.

## II.

De OSSE TIBIÆ veniunt notanda:

## I.

- S**ITUS, inter os femoris, ac tarsum facie interiori.
2. FIGURA longitudinalis, triangularis, superne crassior, interne tenuior.
3. SUBSTANTIA, compacta, intus cava.
4. CONNEXIO.
- Superne cum osse femoris per ginglymum angularem.
  - Superne ac antè cum patella per synoviosin.
  - Inferne cum astragalo per ginglymum angularem.
  - Lateraliter cum fibula per arthrodiam obsecuram
5. DIVISIO, in Corpus, ac duas Extremitates.
- De Extremitate superiori, majori, quæ caput dicitur tibiæ, notanda sunt:
    - Condylus duo: internus, & externus, excavatione minus profunda donati, condyli in eam recipiuntur utrique ossis femoris.
    - Tuberculum duplex inter hosce excavationes, cui inseruntur cartilaginee, semilunares dictæ.
    - Posterior, ac sub condylo interno fovea, cui inseritur musculus tibiæ posticus.
    - Anterior, ac sub condylo externo, tuberculum, cui adnectitur fibula.
    - Anterior, ac in medio sub utroque condylo tuberculum, spina tibiæ dictam, cui

adhærescit ligamentum ad patellam tendens ac aponevroses musculorum extensorum tibiæ.

ζ. *Posterior*, inter utrumque condylum *incisura profunda*, *poplitæa* dicta.

b. De *extremitate inferiori*, quæ minor est, ac *Basis* vocatur *tibiæ*, notanda sunt:

α. *Incisura longitudinalis* in facie ejus exteriori, recipiens fibulam.

β. *Cavitas*, *linea* in *excavationes* duas planiores dirempta, recipiens *astragalum* per *ginglymum*.

γ. *Apophysis* in facie externa, *Malleolus* dicta *internus*, extremitate sua habens *fulcum*, cui inhærescit *tendo m. tibiæ postici*.

c. De *Corpore tibiæ* notanda veniunt:

a. *Anguli tres*.

b. *Superficies tres*.

α. *Angulus anterior*, incipiens à *spina tibiæ*.

β. *Angulus posterior externus*, cui implantatur *ligamentum interosseum*.

γ. *Angulus internus*, tendens ad *malleolum internum*.

δ. *Superficies interna*, subrotunda, inter *angulum anteriorem*, & *internum*, *periosteo* non nisi *obtectâ*, & *cuti*.

ε. *Superficies posterior*, inter *angulum externum*, & *internum*.

ζ. *Superficies interna*, planior, inter *angulum anteriorem*, & *externum*.

6. INSERTIONES musculorum.

a. *Tibiæ antici*, ante *condylum externum*, & sub eodem.

b.

- b. *Tibiai postici*, retro condylum internum, ac sub eodem.
- c. *Seminervi*, *Sartorii*, *Gracilis* superiori, ac intriori parti condyli interni.
- d. *Semimembranosi*, ac *Poplitei*, superiori, ac posteriori parti condyli interni.
- e. *Solaris*, *flexoris digitorum profundi*, superficiei posteriori.
- f. *Extensoris longi*, & *proprii pollicis*, faciei externæ extremitatis inferioris.
7. **Usus.** Inservit, ut pes extendi, ac inflecti queat, hinc incessum, ac adscensionem promovens.

## III.

**De PATELLA, seu ROTULA, veniunt notanda:**

## I.

- SITUS**, inter femur, ac tibiam loco anteriori.
2. **FIGURA**, superne rotunda, inæqualis tamen, ac angularis formam referens depicti cordis.
3. **SUBSTANTIA** spongiosa.
4. **CONNEXIO.**
- a. Cum *osse femoris*, per *ginglymum* angularem.
- b. Cum *tibia* per *synevrosin*.
5. **REGIONES:**
- a. *Basis*, superne respiciens femur.
- b. *Apex*, subobtusio apice spectans tibiam.
- c. *Superficies externa*, convexa, in basi parum excissa.



- d. *Superficies interna*, *linea longitudinali* in duas *divisa excavationes*, quæ cum *condylis femoris* per *ginglymum supra dictum* articulantur, ac in *apice efformant sulcum*, cui adnectitur *ligamentum exoriens à spina tibæ*.
6. *Usus*, *firmandæ* inservit *articulationi femoris cum tibia*.

## IV,

## De FIBULA, seu PERONE sunt notanda

## 1.

SITUS, latere exteriori tibæ.

2. *FIGURA* longitudinalis, fere triangularis.
3. *SUBSTANTIA* compacta, interne cava.
4. *CONNEXIO*, cum *tibia* superne, ac inferne per *arthrodiam obliquam*.
5. *DIVISIO* in *corpus*, ac *duas Extremitates*.
- a. *Extremitas superior*, longitudinalis, oblique posita, *interiori facie donata fovea*, cujus ope articulatur cum *tibia*; posterius *terminatur apice obtuso*.
- b. *Extremitas inferior*, latior, fere triangularis. *externe gaudet processu*, qui *Malleolus* audit *externus*; habet hic parte sua *posteriori sulcum*, quem transeunt *tendines musculi peronæi* *antici*, ac *postici*; *peres hunc fovea* est, in qua *recubant glandulæ mucilaginosæ*.
- c. *De Corpore tenuissimo* notantur:
- α. *Angulus internus*, adhærescit huic *ligamentum interosleum*.

β.

$\beta$ . *Angulus externus, superior.*

$\gamma$ . *Angulus externus, inferior.*

$\delta$ . *Superficies interna, inter angulum internum, superiorem.*

$\epsilon$ . *Superficies posterior, inter angulum superiorem, & inferiorem.*

$\zeta$ . *Superficies externa, inter angulum inferiorem, & internum.*

6. **INSERTIONES musculorum.**

a. *Fasciæ latæ, externe, extremitati superiori.*

b. *Bicipitis, postèrius, extremitati superiori.*

c. *Peronæi antici, & pollicis, angulo inferiori.*

d. *Flexoris, ac Extensoris pollicis, & Extensoris digitorum communis, superficiei posteriori.*

7. **Usus.** *Inservit firmandis ossibus tarfi.*



---



---

 TABULA XXIII.

## DE OSSIBUS PEDIS.

**PES EXTREMUS**, cujus *superficies superior* vocatur *Dorsum*, *inferior Planta pedis*, componitur *Tarso*, *Metatarso*, ac *Digitis*.

## I.

De **TARSO**, qui & **PED'UM** dicitur, ac ossibus  
7. componitur, duos quasi ordines constituentibus,  
veniunt notanda :

**A. ASTRAGALUS**, seu **TALUS**, os tarsi  
summum, ac primum, dividitur in *corpus*, seu  
*partem posteriorem*, ac *apophysin*, seu *anteriorem*.

De corpore veniunt notanda :

- a. *Superficies superior*, obducta cartilagine, convexa, in duos directa *condylos*, qui cum extremitate inferiori tibiæ per *ginglymum* articulantur.
- b. *Superficies inferior*, obducta cartilagine, concava, articulatur cum calcaneo, externo margine donata incisura obliqua, cui adnectitur *ligamentum capsulare*.
- c. *Superficies lateralis externa*, major internâ, latens sub malleolo externo.

d. Su.

d. *Superficies lateralis interna*, minor, donata fovea, latens sub malleolo interno.

De *Apophyssi*, qua separatur *superne* à corpore per *incisuram pluriorem*, cui inhaerent ligamentum capsulare, ac *Extensor pollicis brevis*, *inferne* per *incisuram profundiozem*, ac exteriora versus latiorez, veniunt notanda:

a. *Superficies anterior*, convexa, connexa cum osse scaphoide.

b. *Superficies inferior*, divisa in duas quasi superficies, connexa cum calcaneo.

B. **CALCANEUM**, seu **OS CALCIS**, os tarfi postremo, infimo loco situm, & reliquorum maximum; dividitur in *Corpus*, partem postremam, ac *Apophyfes duas*, unam *anteriorem*, ac *lateralem unam*.

De *Corpore* veniunt notanda:

a. *Superficies posterior*, convexa in duas fere superficies divisa; vocatur etiam *Tuberositas calcanei*; inseritur ei tendo **ACHILLIS**.

b. *Superficies anterior*, in superficies duas divisa, quarum anterior corpus recipit astragali; posterior inæqualis est.

c. *Superficies inferior*, recta, parte postica *tuberculis* duobus donata, quæ adnectitur *aponevrosi plantaris*.

d. *Superficies lateralis externa*, sola ante, ac ligamenti obtecta.

e. *Superficies lateralis interna*, excavata; transit excavationem hanc ipsam tendo musculi *Tibiæ postici*, *Abductor pollicis*, *Flexor digitorum*, & *pollicis longus*, vasa, ac nervi ad plantam pedis tendentes.



De *Apophysi anteriori* notanda sunt :

- a. *Superficies superior*, instructa plano cartilagineo, oblongo, cui inhæret *apophysis astragali*, ac incisura profunda, quæ una cum incisura in apophysi astragali efformat *cavitatem*, in qua hæret pinguedo, cum glandulis.
- b. *Superficies anterior*, articulatur cum osse cuboideo
- c. *Superficies inferior*, continuatio superficiei inferioris corporis calcanei; adnectitur ei flexor digitorum brevis.
- d. *Superficies externa*, instructa *tuberculo* pro insertione ligamenti, nectentis ossa pedis in planta, tum & *inpressionibus* quibusdam, quæ adhærescit abductor minimi digiti, ac extensor digitorum brevis.

*Apophysis lateralis*, sita in latere exteriori, amplio rem reddit excavationem in superficie interna corporis calcanei.

C. De OSSE SCAPHOIDES, seu NAVICULARI, ante astragalum in latere pedis interiori sito veniunt notanda :

- a. *Superficies posterior*, concava, connexa cum superficie anteriori convexa apophyseos astragali.
- b. *Superficies anterior*, convexa, lineis duabus in superficie tres diremta, à quibus recipiuntur ossa tria cuneiformia.
- c. *Circumferentia ovalis*, superiora versus major; adnectitur ei tendo muscoli tibialis posterioris, ad latus pedis internum in fine habet *tuberculum*, ad externum attingit os cuboideum, hujus parti inferiori adnectitur musculus Abductor pollicis, seu Thenar.

**D. De OSSE CUBOIDEO**, ante calcaneum in latere pedis externo sito, veniunt notanda:

- a. *Superficies superior*, inæqualis, tuberculis interrupta, dorsum spectans pedis.
- b. *Superficies inferior* plantam pedis respiciens, donata sinu, cui inhæret ligamentum annulare, ac tendo muscoli Peronæi longi.
- c. *Superficies posterior*, articulatur cum calcaneo.
- d. *Superficies anterior*, in duo plana divisa, queis recipit os metatarsi quartum ac quintum.
- e. *Superficies interna*, inæqualis, adtingens os scaphoides, ac os tertium cuneiforme.
- f. *Superficies externa*, donata sulco exiguo, quem transit tendo Peronæi postici.

**E. De OSSE CUNEIFORMI PRIMO**, reliquorum maximo, ante os scaphoides in latere pedis interno sito veniunt notanda:

- a. *Basis*, plantam spectans pedis.
- b. *Apex*, dorsum pedis respiciens.
- c. *Superficies interna*, convexa, & inæqualis.
- d. *Superficies externa*, adtingens superius, os cuneiforme secundum, inferius, os alterum metatarsi.
- e. *Superficies posterior*, concava, recipiens planum posterius superficiei anterioris ossis scaphoidis.
- f. *Superficies anterior*, semilunaris, connexa cum osse primo metatarsi.

**F. De OSSE CUNEIFORMI SECUNDO**, reliquorum minimo, inter cuneiforme secundum, ac tertium, ante os scaphoides sito veniunt notanda:

- a. *Basis*, dorsum spectans pedis.
- b. *Apex*, plantam respiciens.
- c. *Superficies interna*, adtingens os cuneiforme primum.
- d. *Superficies externa*, adtingens os cuneiforme tertium.
- e. *Superficies posterior*, in medio plano ossis scaphoidis sita.
- f. *Superficies anterior*, connexa cum osse metatarsi secundo.

**G. De OSSE CUNEIFORMI TERTIO**, mediæ inter tria magnitudinis, inter os cuneiforme secundum, ac os cuboideum ante os scaphoides sito, veniunt notanda :

- a. *Basis*, dorsum respiciens pedis.
- b. *Apex*, plantam pedis spectans.
- c. *Superficies interna*, superius nexa ossi cuneiformi secundo, inferius adtingens os metatarsi secundum.
- d. *Superficies externa*, articulata cum osse cuboideo.
- e. *Superficies posterior*, recipitur a plano tertio scaphoidis.
- f. *Superficies anterior*, connexa ossi metatarsi tertio.

## II.

*De Ossibus METATARSI notandum:*

- 1. Esse eorum quinque, quorum
  - a. *Primum* crassissimum, posterius nexum phalangæ pollicis primæ; inseritur faciei ejus interiori musculus Peronæus posticus.

b. *Al-*

- b. *Alterum* longissimum, posterius nexum ossi cuneiformi secundo, ac tertio, anterius phalangæ primæ digiti secundi.
- c. *Tertium*, nexum posterius ossi cuneiformi tertio, anterius phalangæ primæ digiti tertii.
- d. *Quartum*, nexum posterius ossi cuboideo, anterius phalangæ primæ digiti quarti.
- e. *Quintum*, nexum posterius ossi cuboideo, anterius phalangæ primæ digiti quinti, donatum posterius, ac exterius apophysi parum prominenti, cui ex parte iungitur planta pedis: adnectitur superficiei illius convexæ tendo musculi Peronæi antici, concavæ tendo musculi Metatarsiæi.
- a. In genere ossa metatarsi formam habent oblongam.
- a. Extremitates posteriores *Bases* dicuntur, cavitatem habent, ac per hanc ipsam connectuntur ossibus tarsi per arthrodiam.
- b. Extremitates anteriores, *Capita* vocantur quum rotunda sint, recipiuntur in cavitatem phalangæ primæ digitorum per arthrodiam.
- c. Partes mediæ, seu *Corpora* fere triangulares sunt, superius convexæ, inferius concavæ magis ab invicem remotæ, quam extremitates, quum interjecti sint musculi Interossei.

## III.


*Digiti* quinque sunt numero, quorum primus *Pollex*, phalangibus solummodo duabus componitur, quarum prima necitur ossi metatarsi primo per arthrodiam, ac phalangi primæ per ginglymum. Reliqui vero quatuor tribus singuli componuntur phalangibus, quarum prima necitur ossibus metatarsi per arthrodiam, ac phalangi secundæ per ginglymum; secunda denuo phalanx necitur tertiæ per ginglymum.

Ter;

Tertia terminatur anterior apice obtuso, cui adhærescunt *Ungues*.

- N**otandi veniunt insuper nonnulli *musculi*, adhærentes ossibus tarsi, metatarsi, ac phalangibus digitorum.
- a. *Aponeurosis plantaris*, adnectitur parti inferiori tuberositatis calcanei, ad usque phalanges digitorum excurrens.
  - b. *Flexor brevis digitorum*, exoritur eodem modo à tuberositate calcanei, finitur parte media, ac interiori phalangis secundæ digitorum quatuor ultimorum.
  - c. *Flexor longus digitorum*, adnectitur ope trium tendinum phalangi digitorum quatuor ultimorum.
  - d. *Extensor longus*, ac *brevis digitorum*, adnectuntur superius phalangibus digitorum.
  - e. *Flexor pollicis proprius* finitur parte inferiori ultimæ phalangæ pollicis.
  - f. *Extensor pollicis proprius* finitur parte superiori ultimæ phalangæ pollicis.
  - g. *Thenar pollicis*, incipit à parte inferiori calcanei, ossis scaphoidis, ac ossis magni cuneiformis, finitur parte interiori, ac posteriori phalangæ pollicis primæ.
  - h. *Antithenar pollicis*, oritur parte posteriori, ac interiori ossis metatarsi secundi, tertii, ac quarti, finitur parte phalangis pollicis primæ posteriori, ac externa.
  - i. *Transversalis*, ut musculus *adductor pollicis*, (scilicet ad reliquos digitos) oritur ab ossibus quatuor ultimis metatarsi, ubi articulantur cum phalangibus digitorum, transversim tendit ad pollicem, ac finitur parte posteriori, ac externa phalangis pollicis primæ.

- k. *Metatarsæus*, oritur juxta longitudinem partis inferioris calcanei, tendens ad partem plantæ externam, ac finitur ad apophylin ossis metatarsi ultimi.
- l. *Parathenar magnus*, oritur juxta longitudinem superficiei inferioris, ac externæ calcanei, finitur parte posteriori, & exteriori phalangis primæ digiti minimi.
- m. *Parathenar parvus*, oritur à parte inferiori, ac nonnihil externa ossis ultimi metatarsi; finitur tendine sat robusto a parte inferiori, ac nonnihil externa phalangis primæ digiti minimi.



## T A B U L A XXIV.

### DE OSSE HYOIDE, AC OSSIBUS SESAMOIDEIS.

#### I.

*De Osse HYOIDE, seu OSSE LINGUALI, aut BICORNI, veniunt notanda:*

#### I.

**S**ITUS. In parte colli anteriori, inter linguam, & cartilagineum thyreoideam.

2. **CONNEXIO**, cum lingua, larynge, processibus stiloideis, maxilla inferiori, scapula, clavicula

vicula, ac sterno, tum per synevrofin, tum per syssarcofin.

3. DIVISIO, in *Basin.* & *Cornua.*
  - a. *Basis*, pars media, cujus *superficies anterior convexa, posterior concava.*
  - b. *Cornua*, partes duæ laterales, radicem adtingentes linguæ, & processus stiloideos. Occurrunt & in subjectis nonnullis *cornua duo minora*, quæ *triticea* vocantur, ac eodem modo ligamentorum ope nectuntur processibus stiloideis. Notandus demum in osse hyoide *margo superior, ac inferior.*
4. SUBSTANTIA spongiosa.
5. INSERTIONES musculorum.
  - a. *Mylo-hyoidei*, margini superiori, ad superficiem baseos convexam.
  - b. *Genio-hyoidei*, margini superiori baseos.
  - c. *Omo-hyoidei*, superficiei convexæ baseos ad latera.
  - d. *Sterno-hyoidei*, margini inferiori baseos.
  - e. *Stylo-hyoidei*, ad nexum baseos cum cornubus.
  - f. *Basio-glossi*, superficiei concavæ baseos.
  - g. *Kerato- & Chondro-glossi*, cornubus.
  - h. *Hyo-thyreoidei*, margini inferiori baseos, aliquantum lateraliter.
  - i. *Hyo-epiglottici*, superficiei concavæ baseos, ad marginem inferiorem.
6. Usus.
  - a. Inservit, a. linguæ tum pro fulcimento firmo; tum ad motum ejusdem, tum & ad deglutitionem.
  - b. Insertioni dictorum musculorum.

## II.

*De OSSIBUS SESAMOIDEIS veniunt notanda :*

- a. Ossicula esse similia semini sesami, plerumque rotunda, in subjectis adultis, ac annosis reperiunda.
- b. In junioribus solummodo esse cartilaginea, successu temporis transire in naturam osseam.
- c. Occurrere in diversis corporis partibus, præsertim :
- α. In junctura ossium metacarpi, ac metatarsi pone phalanges digitorum, uti & inter phalangem primam, ac secundam pollicis manus.
- β. Supra condylos femoris, ubi initium est musculorum gastrocnemiorum.
- γ. In sinuositate ossis cuboidei, sub tendine musculi Peronæi postici, &c.
- d. Dum ossa duo sesamoidea adsunt in una articulatione, uti sæpius accidit in nexu phalangis primæ pollicis manus cum secunda, ac ossis primi metatarsi cum prima phalange pollicis pedis, jungi tum invicem ligamento brevissimo, sulcum, quem interceptiunt, transeunte tendine flexoris; dum vero non nisi adest unicum, situm hoc ipsum occupare medium, tendine superscandente.



- e. *Usum* quod concernit, inservire maxime tendinibus musculorum pro trochlea, adaugere robur, faciliores itidem reddere eorundem motus.

## FINIS TABULARUM OSTEOLOGICARUM.



# TABULARUM OSTEOLOGICARUM

## INDEX PRIOR.

---

---

Tabula I. De Ossibus in genere.	Pagina	1
II. — Connexione ossium.		6
III. — Divisione sceleti.		9
IV. — Cranio, ac futuris ossium cranii.		12
V. — Osse frontis.		14
VI. — Osse occipitis.		17
VII. — Osse bregmatis.		20
VIII. — Ossibus temporum.		22
IX. — Osse sphænoideo.		25
X. — Osse ethmoideo.		29
XI. — Osse maxillari superiori.		31
XII. — Osse jugali, unguis, natali, ac spongioso inferiori.		35
XIII. — Osse palatino, ac vomere.		40
XIV. — Maxilla inferiori.		43
XV. — Partibus quibusdam, ac regionibus capitis in genere.		46
XVI. — Organo auditus.		54
XVII. — Spina vertebrali.		60
XVIII. — Osse sacro, coccygis, ac ossibus innominatis.		67
XIX. — Costis, ac sterno.		75
XX. — Clavicula, scapula, humero, cubito, ac radio.		80
XXI. — Ossibus manus.		91
XXII. — Osse femoris, tibiæ, fibulæ, ac patellæ.		96
XXIII. — Ossibus pedis.		104
XXIV. — Osse hyoide, ac ossibus sesamoides.		111

---

---

T A B U L Æ

MYOLOGICÆ.



# ELENCHUS MUSCULORUM CORPORIS HUMANI.

1. MUSCULI FRONTIS,
  1. Musculi frontales.
  2. Occipitales.
2. M. Superciliorum.  
Corrugator superciliorum.
3. M. Palpebrarum.  
Orbicularis major.  
Orbicularis minor.  
Elevator palpebræ superioris.  
Depressor palpebræ superioris.
4. M. Bulbi oculi.
  1. Recti : supernus, infernus, internus, externus.
  2. Obliqui : superior, inferior.
5. M. aurium, externi  
Elevator auris externæ  
Anterior.  
Posterior.  
Tragicus.  
Antitragicus  
Helicis major.  
Helicis minor.  
Transversus auriculæ.
6. M. auris, interni.  
Mallei externus.  
Obliquus EUSTACHII.  
Mallei internus.  
Stapedius.

7. **M. Narium.**  
**Pyramidalis.**  
**Oblique descendens.**  
**Myrtiformis.**  
**Constrictor COWPERI.**  
**Nasalis ALBINI.**
8. **M. Labiorum.**  
**Constrictor.**  
**Buccinator.**  
**Zygomaticus magnus.**  
**Zygomaticus parvus.**  
**Caninus.**  
**Incisivus superior.**  
**Incisivus medius.**  
**Triangularis.**  
**Quadratus.**  
**Cutaneus.**
9. **M. Maxillæ inferioris.**  
**Masseter.**  
**Temporalis.**  
**Pterygoideus internus.**  
**Pterygoideus externus.**  
**Biventer.**
10. **M. ossis hyoidis.**  
**Mylohyoideus.**  
**Geniohyoideus.**  
**Stylohyoideus.**  
**Sternohyoideus.**  
**Omoxyoideus.**
11. **M. Linguae.**  
**Genioglossus.**  
**Basiglossus.**  
**Keratoglossus.**  
**Chondroglossus.**  
**Styloglossus.**

## 12. M. Laryngis.

Sternothyroideus.

Hyothyroideus.

Crycothyroideus.

Cricoarytenoideus posterior.

Cricoarytenoideus lateralis.

Thyroarytenoideus.

Arytenoideus obliquus.

Arytenoideus transversalis.

Thyroepiglotticus.

Aryepiglotticus.

Hyoepiglotticus.

## 13. M. Pharyngis.

Kephalopharyngeus.

Petropharyngeus.

Pterygopharyngeus.

Sphoenosalpingopharyngeus.

Stylopharyngeus.

Peritaphylopharyngeus.

Glossopharyngeus.

Hyopharyngeus.

Geniopharyngeus.

Mylopharyngeus.

Syndesmopharyngeus.

Thyropharyngeus.

Cricopharyngeus.

## 14. M. Veli palatini, ac Uvulae.

Glossostaphilinus.

Pharyngostaphilinus.

Thyrostaphilinus.

Sphoenosalpingostaphilinus.

Petrostaphilinus.

Epistaphilinus medius.

Epistaphilinus lateralis.

## 15. M. Capitis flexores.

Sternomastoideus.

Rectus anticus major.



- Rectus anticus minor.  
 Rectus anticus lateralis.  
 16. M. Capitis ; extensores.  
   Splenius.  
   Complexus major.  
   Complexus minor.  
   Rectus posticus minor.  
   Rectus posticus major.  
 17. M. Capitis , rotatores.  
   Obliquus inferior.  
   Obliquus superior.  
   Supernumerarii.  
 18. M. Colli , flexores.  
   Longus colli.  
   Scalenus.  
 19. M. Colli , extensores , & ad latus flexores.  
   Spinotransversalis colli.  
   Transversalis colli magnus.  
   Transversalis colli lateralis.  
   Interspinoſi.  
   Intertransversales.  
 20. M. Dorsi , & Lumborum.  
   Sacrolumbaris.  
   Longissimus dorsi.  
   Spinofus dorsi magnus.  
   Spinofus dorsi parvi.  
   Transversospinoſi dorsi.  
   Sacer lumborum.  
   Quadratus lumborum.  
   Psoas parvus.  
   Interspinales lumborum.  
   Intertransversi.  
 21. M. Ossis coccygis.  
   Ischiococcygeus.  
   Sacrococcygeus.

22. M. Thoracis.  
 Intercostales.  
 Levator costarum.  
 Serratus posticus superior.  
 Serratus posticus inferior.  
 Triangularis sterni.  
 Infracostales.  
 Diaphragma.
23. M. Abdominales.  
 Oblique descendens.  
 Oblique ascendens,  
 Transversalis.  
 Rectus.  
 Pyramidalis.
24. M. Ani.  
 Sphincter.  
 2. Elevatores.
25. M. Testium.  
 Cremaster
26. M. Scroti.  
 Cutaneus.
27. M. Penis.  
 2. Erectores.  
 2. Acceleratores.  
 1. Transversales.  
 2. Elevatores.
28. M. Clitoridis.  
 2. Erectores.
29. M. Vesicæ urinariæ.  
 Sphincter.
30. M. Claviculæ.  
 Subclavius.
31. M. Scapulæ.  
 Angularis.  
 Trapezius.  
 Rhomboides.



- Pectoralis minor.**  
**Serratus.**  
**32. M. Humeri, elevatores.**  
**Deltoides.**  
**Supraspinatus.**  
**Coracobrachialis.**  
**33. M. Humeri, depressores.**  
**Subscapularis.**  
**Rotundus major.**  
**Latissimus dorsi.**  
**Pectoralis major.**  
**34. M. Humeri abductores.**  
**Infraspinatus.**  
**Rotundus minor.**  
**35. M. Cubiti, ac Radii.**  
**Biceps.**  
**Brachii internus.**  
**Extensor longus**  
**Brachii externus.**  
**Extensor brevis.**  
**Anconeus.**  
**Pronator rotundus.**  
**Pronator quadratus.**  
**Supinator longus.**  
**Supinator brevis.**  
**36. M. Carpi, ac Manus.**  
**Radialis externus.**  
**Ulnaris externus.**  
**Radialis internus.**  
**Ulnaris internus.**  
**Palmaris longus.**  
**Palmaris brevis.**  
**37. M. Digitorum, communes**  
**Sublimis.**  
**Profundus.**  
**4. Lumbricales.**

Interossei.

Extensor quatuor digitorum.

38. M. Digitorum proprii.

A. Digiti indicis.

Indicator.

Abductor indicis.

b. Digiti minimi.

Auricularis.

Hypothenar.

Abductor digiti minimi.

c. Pollicis.

Flexor pollicis proprius.

Extensor pollicis proprius, longus, & brevis.

Thenar.

Mesothenar.

Antithenar.

39. M. ossis femoris.

Psoas magnus.

Iliacus major.

Iliacus minor.

Pectineus.

Glutæus magnus.

Glutæus medius.

Glutæus minor.

Triceps.

Pyramidalis.

Geminus superior.

Geminus inferior.

Quadratus femoris.

Obturator internus.

Obturator externus.

Tensor vaginæ femoris.

40. M. Tibiæ.

Rectus cruris.

Vastus externus.

Vastus internus.

**Cruralis.**

**Sartorius.**

**Gracilis.**

**Semimembranosus.**

**Seminervosus.**

**Biceps.**

**Popliteus.**

**41. M. Tarsi, & Metatarsi.**

**Tibialis anticus.**

**Peronæus medius.**

**Peronæus parvus.**

**Gastrocnemii.**

**Solæus.**

**Plantaris.**

**Tibiæus posticus.**

**Peronæus longus.**

**42. M. Digitorum pedis, communes.**

**Extensor longus digitorum pedis.**

**Extensor brevis digitorum pedis.**

**Lumbricales.**

**Interossei.**

**43. M. Digitorum pedis, proprii.**

**Extensor pollicis proprius.**

**Flexor pollicis proprius.**

**Thenar.**

**Antithenar.**

**Transversalis.**

**Abductor digiti minimi.**

**Metatarsiæus.**

**Parathenar magnus.**

**Parathenar parvus.**

## T · A · B · U · L · Æ

## M · Y · O · L · O · G · I · C · Æ .

## T A B U L A I.

## DE MUSCULIS IN GENERE.

*De Musculis corporis humani in genere consideranda  
veniunt sequentia :*

## I.

**D**ESCRPTIO. Musculus dicitur pars corporis animalis, constans fibris flexilibus, arteriis, venis hæmatophoris, vasis lymphaticis, ac nervis, *membrana speciali, quæ propria audit, cinctis.*

2. *Dividuntur* musculi in partem carnosam, ac tendineam; prior potissimum partem musculi occupat mediam, ac *venter* dicitur, seu *caro musculi*, aut *corpus*, rubella hæc est, mollis, rarior, ac crassa; musculi pars tendinea proprio termino *tendo* audit *musculi*: occurrit in plerorumque musculorum ambabus extremitatibus *tendo*, alter *caput* vocatur, seu *punctum fixum*, alter *cauda*, seu *punctum mobile*. Sed & expanditur nonnunquam *tendo* musculi in *textum densum*, albentem, qui nomen habet *aponeuro-*



*neuroseos*. Totum hoc discrimen quærendum in densitate fibrarum muscutorum, remotæ hæ sunt in ventre muscoli paulo magis ab invicem, & hærent vasa multa hæmatophora inter easdem, unde venter crassior adparet, ac ruber: in tendine vero ac aponevrosi fibræ arctissime sibi connectuntur, tensæ multo magis sunt, vasa nulla recludunt hæmatophora, sed mera lymphatica.

2. *Structura*. Musculus quivis constat ex fibris flexilibus muscularibus &c. (No. 1.) Notanda hic sequentia:

Fibra quævis muscularis musculo integro similis est, cingitur eadem ratione externe membrana propria, recumbunt intra hanc innumeræ aliæ fibræ minores, queis intertexta sunt vascula omnium ordinum. Fibra talis exillissima licet constat denuo partibus nunc expositis; divisio hæc eousque tandem progreditur, ac fibræ hæ eadem conspici adhuc dum possunt; fibra autem omnium minima dividi hoc modo ultra nequit. Vocatur hæc *fibrilla muscularis*; ex fibrillis his adunatis oriuntur *fibræ*, ex fibris oriuntur *musculi*.

b. Membrana musculum totum ambiens, propria ante dicta, cellulosa est, & in cellulis suis continet pinguedinem; substantiam intrat muscoli, membranam inibi efformat, ambientem fibras, ac inter easdem pari ratione constituit cellulas, pinguedine refertas.

c. Musculum omnem intrat nervus. Prius tamen membranas suas extimas exuit, quæ, ut continuatio duræ, piæque meningis membranas laciunt muscutorum proprias. Fibræ autem nervi medullares per totum dispersuntur musculum; quædam harum transversim

qua:

quasi fibras musculorum longitudinales penetrant, easdemque invicem neſtunt; aliæ tamen, quæ ex integro evanescere quaſi videntur, probabili maxime ratione vasculis minimis hæmatophoris ac lymphaticis cinctæ fibrillam sic constituunt musculorum minimam.

d. Ad omnes musculos venit arteria, per totam eorum fabricam undique divisa, ac in textum tandem vasis meris conflatum retiformem evanescens; nulla tamen arteria tendinem intrat muscoli, sed intrant vasa lymphatica. Ex ultimis arteriarum finibus exoriuntur in musculis tres vasorum species, nimirum:

α. Arteriæ lymphaticæ.

β. Canales nonnulli secretorii, quorum ope pinguedo secernitur in cellulas.

γ. Venæ quædam hæmatophoræ, ad constituendum supra dictum textum concurrentes; ampliores sensim evadunt, ac ramo tandem communi egrediuntur muscolum.

4. *Denominationes musculorum.* Differunt pro variis circumstantiis; differentia vero hæc potissimum à magnitudine eorum, figura, structura, connexionione, ac usu, seu munere dependet.

5. *Nexus firmus.* Musculi plerique duabus suis extremitatibus adneſtuntur, firmanturque locis duobus diversis diversorum duorum ossium; sunt tamen qui tum ossi, tum & cartilagini firmantur, uti muscoli auris, ac nasi. Sunt & alii, qui adneſtuuntur extremitate una ossibus, altera autem intra integumenta evanescunt, uti muscoli nonnulli faciei; alii denuo inseruntur partibus mollibus aliis; uti Cutanei, Musculi oculorum



lorum, Lumbricales &c. quin & occurrunt musculi ossibus immediate omnino non adfixi, nisi id fiat interventu membranarum, ad hos pertinent Sphincteres quidam, Musculus Cordis &c.

6. *Ufus, ac Officium*, Consistit potissimum in eo, ut motui inserviant partium omnium corporis animalis durarum, mollium, ac fluidarum: motus autem partium musculosarum in corpore nostro imprimis occurrunt duplices. Quam, in statu naturall, prius non fiunt, quam mens id imperet; alii autem sine omni mentis imperio, quin & contra, aut præter hoc ipsum perficiuntur. Priores dicuntur *motus voluntaris*, posteriores *motus spontanei, involuntaris, seu automatici*.

## T A B U L A II.

### DE MUSCULIS FRONTIS, SUPERCILIORUM, AC PALPEBRARUM.

*Musculis quatuor frons sursum elevatur: scilicet:*

#### I.

**D**uobus **FRONTALIBUS**: lati ac tenues immediate sub cuti frontis locantur. Exoriuntur ab apophysis orbitalibus internis ossis frontis, inmittunt fibras quasdam musculis superciliorum, palpebrarum, ac nasi, procedunt ad usque partem superiorem ossis frontis, fibris  
 ex

ex utroque latere oblique exteriora versus inflexis, per decursum cuti firmiter adnectuntur, ac in latam evanescunt aponevrosin, ossibus bregmatis superintensam.

2. **Duobus OCCIPITALIBUS.** Oriuntur ab angulis lateralibus ossis occipitis, ac parte postrema processus mastoidei, hinc obliquo decursu a parte posteriori ad anteriorem sursum supra portionem ossis bregmatis posticam feruntur, in medio capitis, frontaliū ad instar in aponevrosin terminati. Connexa hæc est cum aponevrosi frontaliū, & ex connexione hac formatur species galericuli, superficie externa cuti arcte adhærentis, interna autem mediante substantia cellulosa pericranio liberius nexi; quo mechanismo & una cum cuti facile moveri valet. Augetur insuper satis hicce galericulus aponevroticus fibris tendineis musculorum trapeziorum.

Musculi frontales. & occipitales in actione sibi invicem quodammodo subveniunt, & occipitales solummodo adjuvant agentes frontales, dum frontem una cum superciliis adtollunt, ac frontem reddunt rugosam.

- II. *Ad musculos superciliarum* pertinet **CORRUGATOR SUPERCILIORUM**, seu **SUPERCILIARIS**: exoritur à radice narium, ac in cutim, cui incumbunt supercilia, evanescit: dum ambo agunt, supercilia magis ad invicem adducuntur, & cutis obtegens partem inferiorem frontis, & radicem nasi in rugas longitudinales contrahitur.

III. *Musculi Palpebrarum* sunt sequentes:


1. **ORBICULARIS**, seu **CONSTRUCTOR PALPEBRARUM MAJOR**: Constat fibris semicircularibus, margines orbitæ ambientibus ad

1 utrum.



utrumque oculorum canthum inprimis autem ad canthum majorem, seu internum sese decussantibus, ubi loci tendinem efformat validum, processui nasali ossis maxillaris superioris adnexum. Cutim circa oculos contrahit.

2. ORBICULARIS *minor*, seu CILIARIS, fibrarum componitur stratis tenuibus, proxime sub cuti supra palpebras dispositis. Palpebras claudit, utraque ad invicem adducens, uti fit, dum v. c. obdormiscimus.
3. ELEVATOR *palpebrae superioris*. Exoritur in fundo orbitae, prope fissuram sphenoidalem, antrosum descendens sensim magis latescit, ac finitur ad marginem tarsi palpebrae superioris. Elevat palpebram, uti fit, dum v. c. evigilamus.
4. DEPRESSOR *palpebrae inferioris*. Strato constat fibrarum carnearum lato, à cuti malarum, saepius & ab osse ipso jugali exorientium, ac ad marginem palpebrae inferioris terminatarum. Palpebram inferiorem deorsum trahit.



## T A B U L A III.

### DE MUSCULIS BULBI OCULI, AC AURIUM.

#### I.

**M**MUSCULI, BULBUM OCULI *moventes*, sex sunt numero; ob directionem, queis componuntur fibrarum in *rectos* dirimuntur, ac *obliquos*. Ad *rectos* referuntur quatuor, nimirum:

a. Su-

- a. *Superior, adtollens, seu superbus.*  
 b. *Inferior, deprimens, seu humilis.*  
 c. *Externus, abducens, seu indignatorius.*  
 d. *Internus, adducens, seu hibitorius.*

**Ex**oriuntur omnes parte orbitæ postica à productione duræ matris ad foramen opticum tendinibus brevibus, contractis, anteriora versus protensi carnosi fiunt, mox tamen in tendines, seu aponevroses denuo abeunt, antè tunicæ scleroticæ adhærescentes, ad usque corneam transparentem excurrentes, ope productionis, tunicam oculi tendineam efformantis. Dum quatuor hi musculi seorsim agunt, bulbum oculi sursum, deorsum, introrsum, extrorsum ducunt; dum agunt vi conjuncta, ita tamen, ut unus post alterum constringatur, bulbus in gyrum movetur, *intorquetur*. Dum demum omnes quatuor simul, & semel agunt, bulbus oculi in motus, fixusque retinetur, uti fit dum attoniti videmus, aut fixis oculis quid intuemur; tum vero bulbum retraherent in partem orbitæ posticam, nisi **MUSCULI OBLIQUI** eorum forent **AUTAGONISTÆ**.

*Ad Musculos obliquos pertinent:*

- I. OBLIQUUS SUPERIOR**, seu **TROCHLEARIS**. Exoritur denuo parte orbitæ postica inter muscolum rectum superiorem, ac inferiorem, protenditur dein in tendinem longum, parum latum, transeuntem trochleam, margini superiori orbitæ versus canthum oculi majorem adhærentem, partim cartilagineam partim tendineam; hanc eandem egressus retrocedit versus partem bulbi posteriorem, ubi & parti posticæ tunicæ scleroticæ inplantatur.

2. **OBLIQUUS INFERIOR.** Exoritur parte anteriori ad marginem orbitæ inferiorem. prope ductum nasalem, sub bulbo decurrens parti ejus posteriori penes tendinem obliqui supericris inseritur.

Musculi hi duo bulbum oculi motu obliquo ad utrumque oculi canthum adducunt.

- II. MUSCULI AURIS** tum ad *externam*, tum ad *internam* spectant *aurem*. Sub *aure externa* sumitur cartilago, externe ossibus adnexa temporum conspicua, in varias eminentias, & cavitates divisa, quæ *Helix*, *Antihelix*, *Tragus*, *Antitragus*, *Lobulus*, *Scapha*, *Concha*, & *Meatus auditorius externus* dicuntur.

Ad *aurem internam* referuntur: *Cavitas tympani*, recludens *officula quatuor auditus*, *Labyrinthus*, ac *Meatus auditorius internus*.

**MUSCULI AURIS EXTERNÆ** sunt:

1. **ELEVATOR AURIS EXTERNÆ**, seu **SUPERIOR**. Componitur strato fibrarum tenui, ab integumento aponevrotico muscoli crotaphitis exoriente, ac in partem convexam scaphæ, superioremque conchæ inserto.
  2. **ANTERIOR**. Fibræ hujus tenuiores adhuc sunt; exoritur a radice processus zygomatici, ac in partem anteriorem, & superiorem conchæ inmergitur.
  3. **POSTERIOR**. Oritur à processu mastoideo ac parte finitur posteriori convexitatis conchæ.
- Præter musculos nunc enumeratos **SANTORINUS** in *observationibus suis anatomicis*, & post illum **ALBINUS** in *Historia muscutorum corporis humani* varios insuper adnotarunt minores in *aure externa*, nempe: *Tragicum*, *Antitragicum*, *Majorem*, & *Minorem belicis*, & *Transversum auriculæ*:  
adeo

adeo tamen subtiles sunt, ut sæpius ne quidem detegi valeant, aut non nisi in subjectis valde carnofis. Usus musculis auris externæ adscribitur; ut cartilago auris mobilis jam relaxari, jam Intendi eorum auxilio possit, hinc vero & sonus nunc intensior, nunc remissior reddatur: verumtamen apud nationes europæas usus hic locum vix habet, quum aures iisdem sint immobiles, ex eo, quod capita infantum tenellorum jam ab initio, quo in lucem veniunt, fasciis, linteisque obvolvuntur, aures capiti adprimantur, & per longius tempus fibris ea inprimatur dispositio, ut capiti adhærescant, hinc motui reddantur ineptæ; usus hinc paulo ante adlatus nationibus solummodo barbaris, quibusque aures in infantia non adstringuntur, permanebit in specie proprius; quam circa rem experientia ulterius consuli debet.

Ad MUSCULOS AURIS INTERNÆ referuntur MUSCULI MALLEI, ac STAPEDIS, sequentes:

1. MUSCULUS MALLEI EXTERNUS, oritur proxime ante processum spinosum ossis sphenoidæi; tendine longo, ac tenui filuram transit cavitatis ossis temporum articularis, cavitatem ingressus tympani adnectitur radici processus manubrii. Agens musculus hic malleum exteriora magis versus meatum trahit auditorium externum, quumque membranæ adhæreat firmiter tympani, hæc ex concava figura nunc planior fit, ac relaxatur, unde & LAXATOR dicitur TYMPANI EXTERNUS.

2. MUSCULUS OBLIQUUS EUSTACHII, seu FOLLIANUS, Oritur à portione carti-



laginea tubæ *Eustachii*, & semicanali ejusdem, qui in cavitate cernitur tympani, ac inseritur apophysi colli. Agens tendit tympanum.

3. **MUSCULUS MALLEI INTERNUS.** Oritur inter foramen ovale, ac hamulum canalis pro musculo *Eustachii* obliquo; finitur ad angulum mallei, quem caput efformat cum manubio. Agens & hic tendit tympanum.

4. **MUSCULUS STAPEDIS.** Oritur in canali eminentiæ pyramidalis, qui & hac ex ratione canalis audit pro musculo stapedis, transversim ad stapedem pergit, ejusque capiti adnectitur. Stapedem à fenestra ovali agens retrahit.



## T A B U L A IV.

*De Musculis Nasi, ac Labiorum.*

### I.

**A**d **MUSCULOS NASI** proprie non nisi octo referuntur, quorum ex utroque latere quatuor locantur; *tres dilatant foramina narium, unus eadem constringit.* Sunt:

1. **PYRAMIDALIS;** Oritur a nexu ossium nasi cum osse frontis ubi & fibras suas cum fibris muscoli frontalis, & supercilliorum confundit, juxta longitudinem ossis nasi descendit,

dit, ac cartilagini nequitur mobili, alam nasi efformanti.

2. **OBLIQUE DESCENDENS**, Oritur à processu nasali ossis maxillaris superioris proxime sub ejus nexu cum osse frontis, penes incisivum, ad latus nasi descendit, ac inferitur cartilagini nasali versus os maxillare superius.
3. **MYRTIFORMIS**, seu **OBLIQUE ASCENDENS**, Oritur ab osse maxillari superiori proxime ad marginem inferiorem orbitæ versus nasum, tum oblique parum ascendit, ac dictæ denuo firmatur cartilagini.
4. **CONSTRUCTOR COWPERI**, seu *transversus* **SANTORINI**, seu **DEPRESSOR ALÆ NASI**. Oritur ab osse maxillari proxime supra dentem caninum, medium absolvit circulum, ac parti firmatur nasi laterali.

Nonnulli auctores huc insuper referunt **MUSCULUM NASALEM ALBINI**: oritur fibris paucis à musculo orbiculari labiorum ac septo adhærescit narium. *Vid. ALBINI Histor. muscul. Tab. XI. Fig. X. lit. q. r.*

**II. MUSCULI LABIORUM** (qui in subiectis diversis adeo variare solent, ut mirum minime sit, si descriptiones eorum ab auctoribus anatomicis relictae tantopere discrepent) dividuntur in *communes*, & *proprios*.

**COMMUNES LABIORUM MUSCULI** dicuntur, qui utrumque labium simul movent, ac eorum angulis inferuntur. **PROPRII** autem dicuntur, qui non nisi unicum movent labium, ac non nisi uni, seu superiori, seu inferiori inferuntur; inde ulterius dirimuntur in **PROPRIOS LABII SUPERIORIS**, ac **LABII INFERIORIS**. Ad

COMMUNES pertinent : CONSTRICTOR ORIS, BUCCINATORIS, & ZYGOMATICI MAJORES : ad PROPRIOS LABII SUPERIORIS : ZYGOMATICI MINORES, CANINI, ac INCISIVI MAJORES & MEDII : ad PROPRIOS LABII INFERIORIS : TRIANGULARES, QUADRATUS, ac INCISIVI MINORES, queis *Cl. WIN-LOWUS* insuper accenset CUTANEUM.

Quoad horum omnium *insertiones* notanda sunt sequentia:

1. CONSTRICTOR, seu ORBICULARIS, seu SPHINCTER ORIS; componitur fibris latis semicircularibus, os ambientibus ea ratione, ut fibræ labii superioris sese decussent cum fibris labii inferioris ad angulos oris. Hanc ob causam dividerunt nonnulli muscolum hunc orbicularem in duas partes, & superiorem SEMIORBICULAREM SUPERIOREM, inferiorem SEMIORBICULAREM INFERIOREM dixere. Formantur sphinctere oris potissimum labia, eaque muscularis quibusdam faciei adnectit. *Cl. WINSLOWUS* nunc insuper refert alios duos musculos, quos SUPRASEMIORBICULARES vocat. Strata hi sunt lata fibrarum, exorientia ab angulis labiorum, ac forma semicirculi fere ad usque septum narium tendentia, sub quo gingivæ adfiguntur. *Vid. Tab. hæc eadem I. n. 4.*
2. BUCCINATOR. Exoritur secundum longitudinem ab alveolis dentium molarium superioris, inferiorisque maxillæ, & à ligamento insuper maxillari, proxime post il-  
lum

lum sito, & maxillæ tam superiori, quam inferiori adfixo, finitur in angulo labiorum, sub orbiculari, cui fortiter adfixus est. Sub masticatione cibos adprimit, dentibus subjicit.

3. **ZYGOMATICUS MAGNUS.** Oritur ab osse jugali, ubi nexum est apophysi zygomaticæ ossis temporum: à posteriori parte anteriora versus oblique descendit, & ad angulos evanescit labiorum. Labia sursum, & ad latera trahit.
4. **ZYGOMATICUS PARVUS.** Musculus exiguus, tenuis oritur ab osse jugali, statim supra zygomaticum magnum, extremitate altera jungit sese incisorio vicino magno; eandem etiam cum hoc eodem actionem habere videtur.
5. **CANINUS.** Oritur fibris latis ab osse maxillari superiori inter foramen orbitale anteriorius, ac apophysin molarem ossis zygomatici; oblique descendit, proxime ad angulum labii superioris finitur. Labium superius elevat.
6. **INCISIVUS SUPERIOR, seu MAGNUS,** oritur a parte ossis maxillaris, marginem faciente orbitæ interiorum, labio superiori lateraliter inferitur. Labium hoc elevat.
7. **INCISIVUS MEDIUS.** Oritur sub spina nasali, ac prope eandem, supra alveolos dentium incisoriorum, finitur facie interna labii superioris. Labium elevat.
8. **TRIANGULARIS,** oritur à labio externo baseos maxillæ inferioris fibris latis, ascendendo in triangulum sensim coeuntibus; inferitur prope angulum labii inferioris. Labium detrahit.





9. **QUADRATUS**, seu **MENTALIS**, oritur facie anteriori maxillæ inferioris prope symphysis, & ab ea ipsa, finitur ad medium labii inferioris. Labium detrahit.
10. **INCISIVUS INFERIOR** Oritur cum scio, vicinissimo illico supra symphysis mentalem sub dentibus incisoriis maxillæ inferioris, ambo inferuntur labio inferiori. Mentum elevat; quo mechanismo & labium simul elevatur inferius.
11. **CUTANEUS**, seu **LATISSIMUS COLLI**, seu **PLATYSMA MYOIDES**, strato constat fibrarum muscularium valde lato, partem colli totius anteriorem, uti & laterales obtegentium. Oriuntur à clavicularibus, ac musculis Deltoides, & pectoralibus majoribus; sursum ascendunt, cuti firmiter adnexi; ac inferuntur tum labio externo basos externæ maxillæ inferioris, ( fibræ tamen hæ maxime in musculo evanescent triangulari, ) tum & supra musculos decurrunt Masseteres, undique per faciem dispersi, factis extremitatibus aponevroticis. Ob expansionem hanc aponevroticam musculo huic adtribuuntur diversæ adeo à variis animi pathematibus exorientes vultus inmutationes. Maxillam insuper, uti auctores nonnulli autumant inferiorem detrahit.



## T A B U L A V.

*De Musculis maxillæ inferioris.*

**M**axilla inferior vi suæ articulationis cum ossibus temporum non solum sursum, ac deorsum, sed & antrorsum, postorsum, ac ad latera moveri valet. Motus hi omnes perficiuntur actione decem musculorum, quorum ex utroque latere quinque sunt; nimirum: MASSETER, TEMPORALIS, PTERYGOIDEUS EXTERNUS, PTERYGOIDEUS INTERNUS, ac DIGASTRICUS.

1. **MASSETER**, musculus est crassus, carnosus, componitur portionibus duabus. Utræque exoriuntur a margine infimo ossis zygomatici, ac processus zygomatici ossis temporum, finiuntur ad superficiem externam anguli maxillæ inferioris. Maxillam elevat.

2. **TEMPORALIS**, seu **CROTAPHITES**, oritur à parte laterali, ac inferiori ossis frontis, à parte inferiori ossis bregmatis, squamosa ossis temporum, ac processibus temporalibus ossis basilaris, cavitatem replet integram temporalem, ac zygomaticam, inibi- que ab utraque pericranii lamina totus investitur, finitur tandem tendine valido ad apophysin coronoideam maxillæ interioris, quam undique arcte ambit. Maxillam inferiorem elevat.



3. **PTERYGOIDEUS INTERNUS**, seu **MAGNUS**, oritur in fovea pterygoidea, potissimum à superficie interna alæ externæ apophyseos pterygoideæ ossis basilaris, oblique parum anteriora versus progreditur, ac inplantatur superficiei internæ anguli maxillæ inferioris eminentiolis. Una cum socio maxillam elevat, ac ad latus ducit.
4. **PTERYGOIDEUS EXTERNUS**, seu **PARVUS**. Oritur à superficie externa alæ externæ processus pterygoidei, ac à parte ossis maxillaris processui huic connexa; hinc ab anterioribus postrosum pergit, inseritur collo condyli maxillæ inferioris, & ligamento capsulari. Cum socio maxillam antrorsum ducit ita, ut dentes incisores, & canini inferiores promineant ante superiores; dum vero unus post alterum agit, maxilla motu obliquo antrorsum à latere uno ad alterum movetur.
5. **BIVENTER**, seu **DIGASTRICUS**; Extremitates ejus utræquæ carnosæ sunt, in medio tendinescit. Oritur extremitas una carnosâ in sulco prope processum mastoideum, hinc antrorsum tendit, musculum perforans stylohyoideum; extremitas altera carnosâ denuo exoritur ab asperitatibus superficiei internæ symphyseos maxillæ. Ambæ in medio coeunt in tendinem, incurvum, ligamento aponevrotico lateribus ossis hyoidei adnexum. Maxillam una cum socio alterius lateri deducit, hinc os aperit.

## T A B U L A VI.

*De Musculis ossis hyoidis, ac linguæ.*

## I.

**O**S HYOIDES dicitur os in parte colli anteriori inter linguam, & cartilagine[m] thyroideam situm; connexum linguæ, larvngi, pharyngi, tum & maxillæ inferiori, procellibus styloideis, scapulæ, claviculæ, ac sterno interventu tum musculorum, tum ligamentorum; ideoque musculorum à partibus nunc adlatis nomina formantur. OS HYOIDES dividitur in *basin*, & *duo cornua*; *basis* dicitur *pars media*, *cornua* dicuntur *partes protentæ laterales*; occurrunt interdum & quatuor cornua, ita, ut prope *majora* alia insuper duo sint *minora*.

*Musculi ad Os hyoides referuntur insequentes:*

1. MYLOHYOIDEUS. Musculus est latus, tenuis, portionibus proprie constans duabus, tendine intermedio invicem connexis. Punctum ejus fixum est ex utroque latere juxta longitudinem superficiem internam maxillæ inferioris, ad symphysin hujus progrediens parte superiori baseos ossis hyoidis terminatur.
2. GENIOHYOIDEUS. Punctum hujus fixum proximum symphysi mentali est, inseritur parti superiori baseos ossis hyoidis, statim sub præcedenti.

Mu-

Musculis hisce ambobus os hyoides recta sursum movetur, uti observatur sub deglutitione.

3. **STYLOHYOIDEUS.** Oritur ab extremitate apophysicos styloideæ, ad nexum cornuum cum basi. In medio à tendine digastrici perforatur: agens os hyoides nonnihil ad latus ducit.
4. **STERNOHYOIDEUS.** Oritur à sterno, ac clavicula, inseritur parti inferiori baseos ossis hyoidis, os hæc ipsum deorsum trahit.
5. **OMOHYOIDEUS.** Oritur à margine superiori scapulæ; inseritur parti inferiori, ac laterali baseos ossis hyoidis. In medio tendine donatus est longo, angusto: os hyoides elevat, nonnihil ad latus ducit.

## II.

**LINGUA** motus exserere valet innumeros; perficiuntur hi omnes non solum à quinque musculorum paribus, extremitate una linguæ, altera vero aliis partibus insertis; sed & a fibris carneis, in lingua ipsa exorientibus, eique denuo inplantatis. **WINSLOWUS** posteriores *musculos* dicit *intrinsecos*, priores vero *extrinsecos*. Auctores alii *musculos intrinsecos* aliter adpellant, ac uno nomine *musculum* vocant *lingualem*. Sub *Musculo* ergo *linguali* nil intelligitur aliud, nisi ipsæ *fibræ musculares*, queis linguæ substantia componitur, quæque *vel longitudinales* sunt, *vel transversales*.

*Musculi extrinseci* sunt:

1. **GENIOGLOSSUS.** Oritur à symphyssi mentali, supra geniohyoideum; inseritur secundum longitudinem parti linguæ inferiori; anteriora versus linguam ducit.

2. **BASIOGLOSSUS.** Oritur à margine superiori baseos ossis hyoidis prope cornu majus; inferitur baseos linguæ parti inferiori.
3. **KERATOGLOSSUS,** oritur à cornu majori ossis hyoidis; inferitur parti laterali radicis linguæ.
4. **CHONDROGLOSSUS.** Oritur ab extremitate cornu majoris ossis hyoidis, inferitur linguæ lateraliter, ac magis posteriora versus. Musculis hisce tribus lingua postrosum, ac deorsum ducitur, hinc brevior reditur.
5. **STYLOGLOSSUS.** Oritur ab apophysi styloidea; inferitur parti inferiori, laterali, ac posteriori linguæ. Postrosum, ac ad latus linguam ducit.

## T A B U L A VII.

### *De Musculis Laryngis, & Pharyngis.*

#### I.

**L**ARYNX pars est suprema asperæ arteriæ; linguæ, ossi hyoideo, ac pharyngi exacte nexa componitur *quinque* potissimum *cartilaginibus*, quarum

1. **CARTILAGO THYROIDEA,** seu **SCUTIFORMIS,** maxima, antè sita, efformans sic dictum *Pomum Adamsi.*

2. **CARTILAGO CRICOIDEA**, seu **ANNULARIS**. Priori subjacens, posteriora versus major.
3. & 4. **CARTILAGINES ARYTENOIDEÆ**, seu **GUTTALES**, incumbentes margini superiori cartilaginis cricoideæ posteriora versus, in medio intercipientes aperturam, *Glottis* dictam.
5. **EPIGLOTTIS** Adjacens parti cartilaginis thyroideæ posteriori, ac superiori, cui & ope ligamenti est adnexa.

Cartilagines nunc explicitæ varium in sensum mobiles sunt interventu musculorum iisdem adhærentium. *Musculi Laryngis* dividuntur in *communes*, ac *proprios*; priores movent laryngem integram, posteriores movent cartilagines ejusdem seorsim.

Ad *communes* referuntur insequentes, quorum ex utroque latere situs est unus.

1. **STERNOTHYROIDEUS**, seu **BRONCHIALIS**, seu **STERNO-CLEIDO-PRONCHO-CRICO-THYROIDEUS**: Musculus longus, complanatus, tenuis oritur à superiori parte sterni, ejusque facie interna, ac vicina huic parte claviculæ, parte demum cartilaginea costæ primæ, transcendit glandulam thyroideam; adnectitur cartilaginis thyroideæ superficiei laterali. Laryngem utrique detrahunt, glottidem dilatant.
2. **HYOTHYROIDEUS**, Musculus denuo complanatus, tenuis exoritur a facie interna, excavata ossis hyoidis; inseritur superficiei cartilaginis thyroideæ supra sternothyroideum. Ambo laryngem elevant, os hyoides detrahunt. Ad

Ad *proprios* pertinent insequentes ; quorum pariter ex utroque latere unus adest.

1. **CRICOTHYROIDEUS**, oritur à parte anteriori cartilaginis cricoideæ ; inferitur faciei externæ partis inferioris, ac lateralis cartilaginis thyroideæ. Musculus hic duplex quodammodo videtur, ut una pars magis anteriora versus, altera lateraliter sita sit ; unde & in **CRICOTHYROIDEUM LATERALEM**, & **ANTERIOREM** diremtus fuit.
2. **CRICOARYTENOIDEUS POSTERIOR**, oritur a tota superficie posteriori cartilaginis cricoideæ, oblique ascendit, ac parti adfigitur inferiori cartilaginis arytenoideæ.
3. **CRICOARYTENOIDEUS LATERALIS**, oritur denuo à cartilagine cricoidea nonnihil lateraliter ; inferitur parti laterali inferiori cartilaginis arytenoideæ. Musculis his ex utroque latere sitis, una cum oppositis cartilagine arytenoideæ ab invicem removeri queunt, ut *Glottis* amplietur.
4. **THYROARYTENOIDEUS**, oritur à facie interna cartilaginis thyroideæ, ascendit, & cartilagini adnectitur arytenoideæ.
5. **ARYTENOIDEUS OBLIQUUS**, oritur una cum socio alterius lateris a partibus superioribus, & nonnihil lateralibus cartilaginis cricoideæ ; sese invicem decussant, ac inferitur dexter cartilagini arytenoideæ sinistrae, sinister cartilagini arytenoideæ dextrae.
6. **ARYTENOIDEUS TRANSVERSALIS**. Simplex est, illico sub priori situs, oritur à cartilagine arytenoidea una, ac inferitur alteri.



- Musculi nunc expositi tres ac primorum duorum socii cartilagineas arytenoideas contrahunt, hinc glottidem arctant.
7. **THYROEPIGLOTTEUS**, oritur ab interiori facie laterali cartilaginis thyroideæ, decussatur cum musculo Thyroarytenoideo; inseritur lateraliter epiglottidi. Detrahit epiglottidem, ut obtegere queat glottidem.
  8. **ARYEPIGLOTTEUS**, oritur à superiori parte cartilaginis arytenoideæ, inseritur margini epiglottidis. Detrahit eandem.
  9. **HYOEPIGLOTTEUS**. Simplex est, oritur ab osse hyoide; inseritur epiglottidi: eandem elevat, unde & a quibusdam auctoribus **ELEVATOR** dicitur **EPIGLOTTIDIS**.

## II.

**PHARYNX** *suprema pars* est **OESOPHAGI** (uti *larynx* *asperæ arteriæ*) Partem ambit oris *posteriorem* integram, structuræ maximam partem muscularis est. variis insuper donatur musculis, aliis partibus adfixis, hinc & nominibus diversis donatis: referuntur huc insequentes, quorum ex utroque latere situs est unus:

1. **KRPHALOPHARYNGEUS**, oritur ab apophysi cuneiformi ossis occipitis prope condylum; inseritur parti posteriori pharyngis; eundem agens elevat.
2. **PETROPHARYNGEUS**, oritur ab infima parte ossis petrosi.
3. **PTERYGOPHARYNGEUS**, oritur a margine alæ internæ apophysidis pterygoideæ.

4. **SPHOENOSALPINGOPHARYNGEUS**; Oritur tum ab apophysi spinosa ossis sphœnoidei, tum à parte cartilaginea tubæ Eustachii. Musculi hi tres una cum sociis suis ex utroque latere oblique postrosum decurrunt; inferuntur pharyngi, ad lineam ejusdem albam coeuntes. Mediam pharyngis partem elevat.
5. **STYLOPHARYNGEUS**. Oritur à medio processu styloide, inferitur lateri pharyngis; eundem lateraliter elevat.
6. **PERISTAPHILOPHARYNGEUS**, seu **PTERYGOSTAPHILOPHARYNGEUS**, seu **HYPEROPHARYNGEUS**, seu **PALATOPHARYNGEUS**; oritur ab osse palati inter uvulam, & extremitatem alæ internæ processus pterygoidei, oblique postrosum decurrit; inferitur pharyngi.
7. **GLOSSOPHARYNGEUS**. Oritur à parte laterali baseos linguæ, inferitur lateraliter pharyngi.
8. **HYOPHARYNGEUS**. Oritur ab osse hyoide fibris latis, carnolis, inferitur pharyngi. Fibrarum quædam oriuntur à basi ossis hyoidis; aliæ à cornu ejus majori, aliæ à cornu minori; inde & musculus hic in tres alios fuit subdivisus, nempe: **BASIOPHARYNGEUM**, **KERATOPHARYNGEUM MAJOREM**, **KERATOPHARYNGEUM MINOREM**.
9. **GENIOPHARYNGEUS**. Oritur à symphisi mentali, inferitur pharyngi.
10. **MYLOPHARYNGEUS**. Oritur à superficie interna baseos maxillæ anterioris prope pharyngem: uti præcedens frequenter deest.

**11. SYNDESMOPHARYNGEUS.** Oritur à ligamento sito inter cornu maius ossis hyoidei . & cornu cartilaginisthyroideæ; inseritur posteriori faciei pharyngis.

**12. THYRAPHARYNGEUS,** &

**13. CRICOPHARYNGEUS;** Oritur prior à cartilagine thyroidea, alter à cartilagine cricoidea fibris sat expansis; ascendunt hæc tum oblique posteriora versus; inseruntur inibi pharyngi, coeuntes cum fibris lateris alterius. Musculi hi utrique una cum *Hypopharyngeo* musculum efformant, quem auctores nonnulli **MUSCULUM** dicunt **OESOPHAGEUM**, seu **SPHINCTEREM GULÆ**.

Difficillimum sane, determinare usum, actionesque diversas omnes musculorum hæcenus descriptorum omnium; certum tamen est, partim eosdem dilatare pharyngem, partim constringere, partim & elevare eundem, uti in deglutitione ciborum, ac potulentorum tum & in quibusdam vocis modulationibus, requiritur: in *Physiologicis* latius hæc omnia exponuntur.

**ALBINUS** in *Historia Musculorum hominis*, *Lugd. Bat. 1734. pag. 226. seq.* quosdam ex adlatis musculis solummodo ad tres reducit, **CONSTRICTORESQUE** adpellat, nimirum:

- a. Constrictorem pharyngis inferiorem;
- b. Constrictorem pharyngis medium;
- c. Constrictorem pharyngis superiorem.

Ad *primum* reducit **OESOPHAGEUM**, ad *secundum* **KEPHALOPHARYNGEUM**, & **HYOPHARYNGEUM**, ad *tertium* **MYLOPHARYNGEUM**, **GLOSSOPHARYNGEUM**, **PTERYGOPHARYNGEUM**, **GENIOPHARYNGEUM**, ac **PETROPHARYNGEUM**.

TA-

## T A B U L A VIII.

D E

## MUSCULIS VELIPALATINI, ET UVULÆ.

**V**ELUM PALATINUM dicitur septum posteriori, ac superiori parte palati, inter palatum, ac foramina postica narium expansum, ossibus adfixum palati. Ex utroque latere duos effingit arcus dimidiatos, deorsum descendentes, quorum medio adnectitur UVULA. Pertinent ad partes hæcæ musculi sequentes, quorum ex utroque latere situs est unus.

1. GLOSSOSTAPHILINUS, seu GLOSSOPALATINUS: Oritur lateraliter ex basi linguæ, arcum constituit medium anteriorem veli palatini, inseritur velo, prope uvulam. Velum lateraliter versus linguam ducit.
2. PHARYNGOSTAPHILINUS; Oritur à pharynge, musculo Thyropharyngeo arcte adhæret, hinc ascendit, arcum efformat medium posteriorem veli palatini, ac inseritur velo post uvulam: idem una cum uvula attollit.
3. THYREOSTAPHILINUS; Oritur a parte laterali cartilaginis thyroideæ, cum Pharyngostaphilino decurrit socius, ac, uti hic, parti veli posteriori inseritur.
4. SPHOENOSALPINGOSTAPHILINUS, seu SALPINGOSTAPHILINUS EXTERNUS, seu PERISTAPHILINUS EXTERNUS



Oritur à parte spinosa ossis sphenoidi, vicinissimus parti osseæ tubæ EUSTACHII, ad alam decurrit internam apophyseos pterygoideæ, cui & quædam adhærescunt fibræ, (unde Anatomici nonnulli portionem hanc pro musculo tubæ EUSTACHII speciali sumserunt, eumque adpellarunt PTERYGOSALPINGOIDEUM) fibræ reliquæ longitudinaliter ad alam internam ascendunt, tendinam efformant, hamulum alæ internæ ambientem, tandemque, postquam in latam denovo abiit fibrarum expansionem, per totam posteriorem, superioremque veli palatini superficiem dispersum. Portio hæc ultima musculus constituit, ALBINO sub nomine MUSCULI CIRCUMFLEXI PALATI descriptum. Velum palatinum una cum tuba EUSTACHII retrorsum trahit, dum dilatandæ sunt fauces; facit & ad hanc actionem simul musculus thyreostaphilinus.

5. PETROSALPINGOSTAPHILINUS, seu PALATOSTAPHILINUS INTERNUS, seu PERISTAPHILINUS INTERNUS; Oritur à parte petrosa ossis temporum, ac parte ossea, & cartilaginea tubæ EUSTACHII, hinc recta ad velum tendit, ac fibrarum expansione faciei posteriori, ac superiori veli inferitur.
6. STAPHILINUS, seu EPISTAPHILINUS MEDIUS, seu PALATOSTAPHILINUS; Musculus exiguus una cum socio exoritur à margine posteriori ossium palati prope eorundem commissuram; utriusque linea exacte junguntur intermedia subtilissima albicanti; evanescent in facie posteriori uvulæ, & ad apicem ejus usque protenduntur. III. MORGA.

**GAGNIUS** Epistaphilinos hos utrosque medios pro unico solummodo adsumit musculo, quem **MUSCULUM** dicit **AZYGON UVULÆ**.

7. **EPISTAPHILINUS LATERALIS** ; Oritur à facie interiori hamuli alæ internæ processus pterygoidei, inseritur uvulæ lateraliter fibris expansis. **WINSLOWO PTERYGOSTAPHILINUS INFERIOR** dicitur.

Usus musculorum horum omnium notus adhucdum minus est, quam ut accurate determinari possent. Inserviunt in genere tum elevationi veli ac uvulæ, aut solius uvulæ, ut choanis applicetur narium, tum detractioni uvulæ, velique, tum contractioni uvulæ, uti actione fit Epistaphilinorum.

## T A B U L A IX.

### DE MUSCULIS CAPITIS.

**C**aput varie movetur; tum antrosum, ac postrosum, tum & ad latera describens semicirculum. Inflexio capitis, ac extensio perficitur mechanismo articulationis ejusdem cum vertebra prima colli, motus lateralis mechanismo articulationis cum vertebra secunda. Instrumenta motuum dictorum omnium muscoli sunt; referuntur huc insequentes, quorum ex utroque latere situs est unus:

## I.

MUSCULI CAPITIS *antrorsum* FLEXORES  
sunt :

1. STERNOMASTOIDEUS, seu STERNO-  
CLEIDOMASTOIDEUS, seu MASTOI-  
DEUS anterior; Oritur à summitate sterni,  
ac extremitate anteriori claviculæ duobus  
tendinibus, mox denuo cœuntibus; oblique  
postrosum decurrit; tendine robusto infe-  
ritur apophysi mastoideæ, aponevrosi ejus-  
dem ad os usque protenditur occipitis.
2. RECTUS ANTICUS MAJOR, seu LON-  
GUS, oritur à processibus transversalibus  
vertebræ colli sextæ, quintæ, quartæ, ac  
tertiæ anteriora versus, inseritur processui  
cuneiformi ossis occipitis proxime ante con-  
dylos.
3. RECTUS ANTICUS MINOR, seu PAR-  
VUS, citur anterieus ab inferiori parte apo-  
physeos transversæ atlantis, seu vertebræ  
primæ colli, inseritur prope præcedentem ossi  
occipitis.
4. RECTUS LATERALIS, seu TRANS-  
VERSALIS ANTERIOR, oritur anterieus  
ab apophysi transversali atlantis; inseritur  
ad nexum ossis occipitis cum osse temporum,  
prope apophysin mastoideam. Caput etiam  
nonnulli ad latus ducit.

## II.

MUSCULI *capitis* EXTENSORES sunt :

1. SPLENIUS, seu MASTOIDEUS POSTE-  
RIOR; Componitur hic ex utroque latere  
por-

portionibus duabus, quæ utræque à spinis oriuntur vertebrarum dorsi quatuor, aut quinque superiorum, & trium, aut quatuor inferiorum colli: portio inferior porrigitur ad apophyses transversales vertebræ primæ, & secundæ colli; portio superior inseritur parti laterali ossis occipitis ad usque apophysin mastoideam.

2. **COMPLEXUS MAJOR**; Oritur ab apophysibus transversalibus vertebrarum duarum, aut trium superiorum dorsi, sexque inferiorum colli, inseritur circa medium ossis occipitis.
3. **COMPLEXUS MINOR**, seu **MASTOIDEUS LATERALIS**, seu **TRACHELIOMASTOIDEUS**; Oritur ab apophysibus transversis vertebrarum quinque inferiorum colli; inseritur statim post apophysin mastoideam.
4. **RECTUS POSTICUS MAJOR**, seu **RECTUS MAGNUS**; Oritur a spina vertebræ secundæ colli, nonnihil ad latus flectitur, inseritur occipiti sub Complexo majori.
5. **RECTUS POSTICUS MINOR** seu **RECTUS PARVUS**; Oritur à tuberculo posteriori vertebræ primæ colli; inseritur prope præcedentem, ad foramen occipitale.


### III.

**MUSCULI ROTATORES CAPITIS** sunt:

1. **OBLIQUUS INFERIOR**, seu **MAJOR**; Oritur ab apophysi spinosa vertebræ secundæ colli, inseritur apophysi transversæ vertebræ primæ colli.



2. **OBLIQUUS SUPERIOR**, seu **MINOR**. Oritur ad finem præcedentis, seu ad apophysin transversam atlantis, oblique sursum pergit; nequitur ossi occipitis, illico supra insertionem recti postici majoris. Occurrunt subiu musculi exigui, prope Rectos minores tam anticos, quam posticos siti; vocantur **ACCESSORII PARVI**, seu **SUPERNUMERARII**, eundem habent usum, uti focii, quorum sunt **Supernumerarii**.



## T A B U L A X.

### M U S C U L I C O L L I

**Ad MUSCULOS COLLI** tam **FLEXORES** referuntur, quam **EXTENSORES**, ac **AD LATUS FLECTENTES**:

#### I.

**FLEXORES** ex utroque latere sunt :

1. **LONGUS COLLI**. Oritur a corporibus trium superiorum vertebrarum dorfi, juxta longitudinem colli; inseritur tuberculo, loco corporis in vertebra colli prima præsentis.
2. **SCALENUS**. Constat proprie portionibus duabus, quorum una anticus, altera posterior sita est; unde & *portio anterior* nomen adju sivit **SCALENI ANTERIORIS**, seu **PRIMI** *portio posterior* vero **SCALENI POSTERIORIS**.

**STERIORIS**, seu **SECUNDI**. Oritur **ANTERIOR** a superficiei externæ costæ primæ cartilagine ; **POSTERIOR** ab eadem costâ, paulo non nisi magis posterius : utrique oblique ad apophyses transversas vertebrarum colli tendunt, iisdemque adnectuntur. Inter utrumque horum musculorum decurrunt nervi, arteriæque brachialis. Scalenus posterior situs est prope alias adhuc duas portiones, quæ itidem **MUSCULI** dicuntur **SCALENI**; portionem horum primam Anatomici quidam **CALENUM** vocant **TERTIUM**, portionem vero secundum **CALENUM** **QUARTUM**. Oriuntur Scaleni hi duo postremi a secunda, & tertia costâ vera ; inseruntur apophyseis transversis vertebrarum quinque infimarum colli. Scaleni in universum non solum flexores colli sunt, sed collum etiam ad latus ducunt ; a quibusdam Auctoribus **ELEVATORIBUS** adcententur **THORACIS**.


## II,

**EXTENSORES**, ac **AD LATUS FLECTENTES** ex utroque latere sunt :

1. **SPINOSO - TRANSVERSALIS COLLI**, seu **SPINALIS CERVICIS**. Oritur a processibus transversis vertebrarum quatuor supremarum dorsi, ac vertebrarum quatuor infimarum colli ; inseritur spinis vertebrarum colli, imprimis vero spinæ vertebræ secundæ.
2. **TRANSVERSALIS COLLI MAGNUS**, seu **TRANSVERSALIS CERVICIS**. Componitur musculis multis exiguis, qui 5. 6ve tendinibus a quinque aut 6. processibus transversalibus vertebrarum dorsi oriuntur, ac

pluribus denuo tendinibus inferuntur processibus transversis vertebrarum colli.

3. **TRANSVERSALIS COLLI LATERALIS**, seu **CERVICALIS DESCENDENS**. Oritur a parte posteriori costæ 3. vel 4 superioris, inter Levatorem Scapulæ, ac Tracheliomaastoideum sursum adscendit, neçtitur subin & ipsis longis, contractisque tendinibus longissimi dorsi; inferitur processibus transversis vertebræ colli secundæ, tertię, ac quartæ ope totidem tendinum. Neçtitur sæpius ad exortum tendinibus musculi Sacrolumbaris, unde & a **STENONE** vocatur **ACCESSORIUS SACROLUMBARIS**.
4. **INTERSPINOSI**, seu **SPINOSI PARVI COLLI**, ac
5. **INTERTRANSVERSALES**, seu **TRANSVERSALES PARVI COLLI** musculi sunt exigui, breves, ab una solum vertebra ad aliam decurrentes, seu ad eam, quæ proxime superius locatur; priores quidem ab apophysi una spinosa, posteriores ab apophysi una transversa ad aliam porriguntur, per totum interstitium a vertebra prima dorsi ad vertebra secundam colli.



## T A B U L A X I.

### MUSCULI DORSI, LUMBORUM, OSSIS COCCYGIS.

1. **MUSCULI DORSI**, ac **LUMBORUM** ob arctum nexum simul exponendi; ad hos

referuntur insequentes, quorum ex utroque latere situs est unus.

1. **SACROLUMBARIS**, seu **LUMBOCOSTALIS**; Oritur posterius a parte ossis ilei, ossisque sacri superiori, ac externa mediante robusta aponevrosi, firmatur ope portionum carnearum processibus vertebrarum lumborum transversis, longitudinaliter juxta costas sursum tendit, plurimisque tendinibus inseritur angulis costarum fere omnium; tendines nonnulli protenduntur adusque apophysin transversam vertebræ ultimæ colli. Inter hos tendines quidam descendunt, prioribus nexi, *Tabula præcedenti* sub nomine **MUSCULI ACCESSORII** descripti. Sacrolumbaris extensor est dorli; ac lumborum.
2. **LONGISSIMUS DORSI**. Oritur mediante portione carnea a facie posteriori, ac interna ossis ilei, a parte ossis hujus superiori mediante robusta aponevrosi, tum & a spinis sacri ossis superioribus, & a spinis vertebrarum quatuor ultimarum lumborum totidem tendinibus; nequitur insuper per productiones carneas processibus transversis, ac obliquis vertebrarum lumborum; juxta longitudinem dorli adscendit, ac inseritur tum parti inferiori, & externæ costarum spuriarum prope angulos, tum processibus transversis vertebrarum septem superiorum dorli. Extensor etiam dorli est.
3. **SPINOSUS DORSI MAGNUS**, seu **SEMISPINOSUS**; Oritur a spina vertebræ primæ lumborum, ac a spinis vertebrarum trium inferiorum dorli, mediantibus totidem tendinibus exiguis; nequitur dein Longissimo dorli, ac inseritur spinis vertebrarum dorli

6tæ, 5tæ, 4tæ, 3tæ, ac 2dæ. Extensor dorsi est.

4. **SPINOSI PARVI DORSI**, seu **INTER-SPINOSI**. Musculi exigui, decurrunt ab spina una ad proximam alteram supra positam. Extensores sunt.
5. **TRANSVERSOSPINOSI DORSI**. Oriuntur a processibus transversis vertebrarum dorsi, inferuntur oblique harum spinis; supremus horum oritur inferius a processu transverso vertebræ tertiæ lumborum; inferitur superius spinæ vertebræ ultimæ dorsi.
6. **SACR LUMBORUM**, seu **SPINOSUS**, seu **TRANSVERSOSPINOSUS LUMBORUM**. Situs est sub longissimo dorsi, componitur musculis multis exiguis, quorum inferiores oriuntur a parte superiori ossis sacri, ac parte superiori, & posteriori ossis ilei, alii autem a tribus inferioribus processibus transversis, ac quatuor infimis obliquis vertebrarum lumborum; ascendunt hinc, ac processibus nectuntur spinosis vertebrarum nunc dictarum.  
Musculi hi actionem adjuvant extensorum dorsi & lumborum.
7. **QUADRATUS LUMBORUM**, seu **LUMBARIS EXTERNUS**. Oritur a spina ilei posteriori, ac labio interno marginis superioris ilei, ab hujus quidem parte media ad usque posteriorem, ascendit tum juxta apophyses lumborum transversas, quæ totidem tendinibus adnectitur, ac inferitur labio interno costæ ultimæ spurie, totum obtegens ligamentum, cujus ope costæ hæc adhærescit vertebræ lumborum primæ. Una cum socio flexor est dorsi & lumborum, tum & lumbos ad latus ducit.

8. **PSOAS PARVUS.** Musculus sat tenuis, longus tamen, nec multum expansus subin omnino deficit. Oritur, si adsit a radice processus transversi verteb ræultimæ dorsi, tum nonnumquam vertebræ primæ lumborum, hinc juxta Psoan magnum descendit, ac inseritur spinæ obliquæ ossis pubis, aut loco, ubi os pubis ab osse separatur ileo, per aponevrosin. Refertur etiam ad *flexores dorsi, & lumborum.*
9. **INTERSPINALES LUMBORUM.** Ab spina una lumborum ad aliam proxime superpositam tendunt.
10. **INTERTRANSVERSI LUMBORUM.** Procedunt ab apophysi transversa lumborum ad una ad aliam. Priores *exteiores*, hi ad *latus flexentes* referuntur.

## II.

**OS COCCYGIS** musculis instructum est quatuor, quorum ex utroque latere bini sunt:

1. **ISCHIOCOCCYGEUS**, seu **COCCYGEUS ANTERIOR.** Oritur a spina ischii principio contracto, decurrens latefcit, inseritur lateribus ossis coccygis.
2. **SACROCOCCYGEUS**, seu **COCCYGEUS POSTERIOR.** Oritur a facie interiori ossis coccygis. Uus amidorum est, ut impediant, ne inflectatur os coccygis.

---



---

 T A B U L A XII.

## M U S C U L I T H O R A C I S.

**M**usculi THORACI proprii sunt in specie, quæis **M** tam inspiratio perficitur, quam & exspiratio. Huc referendi MUSCULI INTERCOSTALES, LEVATORES COSTARUM, SERRATI BINI POSTICI, TRIANGULARIS STERNI, INFRACOSTALES, ac DIAPHRAGMA.

1. MUSCULI INTERCOSTALES spatium replent costis interpretum. Fibris constant duplicis ordinis, externis ac internis, unde & in MUSCULOS dirimuntur INTERCOSTALES EXTERNOS, ac INTERNOS. EXTERNI oriuntur ab extremitate posteriori costarum, inseruntur ad nexum cartilaginis costarum cum parte ossea: INTERNI oriuntur a sterno, finiuntur ad angulum cuiusvis costæ. Hi ultimi soli expleant spatium interceptum parte cartilaginea costarum. Ex utroque latere neantur marginibus costarum, ita, ut ab inferiori margine costæ superioris exorti inserantur margini superiori costæ inferioris: *externi* directione obliqua a parte posteriori anteriorem versus, *interni* ab anteriori posteriorem versus feruntur. Costas elevant.
2. LEVATORES COSTARUM, seu SUPERCOSTALES. Oriuntur ab extremitate apophysium transversarum vertebrarum undecim superiorum dorsi, ac vertebræ ultimæ colli, inseruntur extremitatibus costarum posterioribus

ribus. Numero costis respondent, quin & plures numerantur; nam observatum necti apophysi cuiusvis transversæ verbræ dorsi septimæ, octavæ, nonæ, ac decimæ duos horum musculorum, quorum alter *brevis*, *longus* est alter. *Brevis* adhærescit costæ proxime subjctæ, *longus* transcendens costam proximam, nec huic nexus, inseritur hanc subsequenti. Sunt itaque ex utroque latere *duodecim muscoli levatores costarum breves*, ac *quatuor longi*.

3. **SERRATUS, seu DENTATUS POSTICUS SUPERIOR.** Oritur aponeurosi lata a ligamento cervicis, a spinis vertebrarum duarum inferiorum colli, ac duarum vertebrarum superiorum dorsi, hinc oblique a superioribus inferiora, ac nonnihil anteriora versus procedit; inseritur ope dentationum carnosarum costæ veræ secundæ, tertiæ, quartæ, ac quintæ. Elevat costas 4. 5ve superiores.
4. **SERRATUS, seu DENTATUS POSTICUS INFERIOR.** Oritur itidem aponeurosi lata a spinis vertebrarum dorsi trium infimarum, ac duarum supremarum lumborum, oblique ascendens carnosus evadit, ac dentationum carnosarum interventu adnectitur costis quatuor infimis spuriis. Costas quatuor infimas spurias detrahit.
5. **TRIANGULARIS STERNI.** Oritur a parte inferiori, ac media sterni, ex utroque latere oblique ab inferioribus sursum tendit; inseritur cartilaginibus costarum quinque infimarum verarum. Musculus hic in varias secedit portiones, quæ pro totidem habentur musculis, ac **MUSCULI** dicuntur **STERNOCOSTALES**. Hoc mediante costæ, queis aduæret



adhæret, deorsum, ac nonnihil introrsum movetur.

6. **INFRACOSTALES.** Musculi carnosissimi, lati, tenues superstrati sunt faciei costarum interiori. Oriuntur ab interiori facie costæ inferioris, inferuntur tertiæ supra positæ. In costis spurii majori cernuntur numero, ac in veris. *Sternocostales*, ac *Intercostales* in actione adjuvant.

7. **DIAPHRAGMA, seu SEPTUM TRANSVERSUM.** Septum hoc est musculosum, cujus ope thorax ab abdomine separatur. Oblique cavis hujusce binis interjectum est, anterior ejus pars altior est, posterior multo depressior. Fornicem quasi constituit, cujus convexa superficies respicit thoracem, pleura cincta, superficies concava contenta spectat abdominalia, peritoneo obvelata. Componitur Diaphragma parte aponevrotica, ac musculis duobus.

a. Alter horum **SUPERIOR** dicitur, ac in specie *Septum* efformat. Magnus est, latusque, interiora versus exoritur a processu ensiformi, cartilaginibus costarum ultimarum duarum verarum, omniumque spuriarum; subin & a parte ipsa ossa costarum ope totidem dentationum: ab partibus nunc enumeratis fibræ musculi hujus radiatim versus centrum tendunt, efformantes partem musculi tendineam, ac aponevroticam, proprie *centrum tendineum diaphragmatis* dictum. Centrum hoc ipsum in latere dextro instructum est orificio rotundo, per quod vena cava inferior thoracem ingreditur. Fabrica orificii hujus artificiosissima est, nam fibræ

bræ tendineæ oblique per totam ejus circumferentiam sibi invicem sunt intertextæ, quo mechanismo præcavetur contractio orificii. Præterea notandum venit, nexum partis carnosæ musculi hujus in latere dextro esse profundiorē, quam in sinistro, hinc & in dextro latere latior est, ac in sinistro.

- b. Alter Musculus INFERIOR audit. Oritur a latere inferiori, ac posteriori centri tendinei, per decursum in portiones duas dirimitur, quas Anatomicorum nonnulli *Capita*, alii *Tendines* vocant. Capita hæcce binæ illico orificium constituunt, quod transit œsophagus; sub hoc orificio fibræ denuo invicem uniuntur, pollicem tamen inferius altera vice ab sese discedunt, alterum formantes orificium, pro transitu arteriæ aortæ inferioris, venæ azygos, ductusque thoracici. Tum capita hæcce duo fibris aponevroticis nonnihil latescensibus firmantur corporibus vertebrarum lumborum. Tendo lateris dextri longior est sinistro; ille firmatur corpori vertebræ quartæ lumborum, hic tertio.



## T A B U L A XIII.

### MUSCULI ABDOMINALES.

**M**MUSCULI ABDOMINALES, seu EPIGASTRICI vocantur musculi, qui anteriorem,  
 M mediam

mediam, ac laterales abdominis partes potissimum constituunt.

Lege naturæ ordinaria decem sunt numero, quorum ex utroque latere siti sunt quinque, nominibus variis tum ratione diversæ fibrarum directionis, tum & figuræ variæ donati; ad priores referuntur Obliqui, ac Transversales, ad hosce Recti, & Pyramidales. Fascia tendinea ab invicem separantur, quæ LINEA dicitur ALBA. Oritur hæc superne a cartilagine ensiformi, protenditur plerumque ad usque symphyisin ossium pubi: in medio occurrit UMBILICUS, in fœtu apertus, transitum concedens funiculo umbilicali. Linea hæc alba enascitur ex vario intertextu fibrarum tendinearum, & aponevroticarum musculorum obliquorum, & transversalium: supra umbilicum multo latior est, quam quidem infra hunc, eo magis contrahitur, quo magis symphyisin accedit ossium pubis.

MUSCULI ipsi ABDOMINALES ex utroque latere sunt insequentes:

- I. OBLIQUE DESCENDENS, seu SUPERIOR, seu OBLIQUUS MAGNUS, seu EXTERNUS. Musculus latus, tenuis, posteriori parte carnosus, anteriori, ac inferiori aponevroticus, superne, ac nonnihil lateraliter costis, inferne ossi ilei, ac pubis, anterioris lineæ albæ nexus. Superne pars ejus carnosæ 7—8 productiones constituit, quæ digitationes, seu dentationes dicuntur; harum quævis, speciali suo tendine gaudet, cujus ope firmatur costis, ac quidem

a. Digitatio prima, omnium longissima costæ quintæ veræ.

b. Digitatio secunda costæ sextæ.

c. Digitatio tertia costæ septimæ.

d. Di-

- d. Digitatio quarta costæ primæ spuria.
- e. Digitatio quinta costæ secundæ.
- f. Digitatio sexta costæ tertiæ.
- g. Digitatio septima costæ quartæ.
- h. Digitatio octava, sæpius deficiens costæ quintæ spuria.

Ex his digitationibus quatuor supremæ uniuntur totidem digitationibus musculi supra positi Serrati antici majoris, inferiores autem digitationibus Serrati postici interioris, ac Latissimo dorso.

Hiscæ digitationibus dicto more costis firmatis fibræ musculi hujus, vertebris omnino non nexæ, recta anteriora versus descendunt, labioque externo marginis anterioris ilei adhærescunt; quædam harum in robustam terminantur aponeurosin, ad os pubis tendentem, inibi adfixam, prius vero orificium ovale structuræ singularis formantem, quod ANNULUS dicitur MUSCULI OBLIQUE DESCENDENTIS; transeunt hoc in viris *vasa spermatica*, in fæminis *ligamenta uteri rotunda*.

Sub annulo hoc unitur musculus Oblique descendens Transversali, amboque faciunt simul ligamentum tendineum, spinæ ilei inferiori, anteriorisque ossi pubis adfixum, ab Anatomicis LIGAMENTUM FALLOPII, seu POUPARTII dictum: sub ligamento hoc transeunt tendines musculi Psoæ magni, Iliacique interni, uti & arteriæ, venæ, & nervi crurales; hic etiam loci notantur hærnix crurales.

Anteriora versus musculus hic in aponeurosin latam abit, ope fibrarum quarundam lineæ cuiusdam, quæ SEMILUNARIS LINEA SPICIFOLI dicitur, adnexam; pleræque tamen fibræ



hujus ejusdem aponevroseos vaginam transcendunt muscoli Recti, ac in linea alba evanescent.

2. **OBLIQUE ADSCENDENS**, seu **INFERIOR**, seu **OBLIQUUS INTERNUS**, seu **PARVUS**. Oritur ab osse pubis, ac margine superiori, & anteriori ossis ilei; fibræ ejusdem tum a posteriori ac inferiori parte anteriora versum oblique adscendunt, firmanturque superne margini inferiori partis cartilaginosa costarum spuriarum omnium, ac costæ ultimæ veræ adusque processum ensiformem. Parte posteriori musculus hic per expansionem tenuem valde, aponevroticam nectitur ligamento inter vertebrae ultimas lumborum, ac partem posteriorem ossis ilei intercedenti; anteriori parte abeunt fibræ carneæ ab superioribus adusque inferiora in aponevrosin latam, robustam, quæ constituit **LINEAM SEMILUNAREM**, dein vero in laminas duas dehiscit, quarum una antè transcendit musculus Rectum, altera retro & infra hunc ad lineam usque progreditur albam, ubi demum laminæ ambæ invicem coeunt, ac in dicta nunc linea evanescent. Laminæ itaque hæ duæ, musculus, uti jam dictum, ambiunt Rectum, vaginam efformant, quæ vagina vocatur muscoli recti, ac antè per aponevrosin muscoli Obliqui externi, postè per aponevrosin muscoli Transversalis majus adqñirit robur.

3. **TRANSVERSALIS**. Oritur parte posteriori aponevroticus a processibus transversis, ac spinosis vertebrarum quatuor primarum lumborum, firmatur tum inferius labio interno marginis superioris, ac anterioris ossis ilei, ac ossis pubis; superius vero faciei internæ costarum

starum spuriarum, ac duarum infimarum verarum, uti & cartilagini ensiformi, abit in aponevrofin latam, laminæ posteriori aponevroseos muscoli Oblique adscendentis arte adhærentem, ac in linea alba evanescentem.

4. **RECTUS.** Nectitur hic superne parti infernæ, ac externæ sterni, ejusque processui ensiformi, costis tribus inferioribus veris, ac primæ costæ spurix ope totidem digitationum descendit tum juxta longitudinem lineæ albæ, ac adhærescit parti superiori ossis pubis tendine lato. Notantur in extremitate musculi hujus superiori a cartilagine ensiformi ad usque umbilicum tres, quatuorve tendines, transversim per musculum decurrentes. Vocantur **INTERSECTIONES, ENERVATIONES** vel **INSCRIPTIONES MUSCULORUM RECTORUM TENDINEÆ**; adhærescit his firmiter vagina musculorum. Subin etiam, sed rarius, una, duæve harum intersectionum infra umbilicum occurrunt.
5. **PYRAMIDALIS, seu SUCCENTURIATUS RECTI.** Hæret ad inferiorem partem **RECTI** inter hunc, & ejus vaginam. Oritur a parte anteriori, ac superiori ossis pubis, evanescit tendinibus exiguis inferius in linea alba. Sæpe unicus tantum adest Pyramidalis, tumque medium occupat locum, multoque crassior, & latior est, non raro & omnino nullus adest, in eoque casu **Recti** extremitas inferior fibris gaudet multo robustioribus, & latioribus.

Ufus musculorum omnium abdominalium, ut

- a. Contenta abdominalia tam fulciant, quam & si requiratur, leviter comprimant.

- b. Excretionem quasdam promoveant actione sua non interrupta: v. c. excretionem alvi, urinæ, fœtus, & secundinarum &c.
- c. Adjuvent respirationis negotium.
- d. Motus corporis varia ratione reddant faciliores &c.

## T A B U L A XIV.

### MUSCULI ANI, TESTIUM, SCROTI, PENIS, CLITORIDIS, ET VESICÆ URINARIÆ.

#### I.

**A**NUS, intestini recti extremum, sequentibus instruitur musculis.

1. **SPHINCTERE.** Nequitur hic faciei interiori ossis coccygis, hinc in duas portiones secedit, extremum intestini recti latitudine digitorum trium transversorum ambientes, quin & pollice finem huius intestini exsuperantes, & cuti circulariter undique adfixas. Hanc ob rationem nonnulli Anatomicorum Sphincterem in duos diversos dirimunt musculos, scilicet: a) in **SPHINCTEREM CUTANEUM, EXTERNUM**, cuti ambienti orificium anus nexum, ac b) in **SPHINCTEREM INTESTINALEM, INTERNUM** extremum intestini cingentem. Usus sphincteris est, ut mediante eo anus exacte occludatur, ne continuo effluere queant fœces.

2. **ELEVATORIBUS** duobus. Oriuntur principio satis lato a parte interiori, ac superiori ossis pubis, ac interiori facie ossis ilei, ad nexum hujus cum osse ischii, uti & a tuberculo ischii, fibræ hujus radiatim ad usque partem posteriorem intestini recti protenduntur, idque quodammodo cingunt; uniuntur fibris Sphincteris ani intestinalis. Fibræ Elevatorum in viris ambiunt etiam collum vesicæ, prostatam, ac vesiculas seminales, in sæminis vaginam. Usus Elevatorum est, ut impediunt egressum nimium finis intestini recti sub exoneratione alvi.

## II.

Ad musculos **TESTIUM** refertur **CREMASTER**, seu **ELEVATOR TESTICULI**. Testiculus quivis Cremastere instructus est; oritur a ligamento **FALLOPII**, tum a fibris musculi **Oblique ascendentis**, juxta longitudinem tunicæ vaginalis decurrit; quo magis adpropinquat testes, eo magis fibræ expanduntur, tandemque in tunica vaginali omnino evanescent; efformant & ibidem *membranam*, quam *erythroideam*, seu *rubicundam* dicunt Testiculum elevat.

## III.

**SCROTUM** musculo instructum est **CUTANEO**, (qui alias & scroti adscensetur tunicis, & **TUNICA** dicitur **DARTOS**). Oritur ab inferiori margine ossis pubis, fibræque ejusdem interne scrotum ambiunt, inibique evanescent. Agens scrotum constringit; producuntur inde exterius rugæ, scrotumque redditur minus.



## IV.

**PENIS**, ad eumque pertinens **URETHRA** insequentibus sex instruuntur musculis, quorum ex utroque latere sunt tres, nimirum:

a. **ERECTORES** duo, qui & **ISCHIOCAVERNOSI**, seu **LIBIDINOSI** vocantur. Oriuntur a facie interna tuberositatis ossis ischii, concomitantur corpora cavernosa penis ad usque os pubis, hoc mechanismo venæ per eius dorsum dispersæ, revehentes sanguinem aliquantum comprimuntur; sanguis in corporibus cavernosis accumulatur, indeque producitur **ERECTIO PENIS**.

b. Duo **ADCELERATORES**, qui & **BULBOCAVERNOSI** dicuntur. Oriuntur a parte anteriori Sphincteris ani, transcendunt bulbum urethræ, eumque undique ambiunt: utrique tendine intermedio arte invicem junguntur, implantantur lateraliter corporibus cavernosis. Agentes partem posteriorem urethræ sat fortiter constringunt, semenque illuc depositum vi expellunt.

c. Duo **TRANSVERSI**, qui & **TRIANGULARES** dicuntur. Oriuntur a tuberositate ischii ante Erectores, hinc oblique ad apicem glandulæ prostratæ feruntur, implantantur lateraliter bulbo urethræ. Agentes detrahunt bulbi partem inferiorem, hinc urethram posteriora versus dilatant.

**SANTORINUS** huc insuper refert duos **ELEVATORES URETHRÆ**, ex utroque latere unum. **ALBINUS** hosce vocat **TRANSVERSOS ALTEROS PERINÆI**. Describuntur orientes a facie interiori ossis pubis non procul ab ejus symphyû, descendentes  
hinc

hinc ad petinæum, ibi invicem coeuntes urethræque non procul a bulbo {implantati. Raro inveniuntur.

## V.

**CLITORIS** musculos habet duos, qui itidem vocantur **ERECTORES**. Oriuntur ab osse ischii, inferuntur corporibus cavernosis clitoridis. His adcensent nonnulli **Anatomici ADCELERATO-RES** duos **CLITORIDIS**; Orientes a sphinctere ani, amplectentes latera vaginæ, implantatos clitoridi: verumtamen proprie ad musculos clitoridis non referendi sunt, sed ad vaginam uteri; hinc & ab **ALBINO** sub nomine **CONSTRUCTORIS CUNNI**, ab aliis sub nomine **SPHINCTERIS VAGINÆ** denotantur: arctant vaginam.

## VI.

**VESICA URINARIA** præter **TUNICAM** suam **MUSCULOSAM**, (quæ a nonnullis **MUSCULUS DETRUSOR URINÆ** dicitur) alium insuper habet muscolum, qui **SPHINCTER** audit **VESICÆ**. Fibræ sunt musculares, a sphinctere ani enati, collum vesicæ amplectentes. Vesicam urinariam occludit, ne urina nunquam non effluat.



T A B U L A X V.

MUSCULI CLAVICULÆ, SCAPULÆ,  
HUMERI.

**C**LAVICULA gaudet musculo, qui **SUBCLAVIUS** dicitur. Oritur anterior ad nexum costæ primæ cum cartilagine, juxta faciem inferiorem claviculæ progrediens. ejus extremitati posteriori inferius demum iuplantatur. Claviculam detrahit.

II.

Musculi ad **SCAPULAM** pertinentes sunt inferquentes :

1. **MUSCULUS PATIENTIÆ**, seu **ANGULARIS**, seu **ELEVATOR** Scapulæ proprius. Oritur ab apophysi secunda, tertia, quarta & quinta transversa vertebrarum colli, inseritur angulo superiori scapulæ. Scapulam elevat.
2. **TRAPEZIUS**. Oritur a duabus supremis excavationibus ossis occipitis, ab apophysibus spinosis omnium vertebrarum colli, ac septem supremarum vertebrarum dorsi; inseritur spinæ acromio scapulæ, ac extremitati claviculæ posteriori. Vi directionis fibrarum suarum scapulam jam elevare potest, jam deprimere, jam & posteriora versus abducere.
3. **RHOMBOIDES**. Oritur ab aponevrosibus spinosis vertebrarum 4. ultimarum colli a supremarum 4. dorsi; inseritur labio externo baseos scapulæ, ab ejus spina adusque angulum inferiorem. Scapulam retrorsum ducit.

4. **PECTORALIS MINOR**, seu **SERRATUS** seu **DENTATUS ANTICUS MINOR**. Oritur anterius a costa vera secunda, tertia & quarta, inseritur procellui coracoideo. Scapulam antrorsum ducit.
5. **SERRATUS**, seu **DENTATUS ANTICUS MAJOR**. Oritur a costis sex infimis veris, ac supremis duabus spuriis dentationibus totidem, quæ dentationibus uniuntur muscoli Obliqui descendens abdominis; inseritur labio interno baseos scapulæ. Scapulam antrorsum ducit; considerari etiam potest ut elevator costarum. Occurrit adhuc superius in superficie musculi hujus interna alius musculus exiguus, quem nonnulli pro musculo sumunt speciali; nomine tamen hucusque caret a) Extremitas illius una angulo scapulæ inferiori, altera costis duabus supremis adfixa est.

### III.

Musculi **HUMERI**, seu **BRACHII** sunt sequentes.

#### A.

**ADTOLLENTES HUMERUM**, qui & **ELEVATORES BRACHII** dicuntur:

- a. **DELTOIDES**. Oritur a parte media, ac posteriori claviculæ, acromio, ac spina scapulæ; inseritur quatuor digitis transversis sub collo humeri spinæ, a magno tuberculo humeri descendenti.

b.

---

a) *Vocari sat apte posset COSTO-HOMOPLAT-TEUS de W.*



b. **SUPRASPINATUS**. Oritur a tota cavitate scapulæ supraspinata, tendo ejus robustus transit sub acromio, inferitur faciei planæ tuberculi majoris humeri.

c. **CORACOBRACHIALIS**. Oritur a processu coracoideo, inferitur parti superiori, & fere mediæ humeri. Transit hunc superiori loco nervus musculo-cutaneus externus, unde & a **CASSERIO PERFORATUS** dictus fuit.

### R.

**DETRAHENTES HUMERUM** sunt:

a. **SUBSCAPULARIS**. Oritur a facie tota interna scapulæ, inferitur tuberculo minori humeri.

b. **ROTUNDUS**, seu **TERES MAJOR**. Oritur ab angulo inferiori scapulæ, inferitur sub utrisque tuberculis humeri.

c. **LATISSIMUS DORSI**, seu **ANISCALPTOR**, seu **DORSALIS MAGNUS**. Oritur posterius principio aponevrotico a margine posteriori ossis ilei, ab apophysibus spinosis ossis sacri, vertebrarum omnium lumborum, ac septem vertebrarum inferiorum dorsi, tum & ope productionum carnearum ab anteriori parte costarum 4. inferiorum spuriarum; inferitur tendine lato, ac robusto parti superiori, ac internæ humeri, ejus nimirum spinæ, a tuberculo minori ad extremitatem humeri internam descendenti.

### C.


**PECTORALIS MAJOR**. Oritur a parte media, ac anteriori claviculæ, a tota longitudine sterni

sterni, & cartilaginibus costarum omnium verarum, inseritur tendine sat robusto, latoque parti superiori & anteriori ad digitos quatuor transversos sub capite ossis humeri spinæ, a tuberculo magno descendenti. Agens humerum anteriora versus ad pectus adducit.

## D.

**HUMERUM a Thorace ABDUCUNT :**

- a. **INFRASPINATUS.** Oritur a cavitate infra-spinata scapulæ, inseritur posterius sub tuberculo majori.
- b. **ROTUNDUS, seu TERES MINOR.** Oritur a margine inferiori scapulæ, inseritur prope antecedentem.



## T A B U L A XVI.

MUSCULI CUBITI, RADII, CARPI, ET  
MANUS.

## I.

**M**MUSCULI CUBITI, ac RADII sunt :

- a. **BICEPS, seu CORACORADIALIS.** Oritur superius duobus tendinibus, qui *capita* vocantur *Bicipitis*; nimirum capite uno ab extremitate apophyseos coracoideæ, altero a margine cavitatis glenoideæ scapulæ; transit ligamentum capsulare, transcendit caput ossis humeri

humeri, ac in sulco interjecto tuberculis ambobus humeri progreditur adusque medium humerum; inibi junguntur bina capita in musculum unicum juxta longitudinem partis anterioris, ac nonnihil interioris brachii descendentem, opeque tum tendinis, tum aponevroseos terminatum. Tendo adnectitur tuberositati radii, quæ extremitatem ejus posteriorem in facie externa ulnam versus occupat. Aponevrosi vero transcendit musculum Pronatorem rotundum, ac Radicum internum, cui firmiter adnectitur, exsuperat etiam musculos omnes partis interioris, ac posterioris antibrachii, inibique evanescit. Musculus Biceps antibrachium humerum versus ducit, tum & ad supinationem concurrat.

- b. BRACHIÆUS INTERNUS, seu BRACHIALIS.** Oritur illico sub insertione Deltoidis a medio ossis humeri; juxta ejus spinam a tuberculo minori deorsum porrectam inferiora versus decurrit, inseriturque tuberculo minori sub cavitate semicirculari extremitatis superioris cubiti sito. Antibrachium denuo humerum versus ducit.
- c. EXTENSOR LONGUS, seu ANCONEUS MAGNUS.** Oritur inferius a collo scapulæ; juxta longitudinem partis posterioris humeri interiora versus decurrit.
- d. BRACHIÆUS EXTERNUS, seu ANCONEUS EXTERNUS.** Oritur juxta longitudinem a parte externa humeri, eademque directione inferiora versus decurrit.
- e. EXTENSOR BREVIS, seu ANCONEUS INTERNUS.** Oritur a facie interiori humeri paulo magis versus inferiora. Et **EXTENSOR LONGUS & BRACHLEUS EXTER-**

**TERNUS, & EXTENSOR BREVIS** una parti inferiori ossis humeri adnectuntur, ac tendine lato, aponevrotico olecrano immerguntur. Omnes tres brachium extendunt.

- f. **ANCONIUS**, seu **ANCONIUS PARVUS**. Oritur a condylo externo extremitatis humeri inferioris, inseritur superficiei convexæ ulnæ parte superiori. Ad Extensores pertinet antibrachii.
- g. **PRONATOR ROTUNDUS**, seu **OBLIQUUS**, seu **SUPERIOR**: Oritur a condylo humeri interno, oblique procedit ad radium, inseritur tendine lato margini externo radii.
- h. **PRONATOR QUADRATUS**, seu **TRANSVERSUS**, seu **INFERIOR**. Oritur inferius ab extremitate anguli interni superioris ulnæ; directione transversa radium petit, ac angulo ejus externo superiori inseritur.

Musculi hi duo antibrachium deorsum, ac introrsum ducunt, sicque *pronationem* efficiunt.

- i. **SUPINATOR LONGUS**, seu **MAGNUS**. Oritur a spina humeri, versus condylum externum excurrente; decurrit tum secundum longitudinem faciei externæ radii inferiora versus; inseritur extremitati anguli externi superioris radii, prope Pronatorem quadratum.
- k. **SUPINATOR BREVIS**, seu **PARVUS**. Oritur a condylo externo humeri, ac superna, externaque parte ulnæ, tum transversim ad supremam, internamque radii partem decurrit, ibique duos vix non digitos transversos sub collo humeri radium undique ambiens finitur.

Ducitur musculis hisce duobus antibrachium exteriora versus, ac sic perficitur *Supinatio*.



## II.

**Musculi Carpo, manique proprii sunt :**

a. **RADIALIS EXTERNUS, seu BICORNIS**  
 Constat hic duobus quidem musculis, quorum unus **LONGUS**, alter **BREVIS** dicitur. Oriuntur ambo a condylo humeri externo, juxta superficiem externam radii descendunt, ad extremitatem illius inferiorem sulcum, ligamento speciali obtectum transeunt, tandemque faciei externæ manus implantantur; tendo quidem longi basi ossis primi metacarpi; tendo brevis eodem loco ossi secundo metacarpi.

b. **ULNARIS, seu CUBITALIS EXTERNUS.**  
 Oritur a condylo humeri externo, superficie vix non integra externa ulnæ, juxta hanc descendit, ligamentum ibi præsens transit, basique ossis quarti metacarpi exteriora versus implantatur.

Musculi hi utrique manum, carpumque extendunt.

c. **RADIALIS INTERNUS.** Oritur a condylo humeri interno; fibræ ejus ibi loci fibris Pronatoris rotundi intertextuntur, tendo ligamentum carpi transit, basique ossis primi metacarpi potissimum interiora versus adnectitur.

d. **ULNARIS, seu CUBITALIS INTERNUS.** Oritur denuo a condylo humeri interno, juxta longitudinem ulnæ descendit, ossi lenticulari, seu orbiculari inseritur.  
 Ambo flectunt carpum.

e. **PALMARIS LONGUS, seu CUBITALIS GRACILIS.** Oritur a condylo humeri interno, abit in tendinem longum, tenuem;  
 hic

hic juxta longitudinem partis interioris anti-brachii descendens, supercandit ligamentum carpi internum, eidem valide nexus, aponevrosi tandem palmam fere obtegente terminatur. Aponevrosi hæc palmaris cuti superinjectæ fibras nonnullas inmergit, in parte inferiori, internaque ossium metacarpi per fibras diversas tendineas dispersa. Ad flexores pertinet carpi, & manus.

Huc demum referri potest :

f. **PALMARIS BREVIS**, seu **CUTANEUS**, alias **CARO QUADRATA** dictus. Musculus est parvus quadratus, palmam proxime sub cuti, supraque muscolum Abductorem digiti minimi occupans, cuti firmiter adnexus; usus ei adtribuitur, ut palmam inflectat, seu cavam faciat.

## T A B U L A XVII.

### MUSCULI DIGITORUM MANUS.

**D**IGITI omnes in universum varia ratione moventur. Musculi, quorum interventu id ipsum perficitur, dirimuntur in **COMMUNES**, ac **PROPRIOS**. **COMMUNES** sunt, quæ digiti simul moventur; hæc pertinent **FLEXORES COMMUNES**, ac **EXTENSORES**, **LUMBRICALES**, ac **INTEROSSEI**: **PROPRII** sunt, quæ nonnulli solummodo moventur digiti. **MUSCULI DIGITORUM COMMUNES** sunt:

1. **SUBLIMIS**, seu **PERFORATUS**. Oritur a condylo numeri interno, a parte superiori, ac



Interna radii, ac ulnæ, ac a ligamento interosseo : dirimitur dein in 4. portiones, totidem tendinibus donatas, sub ligamento carpi interno ad digitos tendentibus, phalangæque secundæ insertis. Tendines ultimis suis finibus sunt divisi, ut transire queant tendines Profundi.

2. **PROFUNDUS**, seu **PERFORANS**. Oritur a parte superiori, ac media ulnæ, tum & a ligamento interosseo ; dirimitur denuo in partes quatuor, uti prior, a quibus totidem generantur tendines, pari ratione transeuntes sub ligamento carpi interno, juxta longitudinem digitorum protensi, parti mediæ, ac phalangæ digitorum tertix inserti, postquam transierant prius fissuram tendinum muscoli Sublimis. Tendines utrorumque horum musculorum membrana cingit vaginalis, a ligamento carpi exoriens, ac una cum tendinibus ad phalangam digitorum tertiam evanescens ; robur accedit membranæ huic vaginali ambienti digitos novum a ligamento robusto, ab marginibus phalangerum orto.
3. **MUSCULI LUMBRICALES**, seu **VERMICULARES**. Oriuntur a tendinibus Profundi sub ligamento carpi ; quivis inseritur tendine brevissimo faciei internæ phalangæ primæ digitorum.

Musculi hi omnes ( 1. 2. 3. ) digitos inflectunt.

4. **MUSCULI INTEROSSEI**. Musculi hi spatium intercedens inter ossa metacarpi tam exteriori, quam interiori facie occupant. Hinc & dividuntur in **INTEROSSEOS EXTERNOS**, ac **INTERNOS** ; interni tres sunt numero, totidemque externi. Hi ultimi, quorum quivis ex duabus constat portionibus

tionibus diversis, oriuntur cum internis a partibus ossium metacarpi lateralibus, ac inferioribus; tendinibus aponevroticis latis, ac expansis digitis lateraliter adnectuntur. Usus singularem muscoli hi habere videntur. Auctores nonnulli pro abductoribus, alii autem pro adductoribus, alii pro extensoribus, alii demum pro flexoribus habent digitorum. Vide de his *Memoires de l'Academie des Sciences ann. 1780 p. 92.* HEISTERI *Compendium anatomicum. Nro. (74<sup>a</sup>.)* ALBINI *Historiam musculorum hominis pag. 508 — 515. cap. CLXXX. & CLXXXI.*

#### 5. EXTENSOR QUATUOR DIGITORUM.

Oritur a condylo humeri externo, juxta longitudinem faciei externæ antibrachii descendit, in quatuor portiones dirimitur, ex quibus totidem exoriuntur tendines. Transeunt hi sub ligamento externo carpi, exteriora versus supra manum, juxta longitudinem faciei externæ phalangum digitorum excurrunt, ad usque initium unguium profunduntur, ubi loci & ultimo adhærescunt. Quo propius digitos accedunt tendines hi, eo latiores fiunt, ad phalangas primas fibris transversalibus invicem nectuntur.

**MUSCULI DIGITORUM PROPRII** pertinent ad Indicem, Pollicem & Auricularem.

#### I.

**MUSCULI PROPRII INDICIS** sunt:

1. **INDICATOR**, seu **EXTENSOR INDICIS PROPRIUS**. Oritur externe a parte media, ac fere infima cubiti, ac ligamenti interossei, transit sub ligamento carpi externo ad indicem



cem; inferitur phalangæ hujus tertiæ ad principium unguis.

2. **ABDUCTOR INDICIS**, seu **SEMIINTEROSSEUS INDICIS**. Oritur a parte laterali phalangæ primæ pollicis, ac osse primo metacarpi, ascendit juxta hujus longitudinem, tendineque inferitur basi phalangæ primæ indicis versus pollicem. Indicem a digitis reliquis abducit, versus pollicem adducit.

## II.

**MUSCULI PROPRII AURICULARIS** sunt:

1. **EXTENSOR PROPRIUS**, seu **AURICULARIS**. Oritur a condylo humeri externo, ac per decursum a ligamento interosseo, una cum tendinibus Extensoris digitorum communis transit sub ligamento carpi externo; inferitur exteriora versus juxta longitudinem phalangarum digiti minimi, tendini Extensoris communis unitus.
2. **ABDUCTOR DIGITI MINIMI**, seu **HYPOTHENAR**. Oritur ab osse pisiformi, huicque vicino ligamento carpi interno, inferitur externæ phalangæ primæ digiti minimi. Anatomici nonnulli huc & referunt.
3. **ABDUCTOREM DIGITI MINIMI**, quem **WINSLOWUS** vocat **METACARPIEUM**, **ALBINUS** autem **ADDUCTOREM OSSIS METACARPI DIGITI MINIMI**. Oritur hic ab osse unciformi, huicque vicino ligamento carpi interno; tendit tum oblique versus os metacarpi quartum, neciturque margini hujus toti externo. Os metacarpi quartum pollicem versus adducit, cavamque sic


una cum aliis reddit manum. Hinc ad musculos digiti minimi proprie non pertinet.

### III.

**MUSCULI PROPRII POLLICIS** sunt :

1. **FLEXOR POLLICIS PROPRIUS.** Oritur a ligamento interosseo, ac medio radio, transit sub ligamento carpi interno juxta phalanges excurrens tres pollicis; inseritur hujus phalangæ tertiæ.
2. **EXTENSOR POLLICIS PROPRIUS LONGUS, & BREVIS.** Oritur PRIOR exteriora versus a parte superiori ulnæ, ac ligamento interosseo oblique radium versus tendit, cui mediantibus quibusdam adnectitur fibris; tum in tendines duos abit, transeuntes sub speciali ligamento, ac utrique phalangæ secundæ, ac tertiæ adfiguntur. **BREVIS** oritur intra præcedentem ab ulna, radium etiam transcendit, cui & quibusdam adhærescit fibris, tendine tandem longo phalangæ primæ inseritur pollicis.
3. **ABDUCTOR POLLICIS, seu THENAR.** Oritur a ligamento carpi interno, ac osse multangulo majori, per decursum secundum marginem externum phalangis primæ sensim adnectitur, ac ad quartam phalangam pollicis finitur.
4. **HYPOTHENAR, seu MESOTHENAR.** Oritur pariter ab osse multangulo majori, ac ligamento carpi interno, nonnihil sub prioris situs capitulo phalangæ primæ pollicis exteriora versum tandem inseritur.
5. **ANTITHENAR, seu SEMIINTEROSSEUS POLLICIS.** Oritur ab osse primo, ac

secundo metacarpi, hinc oblique pollicem versus progreditur, ac tendine sat robusto, toti phalangæ primæ, ac parti inferiori phalangæ secundæ inseritur.



## T A B U L A XVIII.

### MUSCULI OSSIS FEMORIS.

Ad MUSCULOS FEMORIS reducuntur :

1. **PSOAS MAGNUS**, seu **LUMBARIS INTERNUS**. Oritur a latere corporis vertebræ ultimæ dorsi, ac vertebrarum quatuor supremarum lumborum, uti & ab apophyibus transversalibus harum vertebrarum; decurrit juxta superficiem internam ossis ilei; tendo hujus musculi unitur tendini Iliaci interni, quocum Trochanteri minori simul adhærescit.
2. **ILIACUS MAJOR**, seu **INTERNUS**. Oritur a tota superficie interna ossis ilei, tendo eius jungitur tendini prioris, unaque musculi hi duo transeunt sub ligamento **POUPARTII** inter spinas ambas ossis ilei, inseritur Trochanteri minori.
3. **ILIACUS MINOR**. Oritur a superficie externa, ac inferiori spinæ inferioris ilei, inseritur inferius Trochanteri minori.
4. **PECTINEUS**, seu **LIVIDUS**. Oritur proxime ad spinam obliquam marginis anterioris ossium innominatorum, inter spinam hanc & symphyfin ossium pubis inseritur sub Trochantore minori.

**PSOAS**

**PSOAS MAGNUS, ILIACUS MAJOR, ILIACUS MINOR, & PECTINENS** flectunt femur.

5. **GLUTÆUS MAGNUS.** Oritur posterior a tota circumferentia faciei externæ ossis ilei, partibus lateralibus ossis sacri, & coccygis, ligamento sacro-ischiadico, ac aponevrosi fasciæ latæ fibris carneis; coëuntes hæ transcendent Trochanterem majorem; tum uniuntur in tendinem, latum valde, ac robustum, quatuor digitos transversos sub Trochante majori parti posteriori ossis femoris adnexum.

Extendit femur.

6. **GLUTÆUS MEDIUS.** Oritur a facie externa ossis ilei, ac hujus spina superiori; inseritur tendine sat crasso parti supernæ, ac externæ trochanteris minoris.

7. **GLUTÆUS MINOR.** Oritur a parte superna, ac laterali faciei externæ ossis ilei, tendine valido inseritur parti anteriori trochanteris majoris. Musculus hisce duobus femur abducitur.

8. **TRICEPS.** Constat hic tribus diversis aliis musculis. **PRIMUS** dicitur **MUSCULUS PRIMUS**, seu **SUPERIOR TRICIPITIS**, seu **ABDUCTOR FEMORIS LONGUS.** Oritur tendine robusto a margine anteriori ossis pubis juxta hujus symphysin; inseritur juxta longitudinem mediæ partis lineæ asperæ femoris.

**SECUNDUS MUSCULUS** audit **SECUNDUS**, seu **MEDIUS TRICIPITIS**, seu **ABDUCTOR FEMORIS BREVIS.** Oritur sub priori a parte anteriori ossis pubis, inseritur supra eundem lineæ asperæ.






- TERTIUS** vocatur **MUSCULUS TERTIUS**, seu **INFERIOR TRICIPITIS**, seu **ABDUCTOR MAGNUS**. Oritur a tuberositate ac facie anteriori ossis ischii, inseritur eidem lineæ asperæ superiora versus. Musculi hi tres Tricipitis loco posteriori ad lineam femoris asperam tendinem efformant communem; juxta lineam illam descendentem, condylo interno femoris adnexum. Femur adducit.
9. **PYRAMIDALIS**, seu **PYRIFORMIS**, seu **ILIACUS EXTERNUS**. Oritur a parte laterali ossis sacri interiora, ac inferiora versus, transit tum incisuram ischiadicam, tendineque longo cavitati post trochanterem majorem sitæ, superius adnectitur.
10. **GEMINUS SUPERIOR**. Oritur exteriora versus a spina ischii.
11. **GEMINUS INFERIOR**. Oritur a margine posteriori tuberositatis ischii, ambo hinc ad cavum protenduntur, post trochanterem majorem situm, inibique firmantur. Transit inter utrosque tendo musculi Obturatoris interni.
12. **QUADRATUS FEMORIS**. Oritur juxta longitudinem faciei externæ tuberositatis ischii, inseritur lineæ, inter ambos trochanteres sitæ.
13. **OBTURATOR**, seu **ROTATOR INTERNUS**. Oritur interne a tota circumferentia foraminis ovalis, ac ligamento, occludente dictum foramen; tendo ejus transit per excisuram inter spinam, ac tuberositatem ischii, inflectitur tum, ac nequitur parti superiori, & interiori Trochanteris majoris.
14. **OBTURATOR**, seu **ROTATOR EXTERNUS**. Oritur externe a parte laterali tube-

tuberositatis ischii, ac margine externo foraminis ovalis; transit inter marginem inferiorem acetabuli, ac tuberositatem ischii per incisuram ibi præsentem, inseritur posterius inter ambos trochanteres.

Quod usum enumeratorum nunc sex musculorum adinet, eundem ille quem CL. WINSLOWUS dicat, adtribuo. Femur in semicirculum exteriora versus movent. Credit CL. WINSLOWUS similem motum interiora versus perfici a musculo fasciæ latæ, ejusque aponevrosi. Est autem

15. **MUSCULUS FASCIÆ LATÆ**, seu **TENSOR VAGINÆ FEMORIS** musculus parvus quinque circiter digitos transversos longus, tresque latus, exoritur a labio externo spinæ superioris ilei, situs inter aponevrosin, quæ **FASCIA LATA**, seu **VAGINA FEMORIS** vocatur, in quam & fibræ musculi carneæ evanescent. Aponevrosis hæc superius, ac antè labio externo marginis ilei superioris, ligamento **FALLOPII**, ac aponevrosi musculi **Obliqui externi abdominis**, supra quem plurimæ tenues excurrunt fibræ. Nectitur insuper trochanteri majori, partibusque lateralibus, ac inferioribus ossis sacri; descendit tum juxta longitudinem musculorum adhærescentium femori, ambit omnes, supra genu ad fibulam, ac tibiam excurrit, utriusque horum ossium firmiter adhæret; juxta longitudinem superficiem tibiæ internæ deorsum tendit, tandemque parti fibulæ adfigitur. Notandum insuper circa hanc aponevrosin venit, exacte tegere eandem musculos omnes, supra quos excurrit; augetur & fibris multis musculorum quorundam

dam, imprimis Glutæi magni, & medii, Bicipitis, Tibiæ, & Peronæi antici &c. &c. Emitterit nonnumquam productiones, intrantes inter musculos, vaginasque formantes musculorum.



## T A B U L A XIX.

### MUSCULI TIBIÆ.

**T**IBIA componitur *TIBIA striatæ sic dicta*, ac *FIBULA*; ad ossa hæc duo referuntur insequentes muscoli.

1. **RECTUS CRURIS**, seu **GRACILIS ANTERIOR**. Oritur tendine duplici tum a spina ilei inferiori, tum superius a margine acetabuli; corpus musculi hujus anterioris juxta longitudinem femoris descendit; inferius jungitur crurali, lateraliter Vastis; qui omnes una popliti, ac tibiæ adfiguntur.
  2. **VASTUS EXTERNUS**. Nexus per totam faciem externam femoris, a trochantere majori ad usque condylum femoris externum.
  3. **VASTUS INTERNUS**. Adfixus hic est faciei toti internæ femoris, a trochantere minori ad condylum usque femoris internum.
  4. **CRURALIS**. Nexus juxta longitudinem faciei anterioris femoris, lateraliter firmiter unitur Vastis duobus; aponevrosi, tendini Recti unita, inseritur parti superiori patellæ.
- RECTUS CRURIS, VASTUS EXTERNUS, VASTUS INTERNUS, & CRURALIS**


extremitatibus suis inferioribus invicem coeunt in aponevrosin, quæ partim supra patellam excurrit, spinæque tibiæ inseritur, partim patellæ lateraliter adligatur. Extendunt tibiam.

5. **SARTORIUS.** Oritur fibris brevibus tendineis a spina superiori ossis ilei; tum decursu transverso superat musculos in parte anteriori femoris sitos, versus faciem tibiæ internam protensus; inseritur infra condylum ejus internum. Tibiam postrosum, ac introrsum movet.
6. **GRACILIS, seu RECTUS INTERNUS.** Longus ac tenuis, exoritur statim intra symphyse ossis pubis; descendit juxta longitudinem faciei interioris femoris; inseritur faciei internæ tibiæ statim infra præcedentem.
7. **SEMIMEMBRANOSUS.** Oritur aponevroticus a tuberositate ischii tendine lato, tum juxta longitudinem femoris descendit; inseritur posterius infra condylum tibiæ internum.
8. **SEMITENDINOSUS, seu SEMINERVO-SUS.** Oritur tendine longo a tuberculo ischii, unitur dein capiti altero Bicipitis; mox vero ab illo denuo discedit, ac posterius descendit; tendine tandem rotundo, tenui vicinus tendini Recti interni finitur.
9. **BICEPS.** Duabus constat portionibus, quæ *Capita* vocantur *Bicipitis*. Caput unum longum est, oritur a tuberculo ischii; alterum brevius exoritur a medio linæ asperæ, hujusque facie externa. Coeunt tum utraque in musculum unum; tendo hujus inferior finitur in facie externa extremitatis superioris fibulæ.



10. **POPLITEUS.** Oritur tendine parvo a facie externa condyli femoris externi, hinc directione transversa fertur supra ligamentum capsulare, cui fibris nonnullis adhærescit, interiorum; evanescit in facie posteriori extremitatis superioris tibiæ.

Musculis his omnibus inflectitur tibia.



## T A B U L A XX.

### MUSCULI TARSI, AC METATARSI.

**A**d TARSUM, ac METATARSUM referuntur insequentibus musculi.

1. **TIBIEUS**, seu **TIBIALIS ANTICUS.** Oritur sub condylo tibiæ externo ab ejus superficie externa, juxta longitudinem faciei hujus descendit; tendoque robustus sub ligamento transit tarsi transverso; inseritur superficiei internæ ossis cuneiformis primi, ac basi ossis primi metatarsi superius, ac nonnihil lateraliter.
2. **PERONEUS MEDIUS**, seu **ANTICUS.** Oritur a parte media, ac inferiori fibulæ; tendo decurrit post malleolum externum, transiens ligamentum, ipsi cum tendine Peronei longi commune; inseritur superficiei convexæ apophyseos ossis quinti metatarsi.
3. **PERONEUS PARVUS.** Oritur prope Extensorem digitorum longum ab interiori facie fibulæ, decurrit juxta hujus longitudinem, transiens una cum tendinibus Extensoris digitorum

torum longi sub ligamento transverso : inferitur parti posteriori, superiori ossis ultimi metatarsi.

Musculi nunc descripti tres inflectunt pedem extremum.

4. **GASTROCNEMII**, seu **GRMELLI**. Musculi hini oriuntur ab extremitate inferiori femoris, proxime supra hujus condylos tendine expanso; efformat tum quivis corpus crassum, latum, carnosum; coeunt hæc intra suram, in tendinem valde latum, ac robustum, tendini Solei unitum.

5. **SOLEUS**. Oritur a parte superiori tibiæ, ac fibulæ; decurrens latefcit, ac tendini robusto gastrocnemiorum unitur. Ex unione horum tendinum exurgit tendo crassissimus, ac robustissimus, **CHORDA HIPPOCRATIS**, seu **TENDO ACHILLIS** dictus, tuberositati calcanei adfixus.

6. **PLANTARIS**, seu **TIBIEUS GRACILIS**. Oritur fibris brevibus tendineis posterius a condylo femoris externo, coit in corpus parvum, carnosum, protenditur tum in tendinem longissimum, ac tenuem, inter Soleum, ac Gastrocnemios descendentem, margini interno **CHORDÆ HIPPOCRATIS** unitum, cumque hac tuberositati calcanei insertum.


Musculis hisce tribus pes extremus extenditur.

7. **TIBIEUS POSTICUS**. Oritur loco posteriori a parte superiori tibiæ, ac fibulæ; tendo decurrit post malleolum internum, inferitur circumferentiæ ovali ossis scaphoidis. Adductor pedis extremi est.

8. **PERONEUS LONGUS**, seu **POSTICUS**. Oritur a latere externo, ac superiori fibulæ, descendit juxta faciem hujus externam; post

mal-

malleolum externum una cum tendine Peronei medii, seu antici a ligamento communi circumdatur; decurrit tum per sinuositatem ossis cuboidis versus plantam pedis; inferiturque faciei externæ ossis primi metatarsi. Abductor pedis externi est.



## T A B U L A XXI.

### MUSCULI DIGITORUM PEDIS.

**M**USCULI MOTORES DIGITORUM PEDIS, uti MOTORES DIGITORUM MANUS in COMMUNES dividuntur, & PROPRIOS.

#### I.

Ad COMMUNES referuntur.

1. **EXTENSOR LONGUS DIGITORUM PEDIS.** Oritur anterior a ligamento interosseo, ac juxta longitudinem faciei internæ fibulæ quibusdam fibris & a tibia, transit sub ligamento tarfi transverso, discedit in tendines quatuor faciei supernæ digitorum quatuor ultimorum adnexos.
2. **EXTENSOR BREVIS DIGITORUM PEDIS.** Oritur a superficie externa, & superiori apophyseos anterioris ossis calcanei, discedit in portiones quatuor carneas, quæ in totidem abeunt tendines, directione aliqua ab exterioribus interiora versus ad phalanges procurrentes, eaque ratione dispersos, ut tendo

do unus adhæreat superficiei superiori phalangis primæ pollicis, tres reliqui uniantur tendinibus Extensoris longi, inferanturque demum digitis tribus insequentibus. Quinque tendines rarius occurrunt, quodsi vero id fiat, tendo quintus ad digitum fertur minimum; ordinaria lege digitus hicce ab Extensore brevi nullum acquirit tendinem.

3. **FLEXOR BREVIS DIGITORUM**, seu **PERFORATUS PEDIS**. Situm hicce habet in planta pedis illico sub **APONEVROSI PLANTARI**, superficiei inferiori calcanei adfixa, per totam plantam pedis excurrenti, tendinibus Flexoris brevis fibris suis sat arcte adnexa, tandemque mediantibus portionibus diversis inserta capitibus ossium metatarsi. Sub hac jam aponevrosi plantari **FLEXOR DIGITORUM BREVIS** est situs. Oritur a superficiei inferiori calcanei, decurrens in portiones quatuor dirimitur, quæ in totidem tendines abeunt, faciei internæ phalangæ secundæ digitorum quatuor ultimorum insertos. Prope insertionem tendines hi finduntur, quo transire eosdem queant tendines Flexoris longi.
4. **FLEXOR DIGITORUM LONGUS**, seu **PERFORANS PEDIS**. Oritur a tota facie posteriori tibiæ, tendo post malleolum internum ad plantam excurrit pedis. Jungitur inibi portioni carnosæ, a calcaneo enatæ, **CARO ACCESSORIA**, seu **MUSCULUS PLANTARIS VERUS** dictæ; secedit denique tendo flexoris longi in tendines quatuor minores, per fissuram tendinum Flexoris brevis transeuntes, phalangæ tertię digitorum quatuor ultimorum adfixos.



5. **LUMBRICALES.** seu **VERMICULARES.** Quatuor sunt. Oriuntur a tendinibus flexoris longi, parvisque tendinibus adhærescunt phalangæ primæ digitorum quatuor ultimorum. Flexores etiam sunt digitorum, & una cum interosseis inferioribus numerantur inter abductores digitorum.
6. **INTEROSSEI.** Ad hosce pertinent muscoli septem, spatium inter ossa metatarsi occupantes; quatuor incumbunt superius dorso pedis, atque hi **SUPERIORES** vocantur, tres in planta pedis siti sunt, **INFERIORES** dicti. Superior primus oritur a partibus lateralibus ossis primi metatarsi inferius, secundique superius, inseritur faciei internæ phalangis primæ digiti secundi. Tres reliqui oriuntur a facie interna ossium trium ultimorum metatarsi, ac facie externa ossis secundi, tertii, ac quarti metatarsi; inseruntur ope parvorum tendinum faciei externæ phalangæ primæ digiti secundi, tertii, ac quarti. Ex insertione hac adparet, musculum interosseum superiorem esse adductorem digiti secundi, tres reliquos esse abductores digiti secundi, tertii, & quarti. Musculus primus interosseus inferior oritur juxta longitudinem partis internæ, ac internæ ossis tertii metatarsi; inseritur faciei internæ phalangæ primæ digiti tertii. Secundus enascitur ab interna, ac interna facie ossis quarti metatarsi, inseritur faciei internæ phalangæ primæ digiti quarti. Tertius oritur ab interna, ac interna facie ossis quinti metatarsi; inseritur faciei internæ phalangæ primæ digiti quinti. Hinc inferiores ob insertionem suam adductores sunt digitorum trium ultimorum.

## H.

**Ad MUSCULOS DIGITORUM PROPRIOS,** quibus **POLLIX** tantum instructus est, ac **DIGITUS MINIMUS**, referuntur insequentes :

1. **EXTENSOR POLLICIS PROPRIUS.** Oritur anterior a interiora, ac media parte faciei internæ fibulæ, ac tibiæ, uti & a ligamento interosseo ; tendo hujus transit sub ligamento tarsi transverso ; inseritur phalangæ primæ, ac secundæ pollicis, ad exortum usque protensus unguis.
2. **FLEXOR POLLICIS PROPRIUS.** Oritur posterior a media, ac inferna parte fibulæ ; tendo decurrit post malleolum internum ad plantam pedis, inseriturque faciei inferiori phalangæ ultimæ pollicis.
3. **THENAR, seu ABDUCTOR POLLICIS.** Oritur a parte interna calcanei, ossis scaphoidis, magnique ossis cuneiformis ; inseritur faciei internæ, posteriori phalangæ primæ pollicis.
4. **ANTITHENAR, seu ADDUCTOR POLLICIS** (*ad reliquos digitos*). Oritur ab inferna parte ossis metatarsi secundi, tertii, & quarti ; inseritur faciei posticæ, externæ phalangæ primæ pollicis.
5. **TRANSVERSALIS, seu QUADRATUS.** Oritur ab apophysibus ultimis quatuor metatarsi, ubi nectuntur phalangis digitorum, transversim fertur ad pollicem, inseritur faciei posticæ externæ phalangæ primæ pollicis. Adductor etiam est pollicis.
6. **ABDUCTOR DIGITI MINIMI.** Sub hoc nomine intelligitur massa integra carnosâ, exteriora versus in planta sita ; dividitur tamen in tres

musculos ; primus vocatur **METATARSICUS**, alter **PARATHENAR MAGNUS** tertius **PARATHENAR PARVUS**.

**a. METATARSICUS.** Oritur secundum longitudinem partis inferioris calcanei, excurrit ad partem externam plantæ, inseriturque apophysi ossis ultimi metatarsi. Plantam reddit minorem, ex lata concavam magis faciens; facit ad hoc & transversalis.

**b. PARATHENAR MAGNUS.** Oritur juxta longitudinem superficiei inferioris, ac externæ calcanei; inplantatur parti posticæ, extremæ phalangæ primæ digiti minimi. Digitum minimum abducit.

**c. PARATHENAR PARVUS.** Oritur a parte inferiori, ac nonnihil externa ossis ultimi metatarsi; tendo sat robustus inseritur parti inferiori, ac aliquantum exteriori phalangæ primæ digiti minimi. Usus ejus specialis, ut inflectat hanc phalangam. Cætera vero muscoli hi tres ( a. b. c. ) una cum Transversali, uti & Thenare plantam reddunt concavam; uti sub variis actionibus, v. c. adscensione arborum &c. incesu innixis ultimæ extremitati pedibus, &c. fieri adsolet.



# INDEX PRIOR

## TABULARUM MYOLOGICARUM.

---

Elenchus Musculorum corporis humani.	pag. 121
Tabula I. De Musculis in genere.	129
Tabula II. De Musculis Frontis, Superciliorum, Palpebrarum.	132
Tabula III. De Musculis Bulbi oculi, ac Aurium,	134
Tabula IV. De Musculis Nasi, ac Labiorum.	138
Tabula V. De Musculis Maxillæ inferioris.	143
Tabula VI. De Musculis Ossis hyoidis, ac Linguae.	145
Tabula VII. De Musculis Laryngis, ac Pharyngis.	147
Tabula VIII. De Musculis Veli palatini, & Uvulae.	153
Tabula IX. De Musculis Capitis.	155
Tabula X. De Musculis Colli.	158
Tabula XI. De Musculis Dorsi, Lumborum, Ossis coccygis.	160
Tabula XII. De Musculis Thoracis.	164
Tabula XIII. De Musculis abdominalibus	167
Tabula XIV. De musculis Ani, Testium, Scroti, Penis, Clitoridis, & Vesicæ urinariæ.	172
Tabula XV. De Musculis Claviculae, Scapulae, Humeri.	176
Tabula XVI. De Musculis Cubiti, Radii, Carpi & Manus.	179

<b>Tabula XVII. De Musculis Digitorum Manus.</b>	<i>pag.</i> 183
<b>Tabula XVIII. De Musculis Ossis fe- moris.</b>	188
<b>Tabula XIX. De Musculis Tibiæ.</b>	192
<b>Tabula XX. De Musculis Tarsi, ac Metatarsi</b>	194
<b>Tabula XXI. De Musculis Digitorum pedis.</b>	196



T A B U L Æ  
SYNDESMOLO-  
GICÆ.



# TABULÆ SYNDESMO- LOGICÆ.



## T A B U L A I.

### DE LIGAMENTIS OSSIUM RECENTIUM IN GENERE.

**D**e Ligamentis ossium recentium in genere veniunt notanda :

1. **DESCRIPTIO.** Ossium **LIGAMENTA** dicuntur partes corporis animalis jam validiores, firmioresque, jam & teneriores, elasticæ & membranosæ, quorum ope ossa invicem articulata in situ suo nexuque naturali retinentur ; tum & partes aliæ molles, inprimis vero musculi, ac horum tendines firmantur, coercentur, muniuntur.
2. **FABRICA.** Componuntur ligamenta fibris flexibilibus, arcte sibi intertextis, difficulter dilacerandis, aut abrumpendis ; intricatu suo vario aut teretes, rotundosque funes, aut laticas, tenuesque fascias ciformantibus.
3. **DIVISIO.** Ossium ligamenta in classes potissimum dirimuntur generales duas.
  1. Complectitur ligamenta, quorum ope extremitates binorum ossium, articulatione

mobilium in situ suo retinentur : vocantur hæc in genere **LIGAMENTA ARTICULARIA**.

- a. Comprehendit ligamenta, quæ, abs respectu ad articulationem habito, ossibus quidem, & cartilaginibus adhærescunt, partibus tamen mollibus aliis, inprimis vero musculorum tendinibus firmandis, motuique reddendo faciliori inserviunt.

*Ad Classẽm priorem inprimis referuntur :*

- a. Ligamenta, ossa duo, articulatione mobilia undique firmantia, *Ligamenta capsularia*, seu *orbicularia* dicta ; huc etiam reducuntur *capsula synoviales*, sub ligamentis capsularibus membranarum tenuium articulationem ambientium adinstar sitæ, effluxumque *synovia*, seu liquoris articularis impediens.
- b. Ligamenta, partibus binorum ossium lateralibus adfixa ; ratione situs, figuræ, magnitudinisque nominibus variis donata.
- c. Ligamenta intra articulationes binis adnexa ossibus ; uti ligamenta rotunda, cruciata, & sic porro.

*Ad Classẽm alteram reducuntur.*

- a. Ligamenta interossea, annularia, seu transversa, pro musculis firmandis.
- b. Ligamenta, quorum interventu cartilagine quædam adnectuntur ossibus.
- c. Ligamenta ab osse uno ad aliud decurrentia, aut amborum cohibentia motus excessum, aut inter illa solummodo expansa ; uti ligamenta inter os sacrum, ac os ischion e. s. p.



USUS, De hæc vide No. I.

---

---

## T A B U L A II.

### LIGAMENTA CLAVICULÆ, AC SCA- PULÆ.

#### I.

**C**LAVICULA ligamentorum ope tum antè, tum cum sociâ alterius lateris, tum cum sternò, tum cum costâ primâ, tum & postè cum scapula sequentem in modum cohæret.

1. Ligamentum utrasque jungens claviculas, *interclaviculare* audit; longum satis est, contractum, robustum tamen; retro sternum ab una extremitate claviculæ anteriori ad aliam decurrit.
2. Nectitur clavicula cum sternò ope ligamentorum brevium, robustorum tamen, sine uno nexorum extremitati anteriori claviculæ, altero ambientium marginem sinus sterni, cui inhæret clavicula, parte demum mediâ firmatorum cartilagini interarticulari, hinc totam articulationem amplexantium; insuperque ligamentum, quod ex una parte inter circumferentiam hæret hujus cartilaginis, ac sternum, ex altera firmatur clavicula, simul includentium.



3. Ad costam primam firmatur clavicula *ligamento rhomboideo*, exorto a facie inferiori scapulae, & inæquali extremitatis anterioris claviculae, oblique parum versus costam primam excurrente, superficiei superiori, ac anteriori cartilaginis costae primae adfixo.
4. Scapulae adhærescit clavicula mediante extremitate posteriori claviculae, & acromio scapulae. Decurrunt etenim ab osse uno ad aliud undique ligamenta exigua, robustissima, arcte ad invicem sita, articulationemque firmiter obtegentia. Si inter articulationem hanc hæreat cartilago interarticularis, VESALIO descripta, secundum sententiam tamen multorum Recentiorum rarius non nisi occurrens, tum per totam suam circumferentiam ligamentis hisce obducitur. Interior horum facies obvelatur membrana speciali capsulari.

## II.

Ligamenta SCAPULÆ in propria dirimuntur, & *communia*.

1. Ligamenta scapulae propria, ab eadem exorta, in eamque inplantata sunt:
  - a. *Ligamentum scapulae proprium anterius, seu triangulare.* Exoritur hoc a facie externa processus coracoidei fibris expansis, inhærescit margini acromii interno, paulo contractius.
  - b. *Ligamentum scapulae proprium posterius.* Oritur a medio marginis superioris proxime insertionem musculi Homohyoidei; inseritur incisuram scapulae mediam exsuperans radici processus coracoidei. Nonnunquam & duo adfunt.

## 2.

*Ligamenta communia* scapulæ vocantur, queis tum claviculæ, tum ossi humeri adnectitur. Sunt :

- a. *Ligamentum scapulæ commune primum*, seu *conoides*. Hæret inter partem eminentiorem radicis processus coracoidei, protuberantiamque posteriorem Inæqualem, extremitatis posterioris claviculæ.
- b. *Ligamentum scapulæ commune secundum*, seu *trapezoides*. Oritur denuo a processu coracoideo paulo magis versus superficiem ejus internam, latius priori est; inseritur etiam tuberculo claviculæ, paulo plus interiora versus.
- c. *Ligamentum orbiculare*, seu *capsulare*. Nectitur hujus interventu caput humeri cum cervice scapulæ, totamque hanc articulationem circa circum ambit. Inseritur sine uno margini cavitatis glenoidis, ibique sitæ cartilagini; altero collo humeri, ubi evanescit cartilago capitis humeri nexu firmissimo. In parte superiori ligamenti hujus cernitur fissura longitudinalis, quam transit tendo secundus musculi Bicipitis, cujus vagina a ligamento capsulari majus acquirit robur. Firmius insuper redditur ligamentum hoc fibris validis a processu coracoideo descendentes, tendinibusque latis musculorum, *Supra- & infra-spinati*, *Rotundi minoris*, ac *Infrascapularis*.

## T A B U L A III.

## LIGAMENTA ANTIBRACHII.

**L**igamenta ANTIBRACHII pariter in *communia* dividuntur, ac *propria*.

*Communia* sunt, quæ junguntur ossa antibrachii tum cum humero, tum ossibus manus.

*Propria* dicuntur, quæ necitur Radius cum cubito.

## I.

Ligamenta antibrachium inter ac humerum sunt:

- a. *Ligamentum capsulare*. Articulationem totam undique ambit. Firmatur nempe margini cavitationum extremitatis inferioris humeri, transcendit condylos humeri internos, & externos, condylosque trochleares. Ex altera parte firmantur margini scindenti olecrani, cavitationis sigmoideæ, ac processus coronoidei ligamento tandem radii orbiculari.
- b. *Ligamentum brachio-cubitale*, seu *laterale internum*. Oritur ab eminentia anteriori, supernaque condyli interni, transcendit ligamentum capsulare, cui valide adhæret, inferitur fibræ expansæ lateri interno apophyseos coronoideæ.
- c. *Ligamentum brachio-radiale*, seu *laterale externum*. Oritur a condylo humeri externo, transcendit ligamentum capsulare fibræ expansæ, necitur ligamento radii coronario.

## II.

## II.

Priusquam ligamenta describantur antibrachii inter, ac ossa manus sira, pauca quædam adnotabo de ossium horum articulatione:

Ossa tria prima carpi ordinis superioris juncta capitulum simul constituunt commune, in cavitationem glenoideam extremitatis inferioris radii exceptum. Amplior redditur hæcce cavitas cartilaginis specialis interventu, quæ *cartilago triangularis*, seu *accessoria*, seu *interarticularis* vocatur. Superficiebus instructa hæc duabus est, unius opæ cavitationem glenoideam elongat, altera facit ad exceptionem capituli ulnæ. Ex lateribus cartilago hæcce ligamentis parvis tum cum osse cuneiformi, tum & cum ulna jungitur.

Ligamenta jam dictæ articulationis sunt:

- a. *Ligamentum capsulare*. Firmatum hoc est ex una parte ad marginem cavitationis glenoideæ radii, & cartilaginis accessoriæ, & ad marginem capituli ulnæ; ex altera ad circumferentiam ossium trium primorum carpi, quibus capitulum dictum efformatur. Plurimæ insuper fibræ supra reliqua ossa carpi excurrunt, Sensimque per decursum evanescent.
- b. *Ligamentum robustum transversum*, superne nexum sinui ulnæ, inferne ossi cuneiformi, ac unciformi.
- c. Aliud non minus validum *ligamentum transversum* superne adfixum processui styloideo radii, inferne ossi naviculari.
- d. *Ligamentum obliquum*. Oritur non procul a latere processus styloidei radii, finitur ad tuberculum, quod format os lunare in superficie interna carpi.

Sunt insuper inter ossa dicta ex utroque latere *filamenta firma ligamentosa*, quæ ad firmandum ligamentum capitulare concurrere videntur,

### III.

*Ligamenta antibrachii propria* sunt:

- a. *Ligamentum orbiculare*, seu *coronarium radii*, fat robustum. Oritur a margine postremo cavitatis semicircularis ulnæ, ambit dein marginem circula rem capituli radii, ex qua parte æque planum est, evanescit ad marginem anteriorem ante dictæ cavitatis, hinc describit circulum, tres quadrantes unius pollicis fere æquantem. Ad pronationem, ac supinationem radii facit. Augetur ejus firmitas fibris pluribus aliis ligamentosis varia directione decurrentibus.
- b. *Ligamentum interosseum*. Latum hoc est, robustum, inter ambo antibrachii ossa expansum. Adfixum est angulo interno radii, altero extremo angulo externo ulnæ. Fibris constat robustissimis, invicem sese decussantibus, interstitiaque relinquentibus pro vasorum quorundam transitu. Faciei utriusque plures adnectuntur muscoli ad manum tendentes.
- c. *Ligamentum obliquum*, seu *chorda transversalis cubiti*. Oritur a tuberculo minori ulnæ, transversim decurrit inter musculum supinatore m brevem, ac profundum per interstitium a ligamento interosseo superne relictum; inseritur radio proxime infra ejus tuberositatem.

- d. *Ligamentum capsulare fucciforme.* Oritur a margine incisuræ semilunaris extremitatis inferioris radii, tam anterius, quam posterius versus collum procedit capitis ulnæ, ambit hoc, adnectitur tandem manum versus margini cartilaginis antedictæ adaccessoriæ. Obducit ligamentum hoc capitulum ulnæ ex integro, laxius nonnihil adhæret, ne pronatio, & supinatio impediatur.

T A B U L A IV.

LIGAMENTA, NECTENTIA  
OSSA MANUS.

**M**ANUS componitur trium diversarum specierum ossibus. Prior harum *Carpus* audit: constat hic ossibus 8. duplici serie sibi inpositis, tum cum antibrachio, tum cum metacarpo, ac prima phalanga pollicis, tum & inter sese nexis.

Altera *Metacarpus* vocatur. Constat ossibus 4. oblongis nexis tum cum serie secunda ossium carpi, tum cum phalanga prima quatuor ultimorum digitorum.

Tertiam demum *Phalangæ* constituunt digitorum. Ad has referuntur ossa quindecim; ex quibus cuiusvis digito propria sunt tria, denotantur sub nomine phalangæ primæ, secundæ, ac tertiæ: connectitur prima digitorum quatuor ultimorum cum metacarpo; prima pollicis cum carpo, secunda cum prima, tertia cum secunda. Ligamen-

ta etiam ibi loci sita dividuntur in ea quæ carpo, quæ metacarpo, quæ phalangis digitorum sunt propria.

## I.

**LIGAMENTA CARPI** uniunt carpum cum antibrachio: uniuntur & inter sese invicem. Ligamenta inter carpum, ac antibrachium in præcedenti tabula fuerunt exposita. Ligamenta, quibus uniuntur invicem ossa carpi, univèrsim brevissima sunt; hinc & ossibus hisce motum non nisi exiguum relinquunt, ac obscurum. Huc referuntur:

1. **LIGAMENTUM OSSIUM CARPI COMMUNE CAPSULARE.** Nectitur hoc mediante series prima ossium carpi cum secunda,
2. **LIGAMENTA VARIA EXIGUA, BREVISSIMA,** decurrentia tum ab osse uno pluribusve seriei primæ ad os unum, plurave seriei secundæ; tum & nectentia invicem ossa cuiusvis seriei, **LIGAMENTA** audiunt **OSSIUM CARPI PROPRIA, TRANSVERSA, CAPSULARIA, OBLIQUA, & RECTA.**

## II.

**LIGAMENTA METACARPI** uniunt tum metacarpum cum serie secunda ossium carpi, tum & ossa metacarpi ad invicem.

Ligamenta inter metacarpum, & carpum brevissima sunt, robusta tamen; ratione directionis fibrarum suarum, ac situs vocantur **DORSALIA, PALMARIA, LATERALIA, PERPENDICULARIA, RECTA, PROFUNDA, &c.**

2. Ligamenta hærentia inter ipsa ossa metacarpi nectuntur tum horum basi, tum capiti. Illa bre-



breviora parum hisce sunt; nam & ossa metacarpi ad basin magis ad sese adcedunt.

### III.

**LIGAMENTA DIGITORUM QUATUOR ULTIMORUM** uniunt phalanges tum cum metacarpo, tum & inter sese. **LIGAMENTA POL-LICIS** neſtunt hunc eundem superius cum ossa trapezio ratione inſequenti.

1. Ligamenta neſtentia phalangem primam pollicis cum carpo sunt:
    - a. **LIGAMENTUM** unum **CAPSULARE**; uniens phalangem cum osse trapezio, ossa utraque ambiens.
    - b. **LIGAMENTA** quædam **ADCESSORIA**, ab osse uno ad alterum decurrentia, majori eorum inservientia firmitati, motuique reddendo faciliori.
  2. Ligamenta phalanges digitorum quatuor ultimorum neſtentia cum metacarpo, **CAPSULARIA** sunt. Fines ossium ex utroque latere undique ambiunt; moveri horum beneficio queunt phalanges supra metacarpum in omnem sensum liberrime.
  3. Ligamenta phalanges digitorum neſtentia inter sese **LATERALIA** sunt; ex utroque latere ligamentum robustum decurrit ab osse uno ad alterum suprapositum, firmaturque capsulæ subtrili articulari.
- Pars** ossium horum reliqua articulata ambitur expansione tendinum muscutorum **Extensorum**, interne vero ligamento, includente tendines flexorum; juxta longitudinem marginum phalangum connexis.

## T A B U L A V.

LIGAMENTA MANUS, PROSPICIENTIA  
TENDINIBUS MUSCULORUM.

**L**IGAMENTA MANUS, abs ullo ad articulationem sumto respectu, PROSPICIENTIA TENDINIBUS MUSCULORUM sunt:


1. **LIGAMENTUM CARPI TRANSVERSALE EXTERNUM.** Ligamentum hoc crassum, robustumque firmissime adnexum ex latere uno ossi pisiformi, ac apophysi styloideæ ulnæ. Transcendit tum transversim articulationem, sursum excurrens; inseritur faciei externæ radii, hujusque apophysi styloidi. fibras nonnullas dimittens supra muscolum Abductorem pollicis; sine hoc latius etiam est, quam altero obposito. Inter ligamentum hoc ipsum, & ossa, quæ transcendit, intercipit spatium, pro transitu tendinum musculorum Extensorum digitorum, & carpi.
2. **LIGAMENTA sex VAGINALIA WINSLOWI.** Sita sub priori, nexa tum illi, tum & ossibus subjectis.
  - a. **PRIMUM**, transitum concedit Abductori pollicis.
  - b. **SECUNDUM**, Extensori pollicis proprio.
  - c. **TERTIUM**, tendinibus duobus muscoli Radiei externi.
  - d. **QUARTUM**, tendinibus Extensorum digitorum, ac indicis.
  - e. **QUINTUM**, tendini Extensoris digiti minimi.
  - f. **SEXTUM**, tendini Cubitei externi.
3. **LIGAMENTUM CARPI TRANSVERSALE INTERNUM.** Est ligamentum illud  
constans

constans fibris robustissimis, firmis, arcte sibi intextis, quod in palma transversim a margine externo carpi ad internam excurrit. Firmatur eminentiis quatuor, quas efformat carpus. Sub eo interstitium manet liberum sat magnum, quod transeunt tendines musculorum Flexorum digitorum

4. **LIGAMENTUM MINUS VAGINALE**, involvens tendinem Radiei interni.
5. **LIGAMENTA PALMARIA TRANSVERSA**, in capite ossium metacarpi, ubi transversa directione excurrunt, ambientia partem carnosam musculorum Lumbricalium; firmantur tum membranis propriis musculorum indicis, ac digiti minimi, tum ossibus metacarpi, tum denique ligamentis tendinum vaginalibus.
6. **LIGAMENTA TENDINUM FLEXORUM VAGINALIA**. Vaginæ sic dicuntur membranosæ, queis includuntur tendines flexorum. Oriuntur a ligamento carpi transverso interno, procedunt in palma secundum longitudinem faciei concavæ phalangum ad usque harum extremam, ubi demum una cum tendinibus flexorum profundorum finiuntur.
7. **LIGAMENTA PHALANGUM VAGINALIA**. Adhærent marginibus phalangum: procedunt a margine uno ad lateris alterius obpositum; augentur sic robore ligamenta tendinum vaginalia. Fibræ quædam oblique excurrunt, sæpius sese invicem decussantes, unde & **LIGAMENTA** vocantur **PHALANGUM CRUCIATA**.
8. **LIGAMENTA TENDINUM FLEXORUM ADCESSORIA**. Ligamenta hæc sunt illa exigua, firma tamen, hærentia intra vaginam tendinum, exorta a phalange prima, & se-

cunda, in tendinibus muscoli Sublimis, ac Profundi v. nescientia.

9. **LIGAMENTA TEND'NUM EXTENSORUM DIGITORUM TRANSVERSA.** Ligamenta sunt brevia, in dorso manus transversim excurrentia a tendine uno ad alterum.



## T A B U L A VI.

### LIGAMENTA ARTICULATIONIS OSSIS FEMORIS CUM ACETABULO.

**N**EXUS ossis femoris cum acetabulo ossium innominatorum fortissimus est, ac firmissimus totius corporis. Articulatio hæc fit per *enarthrosin*, ubi os unum, femur scilicet, capite instructum est magno, alterum vero cavitate profundissima, in qua præcedentis caput liberrime in omnem sensum moveri queat. Ratio articulationis hujus, ligamentorumque adhæsiō manifeste varium demonstrat usum illius; inprimis autem inservit sustinendo incumbentis corporis ponderi dum stamus, aut flexis innitimur genibus; tum & motui inservit loco motorio universæ machinæ. Ligamenta hujus articulationis sunt insequentia:

1. **LIGAMENTUM CAPSULARE**, seu **ORBICULARE MAGNUM.** Constat fibris fortissimis, firmis: crassum valde, amplumque est. Ambit circumferentiam integram marginis acetabuli; nexus ejus ex hac parte ad tres, vel quatuor lineas ultra hunc marginem

nem excurrit ; firmatur & spinæ ilei inferiori ; tum vero obducit caput , partemque superiorem colli femoris ; arctissime tandem adhærescit parti inferiori colli , ab hujus medio usque ad basin. Fibræ ligamenti hujus pleræque longitudinales sunt ; respectu ad articulationem sumto oblique , seu ab anterioribus exteriora versus , ac ad latera directæ. In quibusdam locis crassius est , & robustius , quam quidem in aliis ; anterius etiam fibræ magis in femore descendunt , hinc & anterius longius est , quam parte postica , fibræ ligamenti hujus internæ minus in collo descendunt , quam externæ ; in circumferentia colli totius adnexæ.

Obtegitur ligamentum hoc ipsum a musculis plurimis : anterius nempe a Psoa , Iliaco majori , & minori ; exterius a Gluteo minimo , interiora versus a Pectineo , & Obturatore externo , posteriora tandem versus ab eodem Obturatore externo , interno , Pyriformi , ac Gemellis.

2. **LIGAMENTUM CAPITIS FEMORIS ROTUNDUM**, seu **INTERARTICULARE**. Hæret hoc in ipsa articulatione. Funem refert complanatum , superius latiore , inferius magis contractum. Extremo latiori firmatur foveæ acetabuli ; fibræ quædam adcedunt vix non ad ipsam incisuram marginis acetabuli. Extremo altero , magis tereti adnectitur foveolæ in capite femoris præsentis.



---



---

 T A B U L A VII.

## LIGAMENTA ARTICULATIONIS FEMORIS CUM TIBIA FIBULA, AC PATELLA.

**I**N extremitate ossis femoris inferiori condyli locantur duo oblongi, subrotundi; excipiuntur hi cavitatibus duabus minime profundis; quas efformant condyli capitis tibiæ, per ginglymum angularem. Inter ossa utraque cartilaginee hærent duæ, quæ, ob figuram *cartilaginee* dicuntur *Semilunares*, motui reddendo faciliori ossium, antedictorum in articulatione inservientes. In facie articulationis hujusce anteriori hæret PATELLA, cum femore per ginglymum angularem, cum tibia vero per *synoviosin* juncta.

Ligamenta, quæ ossa dicta, & cartilaginee in situ retinentur, ac nexu, sunt insequentia.

1. **LIGAMENTUM LATERALE INTERNUM.** Ligamentum est sat latum, exoriens a facie externa, ac fere postica condyli femoris interni; adhærescens ad quatuor digitos transversos infra articulationem parti superiori faciei internæ tibiæ.
2. **LIGAMENTUM LATERALE EXTERNUM.** Latitudine hoc priori cedit, superat illud crassitie; oritur a tuberositate faciei ossis antedicti externæ; decurrens in portiones dirimitur binas. Major adnectitur parti superiori faciei externæ tibiæ; brevior necitur apici obtuso extremitatis superioris fibulæ.

3. **LIGAMENTUM CAPSULARE.** Con-nectitur mediante hoc, firmatur articulatio genu. Adfigitur superius peripheriæ condylorum amborum femoris; inferius marginibus condylorum tibiæ, antè totam circumferentiæ patellæ; quare & patella in hac articulatione ea est forma, ut facies illius interior, cartilagine lævi obdusta loco anteriori ligamenti capsularis obeat vices. Majus ligamento huic eidem adcedit robur ab expansione aponevrosium fasciæ letæ, musculi Bicipitis, Vasti interni, & externi lateraliter, ab antica parte vero Recti, & Cruralis, a parte postica firmatur.
4. **LIGAMENTA POSTICA WINSLOVII.** Pollicem ligamentum hoc latitudine æquat dimidium, aliquanto tenuius est. Oritur a tuberositate, posterius in condylo externo femoris sita, oblique transcendit ligamentum capsulare, firmatur sub condylo tibiæ interno, prope insertionem tendinis musculi femimembranosi.
5. **LIGAMENTA ALARIA, MAJUS ET MINUS.** Duplicaturæ sunt ligamenta hæc ipsa tunicæ interioris ligamenti capsularis, ex parte utraque laterali patellæ prognata, in pinguedine ibi loci sita evanescentia.
6. **LIGAMENTUM MUCOSUM VESALII.** Exoriri videtur a pinguedine compactiori articulationis, tum & a facie interiori cartilaginea patellæ; inseritur faciei internæ condyli femoris externi.
7. **LIGAMENTA CRUCIATA.** Horum sub nomine veniunt ligamenta duo firma, intra ligamentum capsulare situ decussato sibi superinposita; queis femur cum tibia exacte nectitur, vinciturque. Unum horum situm occupat magis anteriora versum, inde **ANTICUM**

dictum. Alterum vero posteriora respiciens, ob situs rationem **POSTICI** invenit nomen.

- a. **LIGAMENTUM CRUCIATUM ANTI-CUM.** Exoritur ab apice tuberculorum intra excavationes superficiales condylorum tibiæ fitorum; oblique ex hinc sursum tendit versus incisuram, inter condylos femoris occurrentem; adhærescit denum ibi loci foveæ semilunari condyli femoris externi.
- b. **LIGAMENTUM CRUCIATUM POSTICUM** pronascitur a foveola, proxime post tubercula inoda dicta sita, quin & ab ipso tuberculo posteriori; pari ratione oblique sursum ascendit, adhæresceus foveæ semilunari condyli femoris interni.
8. **LIGAMENTA CARTILAGINUM SEMILUNARIUM.** Vocantur sic ligamenta, cartilagiæ semilunares tum inter sese invicem, tum cum tibia, tum & cum femore neſtentia
- a. In cornubus harum cartilaginum ligamenta cernuntur minora, queis tuberculis neſtuntur tibiæ; fibræ eorum nonnullæ confluat cum ligamentis cruciatis, femur versus usque protensæ.
- b. **LIGAMENTUM CARTILAGINUM COMMUNETRANSVERSUM** Ligamentum hoc ambabus cartilaginibus commune est. Transversim a convexitate anteriori cartilaginis unius ad convexitatem anteriorem cartilaginis alterius excurrit.
9. **LIGAMENTUM PATELLÆ MAGNUM, seu RECTUM.** Oritur a sulco apicis patellæ, recto decursu ad spinam tibiæ fertur, cui adhærescit



hærescit ; firmatur insuper insigniter ab apono-  
vrosibus musculorum extensorum tibiæ.

---

T A B U L A VIII,

LIGAMENTA TIBIAM INTER, AC FIBU-  
LAM SITÁ.

**E**xtrimitas fibulæ superior jungitur cum tubercu-  
lo, antè sub condylo tibiæ externo sito ;  
extrimitas vero fibulæ inferior, exteriora versùs  
malleolo externo antè, ac postè margini-  
bus donata recipitur in incisuram extremitatis  
inferioris tibiæ extrorsum positam, & marginibus  
etiám duobus instructam ; junctura hæc fit ea  
ratione in ambobus locis, ut motus duorum ho-  
rum ossium vix notabilis sit. Ligamenta jam  
inter ossa dicta sunt sequentia :

1. Ligamenta *extremitatis superioris*. Huc spectant
  - a. **LIGAMENTUM CAPSULARE**, utraque  
ossa obtegens.
  - b. Ligamenta varia sat robusta, sed brevía,  
circa articulationem adhærescentia.
2. **LIGAMENTUM** uniens partem mediam  
amborum ossium, dictum **INTEROSSEUM**.  
Latum hoc est, firmissimum, adhærens angulo  
posteriori externo tibiæ, ex altera parte an-  
gulo interno fibulæ ; componitur fibris ro-  
bustis, decussatim intertextis, hinc inde exi-  
gua ostiola pro transitu vasorum quorundam

hæmatophororum relinquentibus ; inprimis autem loco superiori cernitur apertura , autrorsum a principio musculi tibialis antici , posterorsum a principio musculi solæi , ac tibialis postici obteçta. Facies binæ planæ inserviunt adhæsioni quorundam musculorum ad pedem extremum tendentium.

3. Ligamenta *extremitttis inferioris* sunt ligamenta illa quatuor brevia , robusta , firma a margine tibiæ ad marginem fibulæ aliquantulum oblique decurrentia. Duo ex his anteriori , duo posteriori hærent loco.




## T A B U L A IX.

### LIGAMENTA INTER TIBIAM , ET FIBULAM , AC TARSUM SITA.

**E**xtrimitas tibiæ inferior cavitatem efformat , lateraliter faciebus planis malleolorum ampliandam , horum eorumdemque ope cum corpore astragali per ginglymum angularem cohærentem. Ligamenta huius articulationis adhærescunt ossibus non solum dictis , sed & ossi præterea calcis , ac naviculari. Sunt vero sequentia.

1. **LIGAMENTUM FIBULÆ ANTERIUS.**  
Oritur ab antica facie malleoli externi , oblique anteriora versus tendit , ac apophysi astragali superiori loco adhæret.

2. **LIGAMENTUM FIBULÆ MEDIUM.** Oritur ab apice malleoli externi loco exteriori, decursu perpendiculari descendit, evanescit in superficie laterali externa corporis calcanei.
3. **LIGAMENTUM FIBULÆ POSTERIUS.** Adhæret principium hujus margini inferiori, postico, prope foveolam malleoli fibulæ, hinc oblique posteriora versus decurrit, finiturque proxime ad incisuram inferiorem apophyseos astragali.
4. **LIGAMENTUM TIBIÆ DELTOIDES.** Oritur ab margine tibiæ, ac apice malleoli interni, tum fibræ ejus latius nonnihil ab invicem secundunt, earumque nonnullæ incisuræ anteriori apophyseos astragali, aliæ circumferentiæ convexæ ossis navicularis adhærent.
5. **LIGAMENTUM CAPSULARE.** Oritur a marginibus cavitatis articularis tibiæ, altero extremo adhæret incisuræ astragali, quæ apophysis hujus a corpore secernit.



## T A B U L A X.

LIGAMENTA NECTENTIA OSSA PEDIS  
EXTERNI.

**P**es extremus in tres diversas ossium series dirimitur. Ad primam referuntur *ossa tarfi*, quorum septem sunt : ad alteram *ossi metatarfi*, quinque numero : ad tertiam demum *phalanges digitorum* quatuor ossiculis compositæ, ex quibus duo tantum ad pollicem, ad reliquos autem digitos singulatim tria pertinent, in ossa primi, secundi, ac tertii ordinis discreta.

Juxta ossa hæcæ diversa ligamenta etiam iisdem propria dividuntur in *ligamenta tarfi*, *metatarfi*, ac *phalangum digitorum*.

## I.

## LIGAMENTA OSSIUM tarfi sunt :

1. Inter *astragalum*, & *calcaneum* ; nimirum
  - a. Ligamenta varia brevia, adhærentia exteriora versus marginibus utriusque faciei, queis *astragalus* nectitur cum corpore *calcanei*, ligamentum quodammodo referentia capsulare.
  - b. LIGAMENTUM PERPENDICULARE, inter incisuram *astragali*, & incisuram *calcanei* exteriora versus.

- c. **LIGAMENTUM OBLIQUUM**, inter incisuram denuo astragali, ac incisuram calcanei versus interiora.
- d. **LIGAMENTA LATERALIA PARALLELLA**, ex quibus jam unum, jam & duo adiunt, inter marginem superficiei anterioris apophyseos astragali, ac superficiem externam apophyseos anterioris calcanei.
2. *Inter astragalum, & os naviculare:*
- a. **LIGAMENTUM LATUM**, exoriens ab eminentia apophyseos astragali, adhærens circumferentiæ ossis navicularis; fibras nonnullas ad os usque cuneiforme medium ablegans.
- b. **LIGAMENTUM LATERALE**, oriens a parte antea dicta astragali lateraliter interiora versus, evanescens in osse naviculari, obiectum in situ a ligamento deltoideo. Ligamentum laterale, ac latum delitescunt sub
- c. **LIGAMENTO CAPSULARI**, sito inter marginem superficiei anterioris apophyseos astragali, ac marginem superficiei posterioris ossis navicularis, tenuissimo, ac molli.
3. *Inter calcaneum, ac os naviculare,*
- a. **LIGAMENTUM SUPERIUS**, oriens loco anteriori, superiori inter apophysi calcanei; adhærescens extremo altero oblique ossi naviculari.
- b. **LIGAMENTA INFERIORA**, ex quibus etiam jam unum, jam & duo adiunt, orientia a parte externa superficiei inferioris apophyseos anterioris calcanei, tendentia decursu obliquo ad latus ossis navicularis plantam pedis spectans. Vocatur ex his unum *planum*, alterum *teres*.

4. Inter *calcaneum*, ac *os cuboideum*.

a. **LIGAMENTUM SUPERFICIARIUM EXTERNUM**, inter superficiem superiorem apophyseos anterioris calcanei exteriora versus, ac superficiem superiorem ossis cuboidei.

b. **LIGAMENTUM SUPERFICIARIUM INTERNUM**, inter loco statim dicta, sed interiora versus.

c. **LIGAMENTUM LATERALE**, inter marginem externum apophyseos anterioris calcanei, ac superficiem externam ossis cuboidei in margine postico sulci illius.

d. **LIGAMENTUM LONGUM**. Situm hoc est in planta pedis; longissimum est, ac robustum; oritur a facie inferna, ac externa calcanei, prope tuberculum externum; transcendit dein faciem dictam inferiorem apophyseos anterioris calcanei, ad superficiem inferiorem ossis cuboidei tendens, ubi & margini ibi loci sito adhærescit.

e. **LIGAMENTUM OBLIQUUM**. Oritur magis anteriora versus a facie interna calcanei; prope ligamentum longum, magis tamen interiora spectans. Latet sub his membrana capsularis, tenuis, subtilisque texturæ.

5. Inter *os naviculare*, ac *os cuboideum*.

a. Ligamentum, oriens a parte superiori circumferentiæ ovalis ossis navicularis exteriora versus, tendens decursu transverso ad os cuboideum, adfixum superficiem illius superiori.

b. Ligamentum oriens a parte interna dictæ nunc circumferentiæ, evanescens in margine posteriori superficiem inferioris ossis cuboidei.

6. *Inter os naviculare, ac ossa cuneiformia.*
- a. **LIGAMENTUM LATUM SUPERIUS**, latius aliquantulum, enatum a circumferentia superiori ossis navicularis; fibræ hujus ab invicem dein fecedunt, adhærentes ossi cuneiformi tum primo, tum secundo, tum tertio; quam quidem ob rationem Auctores nonnulli in tria diversa ligamenta hoc ipsum dividerunt.
  - b. **LIGAMENTUM LATERALE**, inter partem internam circumferentiæ ossis navicularis, & faciem anteriorem ossis primi cuneiformis.
  - c. **LIGAMENTA tria, vel & quatuor INFERIORA**, exorientia a tuberculo ossis navicularis: adhærescunt ex his duo priora basi ossis primi cuneiformis; adhærescit tertium apici ossis secundi cuneiformis; quartum tandem, idque longissimum, tum apici ossis cuneiformis tertii, tum faciei inferiori ossis cuboidei.
7. *Inter os cuboideum, ac os cuneiforme tertium.*
- a. **LIGAMENTUM PLANUM**, in dorso pedis decursu transverso ab osse cuboideo ad os cuneiforme tertium protensum.
  - b. Ligamenta tria, vel quatuor, in planta pedis sita, robusta, crassa; decurrentia transversim a superficie inferiori ossis cuboidei ad apicem ossis cuneiformis tertii.
8. *Inter ossa tria cuneiformia.*
- a. Ligamenta nonnulla in dorso pedis tendentia ab osse uno ad alterum, obiecta plano ligamentoso communi.
  - b. **LIGAMENTUM OBLIQUUM** in planta pedis, inter basia ossis cuneiformis primi, ac superficiem internam ossis secundi cuneiformis.

c. Ligamentum inter faciem utramque ossis cuneiformis secundi, ac tertii.

## II.

**LIGAMENTA OSSIUM METATARSI.** Uniuntur hisce ossa dicta tum cum tarso, tum inter sese ipsa.

1. Ligamenta, queis nectuntur *ossa metatarsi* cum *ossibus tarfi* sunt:

a. Os metatarsi pollicis unitur cum osse primo cuneiformi ope **LIGAMENTI CAPSULARIS**, in dorso pedis, ac ex altero latere versus plantam ligamentis aucti duobus aliis; nimirum.

a. In dorso **LIGAMENTO DORSALI**, fibris latis ambiente os utrumque.

b. In planta **LIGAMENTO LONGITUDINALI**, adhærente eminentiis ambabus, quæ in osse utroque ad juncturam occurrunt.

b. Os metatarsi secundum unitur cum ossibus tribus cuneiformibus, & quidem

a. In dorso cum osse cuneiformi per **LIGAMENTUM OBLIQUUM**, cum secundo per **LIGAMENTUM RECTUM**, cum tertio per **LIGAMENTUM OBLIQUUM**.

b. In planta cum ossibus antè dictis per ligamenta brevia, a faciebus lateralibus horum ossium ad os metatarsi secundum decurrentium.

c. Os metatarsi tertium nectitur.

a. In dorso cum osse cuneiformi tertio per **LIGAMENTUM RECTUM**, & cum cuboideo per **LIGAMENTUM OBLIQUUM LONGUM**.



- b. In planta cum osse cuneiformi per **LIGAMENTUM OBLIQUUM**, cum tertio per **LIGAMENTUM RECTUM**, & cum osse cuboideo per **LIGAMENTUM OBLIQUUM**, & **INCURVUM**.
- d. Os metatarsi quartum nectitur.
- a. In dorso cum osse cuboideo per **LIGAMENTUM PLANUM**.
- b. In planta cum osse cuneiformi tertio per **LIGAMENTUM OBLIQUUM**.
- e. Os metatarsi quintum nectitur.
- a. Cum osse cuboideo per **LIGAMENTUM robustum CAPSULARE**, ac
- b. Cum apice ossis cuneiformis tertii per **LIGAMENTUM TRANSVERSALE**.
2. Ligamenta, quæ nectuntur *ossa metatarsi inter se met ipsa*, jungunt vel horum extremitates posteriores, seu *bases*, vel extremitates anteriores, seu *capita*. Ligamenta *basium* occurrunt tum in dorso, tum in planta pedis, tum in interstitiis, quæ intercipiunt ossa metatarsi inter sese.
- a. Tria ossium metatarsi in dorso sunt ligamenta **TRANSVERSALIA** dicta. Primum horum situm obtinet inter secundum, ac tertium, secundum inter tertium, & quartum, tertium denique inter quartum, & quintum os metatarsi.
- b. Tria pariter sunt ligamenta ossium metatarsi in planta, **TRANSVERSALIA** denuo vocata; adhærescunt uti illa quæ in dorso sita sunt; primum siquidem jacet inter secundum, ac tertium, secundum inter tertium, & quartum, tertium inter quartum, ac quintum os metatarsi, duplicatum nonum quam tertium occurrit. Huc insuper referri debet **LIGAMENTUM TRANSVERSALE**, situm inter os metatarsi

secundum, & quintum, basi ossis metatarsi tertii, & quarti firmiter adhærens.

c. Ligamenta in interstitiis ossium metatarsi locata tria sunt numero, **LATERALIA** dicta; situm ex his primum est inter os metatarsi secundum, & tertium, alterum inter tertium & quartum, tertium vero inter quartum & quintum.

Ligamenta ossium metatarsi in horum *capitibus* brevissima sunt. Protenduntur ab osse uno ad alterum, angulis adcreta, quos inferiora versus efformant capitula; augentur reunionem fibrarum ab aponevrosi plantari productarum.


### III:

**LIGAMENTUM PHALANGUM DIGITORUM PEDIS**, uniunt phalangas tum cum metatarso, tum & inter semet ipsas.

1. **LIGAMENTA** inter phalangas digitorum primas, & capita ossium metatarsi **CAPSULARIA** sunt, abientia utrinque fines amborum ossium; tenendum circa hæc ipsa partem, horum ligamentorum inferiorem in digitis quatuor post hallucem sequentibus crassiorem multo esse, ac substantia cartilaginea obductam.

2. Ligamenta, quæ vincuntur phalangæ inter sese, **LATERALIA** sunt, ex lateribus phalangum ab osse uno ad alterum decurrentia, capsulæ subtili articulari adnata.

Augentur præterea robore ligamenta phalangum in dorso pedis expansione tendinum musculorum Extensorum; in planta vero ligamentis obvolventibus tendines musculorum flexorum.



## T A B U L A XI.

LIGAMENTA PEDIS TENDINIBUS MU-  
SCULORUM PEDIS DICATA.

**L**igamenta pedis abs respectu usus ad articulationem requisiti habito, sed tendinibus tantummodo dicata musculorum sunt sequentia.

1. Ligamentum vaginale tibiæ. Nomine hujus venit membrana illa robustissima, exorta in parte antica, & interna tibiæ ab hujus angulo anteriori, decurrens transversim supra tendines musculorum: Tibialis antici, Extensoris pollicis proprii, Extensoris communis, Peronæi antici medii, & postici, adhærens lateri externo fibulæ, musculosque nunc enumeratos arcte includens.
2. **LIGAMENTUM DORSI TRANSVERSUM**, seu **CRUCIATUM**. Ligamentum est duplicatum, cujus pars una ex latere pedis externo a fibula supra malleolum externum, altera vero ab apophysi anteriori calcanei enascitur; directione decussata supra juncturam tibiæ cum tarso sese mutuo transcendunt, ac lateri pedis interno ita adhærescunt, ut unum nectatur malleolo interno, alterum lateri interno ossis navicularis. Obvelat ligamentum hoc ipsum tendines musculorum ad pedis digitos tendentium, eosque in situ determinato retinet.

3. **LIGAMENTUM TENDINUM PERONEORUM.** Oritur ab antica parte calcanei, adhærescit lateri externo tuberositatis calcanei.
4. **LIGAMENTUM LACINIATUM.** Oritur a peripheria malleoli interni, radiatim dein expanditur, fibræque demum in pinguedine ibi præfenti, tum & in membrana musculi The-naris propria, ac facie interna calcanei evanescent: vaginam præbet tendinibus musculo-rum, ac vasis calcanei sinuositatem transeun-tibus.
5. **LIGAMENTUM VAGINALE,** obvolvens tendinæm Extensoris pollicis proprii.
6. **LIGAMENTUM VAGINALE,** ambiens in sinuositate calcanei tendinem flexoris proprii pollicis, adhærescens faciei internæ, ac laterali calcanei.
7. **LIGAMENTA TENDINUM FLEXORUM VAGINALIA.** Vocantur sic vaginæ membra-nosæ, obvolvences tendines flexorum in facie concava phalangum; auctæ a fibris ligamen-tosis exorris a marginibus phalangum.
8. **LIGAMENTA TENDINUM FLEXORUM ADCESSORIA.** Sunt ligamenta exigua, fir-ma, sita intra vaginam tendinum, orientia a phalangibus, uti ea quæ in manibus occu-runt, adhærentia tendinibus flexorum.
9. Ligamenta tendinum Extensorum transversa. Veniunt hoc nomine ligamenta a tendine uno ad alterum transverfim decurrentia.

## T A B U L A XII.

## LIGAMENTA OSSIUM CAPITIS.

**L**igamenta *ossium capitis* dirimuntur in binas classes. Ad priorem referuntur ligamenta inter maxillam inferiorem, ac os temporum sita, ad alteram ligamenta inter os occipitis, ac vertebrae colli intercepta.

## I.

Ligamenta adnectentia *maxillam inferiorem ossis temporum* sunt :

1. **LIGAMENTUM CAPSULARE.** Constat hoc fibris firmis, validisque, enatis a circumferentia foveæ articularis, ossis temporum, in decursu arcu adcretis circumferentiæ cartilaginis interarticularis, tandemque adhærescentibus collo apophyseos condyloideæ maxillæ inferioris.
2. **LIGAMENTUM MAXILLÆ INFERIORIS LATERALE.** Oritur a margine postico foveæ articularis, finitur prope foramen maxillare posterius in facie interna anguli maxillæ inferioris.

## II.

## II.

Ligamenta inter *occipitis os*, ac *vertebras colli* sunt sequentia :

1. Ligamenta neētentia *occiput* cum *vertebra prima* :
  - a. **LIGAMENTUM CAPSULARE**, constans fibris fortibus, firmisque, adhærentibus extremo uno basi processuum condyloideorum, altero margini apophysium adscendentium atlantis.
  - b. **LIGAMENTUM LATUM ANTERIUS**. Venit sub hoc nomine membrana firma, robustaque, sita inter marginem anteriorem foraminis occipitalis magni, ac vertebra primam colli ab apophysi hujus obliqua superiori ad usque tuberculum vicem corporis obiens.
  - c. **LIGAMENTUM LATUM POSTERIUS**. Vocatur sic membrana, minus, quam prior robusta; sita inter marginem posteriorem foraminis occipitalis magni, ac vertebra primam colli, ab apophysi hujus obliqua superiori usque ad tuberculum, vices apophyleos spinosæ explens. Intercipitur ligamento spatium pro transitu articularum vertebrarum, & quorundam nervorum.
2. Inter *os occipitis* ac *vertebram colli secundam* occurrit **LIGAMENTUM PROCESSUS DENTIFORMIS**. Oritur a capite hujus processus, adhærescit ab hoc principio margini anteriori foraminis occipiteis interiora versus ope duarum, triumve expansionum laterum,
3. Inter *occiput*, ac *vertebras reliquas colli* est **LIGAMENTUM NUCHÆ**, seu **CERVICALE**, oriens expansione latissima a protuberantia occipitali, in decursu semper angustius extre-

mitatibus suis apophyſibus adhæreſcit ſpinofis vertebrarum colli.



## T A B U L A XIII.

### LIGAMENTA SPINÆ VERTEBRALIS.


**S**ub *ſpina vertebrali* intelligimus ſeriem oſſium ſibi ſuperimpoſitorum, inter os occipitis ac os ſacrum ſitorum, *vertebris* conſtanti viginti quatuor; quarum ſeptem ſupremæ *vertebræ colli*, duodecim mediæ *vertebræ dorſi*, & quinque denum infimæ *vertebræ lumborum* adpellantur. Arcte hæ omnes inter ſeſe ſunt unitæ; ligamentis vinciuntur, firmantur, tum vertebris quibusdam in ſpecie propriis, tum omnibus ſimul communibus, ſequentibus.

- I. **LIGAMENTUM TRANSVERSALE VERTEBRÆ PRIMÆ.** Oritur a protuberantiis faciei cujuſvis internæ corporis atlantis, ſecundum hujus medium retro apophyſim odontoidem vertebræ ſecundæ decurrit, eamque ſub motu hemicyclico capitis in ſitu retinet. Videntur in latere illius ſuperiori, ac interiori fibræ quædam adreſſoriæ, quorum ſuperiores margini antico, & internæ foraminis occipitalis, inferiores autem baſi proceſſus odontoidis adreſſantur.

2. **LIGAMENTUM CORPORIBUS VERTEBRARUM COMMUNE ANTERIUS.** Robustum, latumque est; obtegit convexitatem corporum vertebrarum, quæ undique firmiter adhæret: decurrit ligamentum hoc ipsum a vertebra prima colli ad usque os sacrum.
3. **LIGAMENTUM CORPORIBUS VERTEBRARUM COMMUNE POSTERIUS.** Est ligamentum illud latum, obducens faciem corporum vertebrarum concavam, efformantem simul canalem medullæ spinalis, oriens a radice processus odontoidis, ad os usque sacrum pari-ter excurrens.
4. **LIGAMENTA INTERVERTEBRALIA.** Vocantur hoc nomine ligamenta marginibus cujusvis vertebræ, ab ipsa vertebra secunda colli, adhærentia; quorum fibræ directione decussata a vertebra una ad alteram decurrunt, & cartilagine inter superficies corporum vertebrarum interjectas, obducunt.
5. **LIGAMENTA SUBFLAVA.** Sunt ligamenta ea robusta, plurimum elastica, subflavescentia; quæ explentur interstitia inter radices processuum spinosorum. Marginibus partibus nunc dictis interjectis firmiter adnexa sunt.
6. **LIGAMENTA INTERSPINOSA.** Vocantur sic ligamenta brevia, firma, secundum longitudinem rachidis a spina una ad alteram decurrentia, quorum fibræ cartilagine transcendent, eaque ratione inter sese uniuntur, ut unicum nonnisi spinam omnem obtegre videatur ligamentum. Decurrit insuper ab apice cujusvis spinæ ad dorsum alterius ligamentum membranaceum, **MEMBRANA INTERSPINALIS** dictum.



7. **LIGAMENTA INTERTRANSVERSA-  
LIA.** Sunt hæc ligamenta brevia, exigua, ab  
apice cujusvis apophyseos transversæ ad api-  
cem supra positæ apophyseos alterius transver-  
sæ porrecta.
8. **LIGAMENTA CAPSULARIA PROCES-  
SUUM.** Sunt ligamenta articularia adhærentia  
peripheriæ processuum obliquorum.
9. **Ligamenta propria vertebræ lumborum ultimæ  
ossique sacro ejusdem indolis sunt, uti liga-  
menta vertebrae reliquas inter sese vincientia,**



## T A B U L A XIV.

### LIGAMENTA COSTARUM, ET STERNI.

#### I.

**C**OSTÆ uniuntur parte postica cum vertebris  
dorsi mediantibus *capitulis*, *collis*que; adeo, ut a. *ca-  
pitulum majus* recipiatur in sinum, efformatum a  
corporibus binis vertebrarum; (excipiatur tamen  
ab hac lege costa prima, ac ultima: quum prior  
recipiatur in sinum formatum a vertebra prima dor-  
si, posterior in sinum formatum a duodecima dorsi  
singulatim) ut b. *capitulum minus* uniatur cum fovea,  
formata ab apice cujusvis apophyseos transversæ  
vertebræ dorsi, tum & nexus fiat inter colium ac

vertebras per syndesmosin. Parte antica uniuntur costæ septem supremæ cum sterno mediantibus suis cartilaginibus; costarum vero quinque infimarum cartilaginee connexæ sunt cum cartilagine præcedentium.

Ligamenta ad nexum hunc facientia sunt.

1. **LIGAMENTA COSTARUM VERTEBRALIA.** Sunt ligamenta unientia capitulum costarum majus cum porporibus vertebrarum. Oriuntur principio a peripheria capitulorum prius dictorum, finiuntur fibris expansis in peripheria sinuum corporum vertebrarum.
2. **LIGAMENTA TRANSVERSALIA.** Sunt ligamenta firmantia articulationem capituli minoris costarum cum fovea insculpta apophysi cujusvis transversæ; fibræ horum firmillimæ sunt in parte externa versus costas.
3. **LIGAMENTA COLLI COSTARUM INTERNA.** Oriuntur a margine superiori colli costarum, finiuntur in facie interna apophyseos transversæ vertebræ suprapositæ dorsi.
4. **LIGAMENTA COLLI COSTARUM EXTERNA.** Oriuntur hæc denuo a margine superiori colli costarum, paulo tamen magis exteriora versus, oblique sursum tendunt, adhærescunt margini externo apophyseos obliquæ inferioris vertebræ supra positæ dorsi. Deficit ligamentum hoc ipsum in vertebra prima dorsi.
5. **BINA LIGAMENTA SPECIALIA,** exorta ab apophysi transversa vertebræ primæ, ac secundæ lumborum, inserta fibris lateſcentibus margini infero vertebræ ultimæ.
6. **LIGAMENTA CARTILAGINUM COSTARUM.** Nectunt hæc ipsa
  - a. *Costas septem Supremas cum sterno.* Parte adherent una peripheriæ finientis cartilaginis costarum nunc dictarum, parte altera peripheriæ

sinuum sterni, membranam tenuissimam obtegentia capsularem. Fibræ horum ligamentorum per omnem ambitum sat breves sunt, excepta solummodo parte anteriori, ubi scilicet in facie sterni externa radiatim expanduntur, & jam transversim ad latus obpositum, jam oblique sursum tendunt.

- b. Nectunt & ligamenta dicta *cartilagine costarum inter sese*. Excurrunt a cartilagine una perpendiculariter ad alteram; eaque ratione cartilagine costarum quinque inferiorum invicem uniant.

## II.

**STERNUM** compositum est partibus tribus. **PARS SUPERIOR** brevis est, superiori loco latior interiora versum denuo contrahitur. **PARS MEDIA** longior est, superne angustior, inferius latior, cum parte superiori mediante cartilagine unitur. **PARS INFERIOR**, seu **APEX STERNI**, seu **CARTILAGO ENSIFORMIS**, seu **XIPHOIDEA** exigua est, cum parte media denuo per synchondrosin cohæret. Ligamenta, queis sternum jungitur cum claviculis, & costis, jam descripta sunt. Referuntur adhuc ad eadem insequentia.

- a. **MEMBRANA STERNI PROPRIA**. Denotantur hac adpellatione fibræ illæ ligamentosæ firmæ, & robustæ, quæ ex utraque facie sterni hinc inde occurrunt, partes sterni tres exacte firmant. Melius cerni queunt in facie sterni interna, quum ibi fibræ multæ longitudinales sitæ sint.

b. **LIGAMENTA APICIS STERNI** bina. Oriuntur ab extrema facie apicis; quodvis hinc oblique sursum ad cartilaginem costæ superioris septimæ tendit, cui demum inplantatur.

---

## T A B U L A X V.

### LIGAMENTA OSSIUM PELVEOS.

**P**ELVIS cavum designat compositum ex lateribus & parte antica *ossibus innominatis*, parte vero postica *osse sacro*, & *coccygis*. Ligamenta queis ossa hunc dicta invicem uniuntur, tum sacrum os inter ac vertebram lumborum ultimam interjacent, tum & ossa innominata cum vertebris lumborum, osse sacro, ac osse coccygis vinciunt. De prioribus actum est in *Tabula decima tertia*. Ad posteriora referuntur:

1. **LIGAMENTUM OSSIS ILEI POSTICUM LONGUM.** Ligamentum hoc est robustissimum, crassum, exoriens a spina ilei posteriori, oblique descendens, adnexum demum apophysi quartæ transversæ spinæ ossis sacri. Obvelatur ligamentum hoc ipsum a membrana forti aponevrotica; ab eaque accurate distingui debet.
2. **LIGAMENTUM OSSIS ILEI POSTICUM BREVE** situm est hoc illico sub priori, multo tamen brevius. Oritur denuo a spina ilei posteriori, oblique ad apophysin tertiam transversam spuriam ossis sacri descendit, eique adhærescit,

3. LI:

3. **LIGAMENTUM LATERALE POSTICUM.** Oritur a facie interna spinæ posterioris ossis ilei, exhinc transversim ad apophysin primam transversam spuriam ossis sacri decurrit, ibique inplantatur; in decursu tendinem musculi Transverso - spinosi lumborum obtegit.
4. **LIGAMENTUM SACRO-SCHIATICUM EXTERNUM MAJUS.** Oritur principio sat lato ab apophysi quarta transversa spuria ossis sacri, ejusque parte laterali integra, tum & a vertebra prima spuria ossis coccygis; in decursu sensim magis contrahitur; adhærescit faciei internæ tuberositatis ischii.
5. **LIGAMENTA OSSIS COCCYGIS.** Ad quæ referuntur a. **MEMBRANA CAPSULARIS**, uniens Vertebam primam spuriam ossis coccygis cum apice ossis sacri. b. Occurrunt insuper sæpius duo **LIGAMENTA LONGITUDINALIA**, orientia in facie externa ab ultimis tuberculis ossis sacri, inplantata faciei externæ ossis coccygis.
6. **LIGAMENTUM SACRO-ISCHIATICUM INTERNUM MINUS, seu ISCHIO-COCYGEUM.** Oritur a margine laterali vertebrarum trium inferiorum spuriarum ossis sacri, ac ossis coccygis, unitur ibi loci exacte faciei internæ ligamenti sacro ischiatici externi; hinc transversali directione antrorsum pergit; adhærescens tandem spinæ ischii.
7. **LIGAMENTUM PELVEOS TRANSVERSALE SUPERIUS.** Oritur hoc a fine posteriori marginis superioris ossium innominatorum, transversim ad vertebrae ultimas lumborum excurrit, inseritur apophysi vertebrae ultimæ lumborum.



8. **LIGAMENTUM PELVEOS TRANSVERSALE INFERIUS.** Oritur hoc proxime penes præcedens, ac sub illo a margine superiori ossium innominatorum; inferitur apophysii transversæ vertebræ primæ spuria ossis sacri.
9. **LIGAMENTUM OBTURANS FORAMINIS OVALIS.** Adhæret ligamentum hoc margini peripheriæ foraminis hujus ovalis tum & incisuræ marginis acerabuli: intercipitur solummodo in parte superiori marginis apertura pro transitu hæmatophororum quorundam vasorum, ac nervorum. In facie interna, pelvîm spectante **LIGAMENTUM** adhuc est **TRANSVERSALE**, enatum a margine superiori proprope aperturam ante dictam, tendens versus faciem anteriorem marginis, ubi adfigitur.
10. **LIGAMENTUM INGUINALE, seu TENDINOSUM FALLOPII, seu POVPARTII.** Formatur hoc maximam partem ab aponevrosi musculi oblique descendenti: denotatur autem sub hoc nomine pars illa hujus ejusdem aponevrosos, quæ extremo uno spinæ ilei inferiori, altero eminentiæ symphiseos ossium pubis adnectitur. Etsi quidem Auctores nonnulli ligamentum hoc pro ligamento speciali habeant, & magis id nonnisi acquirere robur ab aponevrosi musculi oblique descendenti existiment.

## FINIS TABULARUM SYN- DESMOLOGICARUM.

# INDEX

## TABULARUM SYNDESMO LOGICARUM.

*Pag*

Tabula I. Ligamenta ossium recentium  
in genere

- II. Ligamenta claviculæ, & sca-  
pulæ
- III. — Antibrachii
- IV. — Necessaria ossa ma-  
nus
- V. — Manus, interser-  
vientia tendinibus  
musculorum ma-  
nus
- VI. — Articulationis os-  
sis femoris cum a-  
cetabulo
- VII. — Articulationis fe-  
moris cum tibia,  
fibula, ac patella
- VIII. — Sitæ inter tibiam,  
ac fibulam

IX.	→	Sita inter tibiam, fibulam, ac tarsum	224
X.	→	Nestentia ossa pedis externi	226
XI.	→	Pedis, tendinibus musculorum pedis dicata	238
XII.	—	Ossium capitis	235
XIII.	—	Spinæ vertebralis	237
XIV.	—	Costarum, & sterni	239
XV.	—	Ossium pelveos	240


UMF






T A B U L Æ  
A N G E I O L O G I C Æ .

UMF



# TABULÆ ANGEIOLO- GICÆ.



## TABULA I.

### ARTERIÆ IN GENERE.

**C**irca ARTERIAS corporis humani in genere notanda veniunt sequentia :


1. **DESCRIPTIO.** *Arteria sangifera* canalis dicitur membranaceus muscularis, sanguinem ex corde recipiens, ad partes corporis universi deducens.
2. **EXORTUS.** Oriuntur ex corde, magnitudine per decursum sensim sensimque decrescunt; finiuntur tum in principia venarum, tum in vasa lymphatica arteriosa, tum in vasa serosa, tum & in corpora nonnulla cavernosa.
3. **NUMERUS.** Innumera quidem in corpore nostro arteriarum adest copia; universim autem canales duos repræsentant continuos, exorientes ab arteriis duabus principibus; ab arteria scilicet aorta, ac arteria pulmonari, quarum prior ex sinistro, posterior ex dextro cordis ventriculo enascitur.



4. **FIGURA.** Figura arteriarum conoidea est: ex principio nimirum ampliori in angustiores, minoresque decrescunt fines. Dum vero diameter arteriæ cujusdam adeo jam angusta, exilibusque est, ut oculos vix non subterfugiat **ARTERIA CAPILLARIS** vocatur. Exoriuntur ex hac directione laterali canales conoidei alii, qui quidem non sanguinem, sed lympham, aut serum recipiunt, indeque **ARTERIÆ LYMPHATICÆ**, aut **SEROSÆ** nuncupantur. Extremitas arteriæ capillaris in curvaturas abit, quarum arteriæ cylindroides sunt; æque extremitates maximam partem in venas finiuntur.
5. **SUBSTANTIA.** Arteriæ pleræque ex membranis, seu tunicis constantur quatuor insequentibus.
- a. *Prima* **TUNICA** vocatur **MEMBRANACEA**. Hæc arteriis omnibus non est propria, sed ibi loci solummodo occurrit, ubi in cavo abdominali peritoneum, in cavo thoracico pleura, & pericardium, in encephalo dura & pia meninx arteriarum faciem extimam obducit.
- b. *Alteræ* **TUNICA** audit **CELLULOSA**. Productio hæc est substantiæ cellulosæ membranarum ante dictarum, arterias ad fines usque concomitans. Constat textu denso nervorum, arteriarum, venarumque, a vicinis vasis hæmatophoris orientium. Sic v. c. vascula arteriosa tunicæ secundæ arteriæ aortæ ad hujus exortum proficiscuntur ab arteria coronaria cordis, &c. Inde & tunica hæc ipsa *tunica celluloso-vasculosa* adinvenit nomen.

c. *Ter-*

- c. *Tertia TUNICA* nominatur *MUSCULARIS tendinea*. Constat hæc maximam partem fibris firmitioribus circularibus.
- d. *Quarta* demum *TUNICA* salutatur *NERVEA*. Conflatur fibris densis nerveis; facies eius interior lævis, planaque est. Inter hæc, & præcedentem tunicam muscularem tendineam tela cellulosa interjacet.



## T A B U L A II.

### ARTERIA AORTA, HUIUSQUE RAMIFICATIONES IN GENERE.

**E**x arteria *AORTA* mox ad exortum ex corde arteria enascuntur *coronariae cordis*. Vocatur dein in decursu pars aorta ascendens *arteria aorta superior*, pars descendens *arteria aorta inferior*. Pars *superior* in thoracæ arcum efformat, ex quo prodeunt rami ad encephalon, & extremitates superiores tendentes. *Arteria aorta inferior* supra corpora vertebrarum in thorace, ac abdomine ad usque os sacrum decurrit: prodeunt ex hac denuo rami, partes quasdam thoracis, partes omnes abdominis, extremitatesque demum inferiores salutantes.

Ex arcu arteriæ aortæ superioris enascuntur.

**A. ARTERIA INNOMINATA**; oritur ex hac

**1. ARTERIA CAROTIS**; oritur ex hac

**a. ARTERIA CAROTIS DEXTRA EXTERNA**, cujus rami sunt:

**1.** *Thyræidea*, seu *laryngea*, seu *gutturalis superior*.

**2.** *Sublingualis*, ex qua venit ramina.

**3.** *Maxillaris inferior*.

**4.** *Maxillaris externa*; veniunt ex hac

**a.** *Mentalis*.

**b.** *Coronaria labiorum*.

**c.** *Angularis*.

**5.** *Maxillaris interna*; oritur ex hac

**a.** *Sphæna-Maxillaris*; ex qua veniunt

**a.** *Arteria dura meningis anterior*.

**β.** *Maxillaris superior*.

**b.** *Alveolares inferiores*.

**c.** *Meningea*, seu *sphæno-spinosa*, seu *arteria duræ matris media*.

**6.** *Occipitalis*.

**7.** *Auricularis*, seu *acoustica externa*.

**8.** *Temporalis*, ex qua oritur.

\* *Frontalis*.

**b. ARTERIA CAROTIS DEXTRA INTERNA**, ex qua oriuntur:

**1.** *Optica*.

**2.** *Ophthalmica*, seu *orbitalis*.

**3.** *Carotis interna anterior*.

**4.** *Carotis interna posterior*.

**9. ARTERIA SUBCLAVIA DEXTRA**; oritur ex ea

**1. Me-**

1. Mediastina.
2. Thymica.
3. Pericardiaca, ex qua venit
  - \* Diaphragmatica superior.
4. Trachealis, seu gutturalis inferior.
- b. *Arteria cervicalis*, seu *muscularis colli*; ex qua veniunt.
  1. Cervicalis anterior.
  2. Cervicalis posterior.
- c. *Arteria vertebralis*; veniunt ex hac
  1. Basilaris.
  2. Acustica interna.
  3. Arteria dura meningis posterior.
  4. Spinalis anterior.
  5. Spinalis posterior.
- d. *Intercostalis superior*.
- e. *Axillaris*; veniunt ex hac
  1. Thoracica superior, seu mammaria externa.
  2. Thoracica inferior.
  3. Scapularis externa.
  4. Scapularis interna.
  5. Humeralis.
- f. *Continuatio arteriæ axillaris*; quæ arteria *brachialis* vocatur, & omnium primo arterias multas collaterales largitur; tum vero in flexura cubiti in binos secedit ramos; nimirum:
  1. *Cubitalem*; quæ largitur
    - a. Cubitalem recurrentem.
    - b. Interosseam externam.
    - c. Interosseam internam.
    - d. Arcum palmarem.
    - e. Digitales.
  2. *Radiceam* ex qua veniunt
    - a. Radicea recurrens.

b. Rami varii, cum cubitea, huiusque ramis alentes commercium.

**B. ARTERIA CAROTIS SINISTRA**, adinfar dextræ dirempta.

## II.

Ex **CONTINUATIONÆ ARTERIÆ AORTÆ** oriuntur.

**A. BRONCHIALES.**

**B. OESOPHAGEA.**

**C. INTERCOSTALES INFERIORES.**

**D. DIAPHRAGMATICÆ INFERIORES.**

**E. COELIACA**; ex qua oriuntur

1. *Coronaria gastrica.*

2. *Hepatica*; ex qua veniunt

a. *Pylorica.*

b. *Gastrica major, seu dextra, ex qua veniunt*

α. *Duodenalis, seu intestinalis.*

β. *Gastro-Epiploicæ dextræ.*

c. *Capfulares, seu cysticæ.*

3. *Splenica*, ex qua veniunt

a. *Pancreatica.*

b. *Gastrica minor, seu sinistra, ex qua veniunt.*

α. *Gastro-epiploicæ sinistrae.*

β. *Gastro-epiploicæ mediæ.*

c. *Breves.*

d. *Epiploicæ.*

**F. MESERICA SUPERIOR**; ex qua venit

\* *Colica dextra, seu superior.*

**G. RENALES**, ex quibus veniunt *adiposa; & suprarenales.*

## H. SPERMATICÆ.

## I. MESERAICA INFERIOR; ex qua veniunt

1. *Colica sinistra.*
2. *Hæmorrhoidalis interna.*

## K. LUMBARES; ex quibus veniunt

## \* HYPOGASTRICÆ EXTERNÆ.

## L. SACRALES.

## M. ILLIACÆ; quarum ex utroque latere

## 1. ILLIACA INTERNA, seu HYPOGASTRICA, ex qua venit


- a. *Iliaca parva, seu interna minor.*
- b. *Glutea.*
- c. *Ischiatica.*
- d. *Pudenda communis, seu pudenda interna, ex qua veniunt hæmorrhoidales externæ, ac pudenda externa.*
- e. *Obturatoria.*

## 2. ILLIACA EXTERNA; ex qua veniunt.

- a. *Epigastrica.*
- b. *Iliaca externa minor.*
- c. CONTINUATIO TRUNCI, quæ ARTERIA CRURALIS, quamprimum vero ad poplitem venit, ARTERIA POPLITEA vocatur. Ramus hujus
  - a. *Anterior est, TIBIALIS ANTERIOR.*
  - b. *Posterior, largitur*
    - \* TIBIALEM POSTERAM, ex qua veniunt *arcus plantaris, ac arteriæ plantares.*



\*\* PERONEA, seu FL-  
BULARIS.



T A B U L A I I I.

ARTERIA AORTA SUPERIOR, EJUS-  
QUE RAMI IN SPECIE.

**A**RTERIA AORTA, seu ARTERIA MA-  
GNA exoritur ab orificio arterioso ventriculi  
cordis sinistri adscendit tum ad pollicum aliquot  
altitudinem, arcum efformans, quem *arcum aortæ*  
dicimus; in latere demum sinistro corporum ver-  
tebrarum dorsi ad usque os sacrum descendit.  
Ab ipso corde usque ad finem arcus vocatur AR-  
TERIA AORTA SUPERIOR, seu ADSCEN-  
DENS, ex illo autem termino usque ad os sa-  
crum ARTERIA AORTA INFERIOR, seu  
DESCENDENS.

Illico infra valvulas semilunares aortæ pro-  
xime ad cor oriuntur

ARTERIÆ DUÆ CORONARIÆ COR-  
DIS, seu CORDIACÆ. Ex utroque latere unam  
cernimus, in dextro nimirum latere, si cordis in  
homine naturalem situm respiciamus paulo infe-  
riora versus, inter basin cordis, & auriculam  
dextram; ac in sinistro latere directione parum  
superiora versus tendente, inter basin cordis, &  
auriculam sinistram. An. bæ hæ arteriæ quaquar-  
vor-

vorsum in substantiam cordis distribuuntur, tum & ambabus auriculis, ipsisque arteriæ aortæ tunicis ramulos multos largiuntur.

Ex parte arcus aortæ superiori oriuntur rami tres, nonnunquam & quatuor, proxime ad invicem siti:

1. Unus in latere dextro **ARTERIA** vocatur **INNOMINATA**: brevis est, illico in ramos duos directa, quorum
  - a. Unus ad claviculam tendit, & **ARTERIA SUBCLAVIA DEXTRA** vocatur;
  - b. Alter ascendit, ac **ARTERIA CAROTIS DEXTRA** adpellatur.
2. Ramus secundus est **ARTERIA CAROTIS SINISTRA**.
3. Ramus tertius **ARTERIA SUBCLAVIA SINISTRA**.

## I.

**Arteriæ CAROTIDES** binæ sunt numero, quarum *dextra* oritur ex arteria innominata, *sinistra* ex arcu aortæ. Ambæ secundum longitudinem colli loco anteriori inter arteriam asperam, venamque jugularem internam ad usque laryngem adicendunt, ad eum locum usque **TRUNCI ARTERIARUM CAROTIDUM** proprie vocantur.

Dum vero ad laryngem pervenerunt truncus uterque in duos ramos dirimitur principes, in arteriam scilicet *carotidem externam*, & *internam*.

1. **ARTERIA CAROTIS EXTERNA** decurrit inter angulum maxillæ inferioris, & glandulam parotidem, ante aurem ascendit, evanescit in temporibus. Semitam hanc decurrendo ramos complures antrorsum, posteriorumque tendentes largitur.

**PRIORES** sunt.

- a. **ARTERIA THYROIDEA**, seu **LARYNGEA**, seu **GUTTURALIS SUPERIOR**. Oritur loco interiori ab arteria carotide externa; ramulos multos largitur glandulis jugularibus, pinguedini, cutique, secedit demum in glandulam thyroideam, & musculos laryngis, ossisque hyoidei.
- b. **Arteria sublingualis**. Oritur illico supra præcedentem, musculos petit linguæ, glandulas sublinguales, tum & ipsam linguæ substantiam, ubi proprio termino **ARTERIA** salutatur **RANINA**.
- c. **ARTERIA MAXILLARIS INFERIOR**. Oritur loco interiori, pauloque elatiori, quam præcedens; dispergitur in glandulam maxillarem, musculum stylo-hyoideum, mastoideum, glandulam proctodem, glandulas sublinguales, palatum, uvulam, musculos pharyngis, & caput flexores.
- d. **ARTERIA MAXILLARIS EXTERNA**. Oritur etiam loco interiori supra priorem; antice musculum masseterem, mediumque maxillæ inferioris adusque partes laterales menti transcendit, ubi adpellatur **ARTERIA MENTALIS**; ab eo musculi triangulares, buccinator, & Quadratus menti ramulos aliquot acquirunt. Largitur ibi loci arteria mentalis ramum, ad commissuram labiorum in *superiorem* unum, unumque *inferiorem* abeuntem. Prior serpentino reptatu secundum musculum semiorbicularem oris superiorem, posterior secundum musculum semiorbicularem oris inferiorem decurrit; uterque in medio cum socio alterius lateris per anastomasin iungitur, simulque tum **ARTERIÆ CORONARIE**

**NARIÆ LABIORUM** nomen adquirunt. Ascendit dein arteria mentalis in latere nasi superiora versus, omnibus nasi partibus ramulos largitur; communicat etiam cum coronaria labiorum, tandemque versus canthum oculi internum decurrit sub nomine **ARTERIÆ ANGULARIS**, supra muscolum orbicularem palpebrarum, corrugatorem, frontalemque distributa.

- e. **ARTERIA MAXILLARIS INTERNA.** Oritur e regione apophyseos condyloideæ maxillæ inferioris, retro condylum decurrit, musculis pterigoideis ramulos quosdam largitur; inibique in tres ramos insigniores difcedit.

a. **PRIMUS ARTERIA** audit **SPHŒNO-MAXILLARIS**, transiens per niam sphœnomaxillarem in orbitam; ramulos nonnullos tum musculis quibusdam uvulee, ac, per foramen sphœnopalatium, tunicæ pituitariæ foraminum posteriorum narium concedit; demum inferiora, ac ad latera versus in partibus orbita contentis evanescit; inprimis oriuntur ex ea rami sequentes duo:

- (\*) Unus, juxta *Cl. Winslow* per fissuram sphœnoidalem cranium intrat, dirimitur in parte antica duræ matris, **ARTERIA**que vocatur **DURÆ MATRIS ANTERIOR**, communicans cum arteria duræ matris altera, per foramen spinosum ossis sphœnoidei ingressa.

- (\* \*) Ramus alter canalem intrat orbitalem finui maxillari, denribusque concedit surculos, qui **ARTERIÆ** vocantur **ALVEOLARES SUPERIORES**; exit dein per fo-

ramen orbitale anterius, & communicat supra genam cum arteria angulari, vocari poterit **ART. MAXILLARIS SUPERIOR.**

**β.** Ramus **SECUNDUS** transit per canalem maxillæ inferioris, largitur ibi ramulos alveolis, ac dentibus, qui **ARTERIÆ** audiunt **ALVEOLARES INFERIORES**; exit denuo per foramen maxillare anterius, seu mentale, communicat cum ramis arteriæ maxillaris externæ.

**γ.** Ramus **TERTIUS** ascendit per foramen spinosum ossis sphænoidei in cranium; dimittit inibi ramulos binos, quorum unus per fissuram aquæductus fallopii concomitatur nervum petrosum, alter per orificum speciale tendit ad cochleam. Ramus vero ipse in parte media dura matris undique distribuitur; **ARTERIA** audit **DURÆ MATRIS MEDIA, SPHOENOSPINOSA, seu MENINGEA.**

**f.** Arteria exigua, in musculo massetere evalescens.

**POSTERIORES** arteriæ carotidis externæ rami sunt.

**a.** **ARTERIA OCCIPITALIS.** Decurrit oblique supra venam iugularem internam, largitur ramos musculis stylo-hyoideo, styloglossis, digastrico; fertur dein inter apophy. sin mastoideam, ac styloiden secundum longitudinem sulci ad musculos extensores capitis, huiusque integumenta. Communicat cum arteria vertebrali, ac cervicali, tum & cum ramis posterioribus arteriæ temporalis. Venit insuper ramus per foramen stylo-

stoideum; tum veniunt subin & aliqui ad duram meningem.

b. **ARTERIA AURICULARIS**, seu **ACOUSTICA EXTERNA**. Dispergitur hæc externe per aurem, tum dein & interne per meatum acoufticum externum, quin & per cavitatem tympani, huiusque membranam.

Posteaquam ramos nunc dictos elargita est arteria carotis externa, ascendit, uti iam ante dictum, inter angulum maxillæ inferloris, ac glandulam parotidem; superans apophyfin zygomat�am, musculumque cratophitem; **ARTERIAM** inibi efformans **TEMPORALEM**; in ramos tres diremtam.

a. Horum *prior* pergit ad musculum frontalem, communicans cum art. angulari: largitur & nonnunquam arteriolam, intrantem orbitam.

b. *Medius* decurrit tum ad musculum frontalem, qui furculus **ARTERIA FRONTALIS** audit, tum ad occipitalem.

c. *Tertius* fertur ad aurem externam, & occiput, communicans cum art. occipitali; huius etiam adiastar ad tegumenta demum decurrit.

a. **ARTERIA CAROTIS INTERNA** iam ad exortum incurvatur, retro externam procurrat, magis posteriora versus sita; quin ramum ullum dedisset ad foramen pervenit caroticum. Exhinc per canalem caroticum intrat cranium, ubi statim ad egressum ex hoc canali denuo incurvatur, ab inferioribus superiora versus; ibi loci etiam duos illico emittit ramos; nimirum:

a. **ARTERIAM OPTICAM**; intrat hæc una cum nervo optico orbitam, perforans tunicam scleroticam, in tunica retina expansa.

b. **ARTERIA ORBITALIS**, seu **OPHTHALMICA**; transit per fissuram sphenoidalem,

intrarura orbitam, anastomosens ope iungitur cum ramis carotidis externæ, ea ratione demum diremta, ut rami nonnulli perforent tunicam scleroticam, per choroideam, & uveam latissime dispersi; rami alii furculos exiguos ablegant in musculos oculi, bñius glandulas, & palpebras; tendit insuper unus alterve ramus per foramen orbitale superius anastomosi iunctus cum ramulis arteriæ frontalis.

Tertia dein vice incurvatur carotis interna a parte postica anticam verius ad latus sellæ turcicæ; loco demum altiori quartum incurvatur ad apophysin clinoidem anteriorem; procedit tum in basi cerebri secundum latus infundibuli; occurrit carotidi internæ lateris alterius, ramos quosdam ponti Varolii, & plexui choroideo subpeditat; abitque in ramos duos principes; utpote;

a. **ARTERIA CAROTIS INTERNA ANTERIOR.** Anteriora versum tendit, unitur arteriæ provenienti ex carotide lateris oppositi. Largitur ramos nervis olfactoriis; discedit tam ab arteria opposita, seceditque in ramos duos, nonnunquam & tres:

*a.* *Primus* ad lobum tendit anteriorem cerebri.

*β.* *Alter* sæpe duplicatus occurrit; regreditur ad corpus callosum, ad falcem duræ matris, & ad lobum medium cerebri.

b. **ARTERIA CAROTIS INTERNA POSTERIOR.** Communicat illico cum arteria basilari; in ramos dein dirimitur multos, inter gyros enkephali inter sese inosculatos. Rami hi omnes vestiuntur meninge pia, in

cujus substantia textus efformant retiformes, tandemque in substantia cerebri interiori evanescent.

## II.

**ARTERIE SUBCLAVIÆ** binæ sunt numero; dextra scilicet una, unaque sinistra, quarum illa ex arteria innominata, hæc ex arcu aortæ nascitur. Decurrunt retro claviculam, intraque eam; finiuntur in margine superiori costæ primæ inter adhæsiones interiores musculorum scalenorum. Ex dextraveniunt subinde illico rami, ad mediastinum thymum, pericardium, & tracheam sub nomine *arteriæ mediastinæ, thymicæ, pericardiacæ, & trachæalis*; omnium vero frequentissime rami sunt arteriæ mammariæ internæ; rami hi una cum aliis oriuntur ex subclaviis. Sunt vero insequentes:

1. **ARTERIA MAMMARIA INTERNA.**  
Oritur ex arteria subclavia anteriora, & nonnihil interiora versus proxime ad medium claviculæ; juxta longitudinem costarum interne proxime ad sternum descendit, & ramos sequentes elargitur:
  - a. **ARTERIAM MEDIASTINAM**, per mediastinum dispersam.
  - b. **ART. PERICARDIACAM**, latam ad pericardium, exhinc ad diaphragma, ubi & evanescit; unde & **ARTERIA DIAPHRAGMATICA SUPERIOR** audit.
  - d. **ART. TRACHEALEM**, seu **GUTTURALEM INFERIOREM**, serpentino ductu secundum longitudinem asperæ arteriæ ad glandulam thyroideam, & laryngem decurrentem, communicantem cum art. gutturali superiori, largientem etiam



ramulos exiguos, quorum nonnulli ad partem superiorem homoplatae feruntur.

- e. Excurrunt præterea rami quidam ad musculos intercostales, perque hos ad mammam, ad musculos pectorales, ad pinguedinem ibi loci sitam, & cutim; qua etiam ratione anastomosi jungitur cum mammaria externa.

Exit tandem ex thoracis cavo arteria mammaria interna ad latus cartilaginis xiphoidis, ac finitur in musculo recto, supra quem & ramulorum nonnullorum interventu cum arteria epigastrica communicat; largitur insuper quosdam ramos peritoneo, uti & parti anticæ musculi obliqui, & transversi.

2. **ARTERIA CERVICALIS, seu MUSCULARIS COLLI.** Oritur superne ex subclavia; dirimitur maximam partem in ramos binos.

- a. **ARTERIA CERVICALIS ANTERIOR** decurrit retro carotidem, dispergitur per musculos Homohyoideum, Sternothyroideum, Sternohyoideum, Sternomastoideum, Latissimum colli; ramuli quidam tendunt ad glandulas jugulares, ad asperam arteriam, ad musculos pharyngis, ad œsophagum, & ad musculos colli flexores.

Oritur nonnunquam ex ea arteria intercostalis superior.

- b. **ART. CERVICALIS POSTERIOR,** quæ etiam ex arteria vertebrali subin nascitur, transit sub apophysi transversa vertebræ septimæ colli, per foramen nonnunquam speciale, in hac apophysi maximam partem præsens, ductu serpentino posteriora versus; communicat cum ramo art. occi-

capitalis, & dirimitur in musculos scalenos, Elevatorem Scapulæ, Trapezium, ac in integumenta.

- a. **ARTERIA VERTEBRALIS.** Oritur superiora, ac nonnihil posteriora versus ex subclavia, ascendit dein per foramina transversalia vertebrarum colli; per hunc decursum ramulos largiens exiguos tum medullæ spinali, hujusque membranis trans foramina lateralia, tum & musculis circa vertebrae colli sitis. Dum pervenit arteria vertebralis per foramina dicta transversa ad vertebrae usque colli primam, tres facit curvaturas diversas; prima est ad egressum arteriæ per foramen transversale vertebræ secundæ; altera proxime ad apophysin transversam atlantis; tertia ad egressum arteriæ per foramen transversum atlantis; atque hic imprimis enascuntur ramuli aliquot exigui, qui dein cum art. cervicali, & occipitali uniuntur. Transit tum per foramen occipitale magnum, duram meningem perforat, ac statim ad ingressum in cranium ablegat ramulos in medullam oblongatam, corpora olivaria, & pyramidalia, uti & ventriculo quarto; tendunt ex illis quidam ad plexum choroideum, fabricam hujus cum aliis constituentes.

Transcendit dein apophysin cuneiformem, ubi cum arteria vertebrali lateris obpositi per ramum communem jungitur, qui arteria vocatur basilaris: oriuntur exin ramuli infquentes:

- a. **ART. ACOUSTICA INTERNA.** Largitur hæc piæ meningi ramos quosdam, & una cum nervo acoustico ad organon fertur auditus internum.

b. **ART. DURÆ MENINGIS POSTERIOR.** Dividitur hæc in parte postica duræ meninis:

c. Rami duo laterales, qui uniuntur cum ramis art. carotidis internæ posterioris; & partim in lobo postico cerebri, partim in facie externa cerebelli, partim in natibus, testibus, glandula pineali, & parte superna plexus choreidei dividuntur.

Dimittit etiam arteria quælibet vertebralis statim ad ingressum in cranium ramulum parvum; qui dein ambo uniuntur in ramum unicum, **ART. SPINALIS posterior** dictum. Dum porro quælibet vertebralis ad apophysin pervenit cuneiformem, ramulum denuo ablegant, qui etiam in ramum uniuntur unicum, atque hic **ART. audit SPINALIS ANTERIOR.** Spinales ambæ secundum longitudinem medullæ spinalis antè, & postè descendunt, ac per decursum anastomoseos ope junguntur cum ramis ab art. intercostalibus illinc ablegatis.

4. **ART. INTERCOSTALIS SUPERIOR.**

Oritur à parte inferiori subclaviæ, sæpius vero & ex cervicali. Decurrit juxta longitudinem faciei internæ costarum 3. 4ve supremarum verarum proxime ad eorum capita inferiora versus, largiens costæ cuius ex illis ramum, interne margini earum inferiori adhærentem, in musculos intercostales, uti & in pleuram abeuntem. Ramuli quidam ex illis transeunt per foramina lateralia ad medullam spinalem

Communicant insuper rami illi 3. 4ve arteriæ intercostalis superioris ope ramulorum minorum lateralium, supra musculos intercostales ascendunt ad alteram. Proveniunt demum a ramis primis duobus rami, per musculum Tri-

**Triangularem Sterni, Sternohyoideum, ac Subclavium distributi.**

Hos ergo ramos quatuor subclavia quælibet suppeditat. Dum vero arteria subclavia supra costam primam per musculos scalenos prodivit ex thorace, **ARTERIA** vocatur **AXILLARIS**, **ex** qua sequentes prodeunt rami :

1. Omnium primo ad egressum ramus parvus, per faciem internam costæ primæ distributus.
2. **ARTERIA THORACICA**, seu **MAMMARIA EXTERNA**. Procurrit hæc supra partes laterales thoracis, & per plures ramos dividitur in mammis, musculis pectoralibus, Dentato majori, ac Bicipite. Ramus hujus una cum vena cephalica inter musculum pectoralem majorem, ac Deltoidem secundum longitudinem humeri descendit.
3. **ARTERIA THORACICA INFERIOR**. Descendit juxta marginem scapulæ inferiorem ad musculum subscapularem, Rotundum majorem, ac minorem, uti & ad Dentatum majorem, & Latissimum dorsi.
4. **ART. SCAPULARIS EXTERNA**. Transit per incisuram minorem marginis superioris scapulæ; distribuitur per musculum supraspinatum, & Infraspinatum, Dentatum majorem, & minorem, uti & circa articulationem ossis humeri cum scapula.
5. **ART. SCAPULARIS INTERNA**. Posterosum tendit; rami hujus immerguntur musculo subscapulari, Dentato minori, glandulis maxillaribus, & musculo Rotundo majori.
6. **ART. HUMERALIS**. Ab anterioribus posteriora versum excurrit inter caput humeri, & musculum Rotundum majorem; mittit ramos quosdam ad articulationem ipsam; di-

tribuitur maximam partem per muscolum Deltoidem; transeunt insuper ramuli nonnulli per to aminula tuberculum humeri magis un occurrentia in ipsam humeri substantiam.

Emissis hisce sex ramis, prodit arteria axillaris sub tendine muscoli Pectoralis majoris, **ARTERIÆ BRACHIALIS** sub nomine. Superat hæc muscolum coraco-brachialem & anconeum internum decurrens secundum faciem brachii internam, tum & secundum marginem internum musculi Bicipitis retro venam basilicam; ad condylos usque humeri obiecta solum est integumentis; per hunc decursum musculis circumpositis humeri, uti & ipsi humero quosdam concedit ramulos. Inter ambos vero humeri condylos arteria brachialis in duos dirimitur ramos principes, quorum unus **ARTERIA CUBITALIS**, alter **ARTERIA RADIEA** vocatur. Spargit amen prius ramulos insequentes, qui **ARTERIARUM COLLATERALIUM** sub nomine veniunt.

- a. *Ramus primus* transcendit musculos anconeos, antrosum dein decurrit ad condylum humeri externum; communicat cum ramo arteriæ radialis.
- b. *Ramus secundus* oritur illico sub insertione musculi Rotundi majoris; ab exterioribus interiora versus inter muscolum anconeum externum & brachialem ad condylum humeri externum ferrur, ubi jungitur quibusdam ramis arteriæ cubitæ, & radialis; hinc reperitur hic loci triplex omnino anastomasis.
- c. *Ramus tertius* oritur ad duos circiter transversos digitos infra priorem; condylum pe-

tit humeri internum, cum ramis nonnullis arteriarum antibrachii pariter communicat.

- d. *Ramus quartus* oritur infra priorem; retrogreditur ad articulationem.
- e. *Ramus quintus* oritur in medio humeri; dispergitur tum per periosseon, tum inter musculos anconeum internum, & Brachialem decurrens in substantia horum eorundem evanescit.

Circa ramos autem arteria brachialis duos principes notanda sunt sequentia:

**I. ARTERIA CUBITALIS**, seu **ULNARIS** decurrit inter musculum Pronatorem rotundum, Radiaem internum, Palmarem longum, flexores digitorum, ac os cubiti; inceptam prosequitur semitam secundum longitudinem ossis hujus, & musculum ulnarem internum ad usque carpum. Spargit interim ramos insequentes:

- a. *Ramus*, qui **ARTERIA** vocari poterit **CUBITEA RECURRENS**. Ascendit ad usque condylum humeri internum, anastomosi jungitur cum ramis collateralibus arteriæ brachialis.
- b. *Ramus* alius exiguus oritur infra præcedentem. Pergit ad articulationem, circa eam dispergitur, ac per anastomosi pariter jungitur cum arteriis collateralibus.
- c. *Ramuli* alii parvi distribuuntur per musculos cubito adhærentes.
- d. **ARTERIA INTEROSSEA EXTERNA**. Oritur hæc ad tres circiter digitos transversos infra articulationem; perforat omnium primo ligamentum interosseum, secundum faciem externam ligamenti hujus ejusdem descendit ad extremitatem inferiorem antibrachii; unitur inibi cum ramo provenien-

niente ab arteria interossea interna, ac una cum eodem dispergitur per musculos interosseos externos, ubi insuper cum ramulis nonnullis arteriæ cubitalis communicat. Prodeunt ex arteria interossea externa rami sequentes laterales.

- α. Quamprimum ligamentum penetravit interosseum, oritur ramus, regrediens ad condylum humeri externum, divisus per musculum supinatorem brevem, & cubitum externum communicans etiam cum arteriis collateralibus.
- β. Juxta longitudinem ligamenti interossei descendens ablegat, quosdam ramulos exiguos, diversos per partem mediam musculi cubitalis externi, Extensoris digitorum communis, & Extensoris pollicis proprii.
- e. **ART. INTEROSSEA INTERNA.** Oritur infra priorem; descendit secundum faciem internam ligamenti interossei ad musculum Pronatorem quadratum, ubi ligamentum perforat, ac per faciem externam carpi, ramis interosseæ externæ, ac Radialis unita, distribuitur.
- f. Ramus descendens inter musculum pollicis flexorem proprium, ac Radieum internum, subiens ligamentum carpi interius, uniens sese ramis arteriæ radialis, per internam tandem dispersus carpi faciem.

Dimissis hisce ramis arteria cubitea supercandit ligamentum carpi interius latus petens ossis pisiformis, cuti tum, & musculo palmari cutaneo furculos largitur, sub aponevrosi demum palmari palmam ingreditur in Hypothenarem digiti mi-

simi, ac in musculus Antithenarem, & Hypothenarem pollicis ramulos exiguos denuo ablegans, quorum unus proserpit sub osse tertio, & quarto metacarpi, ad dorsum progrediens manus, ubi communicat cum ramis arteriæ interosseæ externæ, ac demum distribuitur. Ab osse usque pisiformi inflectitur cubitea arcus in formam pollicem versus, inflexio hac nomine **ARCUS PALMARIS** insignitur. Ex parte arcus hujus convexa oriuntur tres, quatuorve arteriæ, decurrentes ad usque capita ossium metacarpi, ubi quævis in ramos binos dirimitur, secundum latera digitorum ad eorum usque excurrentes apices; ab interna parte digiti minimi usque ad partem extimam digiti indicis. Rami hi vocantur **ARTERIÆ DIGITALES**; de quibus tenendum adhuc erit, anastomosis eas invicem jungi in apicibus digitorum. Ex parte concava arcus palmaris oritur ramus prope pollicem unitus ramo arteriæ radiæ; ex qua conjunctione arteriæ duæ digitales exoriuntur, quarum una in facie digiti indicis interna, altera in parte proxima pollicis ad apicem usque excurrit, ubi pariter cum arteria digitali lateris oppositi per anastomosis ununtur.

2. **ARTERIA RADIEA** sub initium statim ramum dimittit, qui arteriæ radialis recurrentis sub nomine venit; ad flexuram hic regreditur brachii, unitur ramo collaterali arteriæ brachialis, ac in condylo humeri externo per musculos distribuitur.

Descendit dein inter os humeri inferiora versus, musculos circumpositos multis augens ramis. Dum ad extremitatem pervenit radii inferiorem, nascitur ex ea ramus sat magnus, dispersus tum in musculo Thenare pollicis, tum in latere toto pollicis ad usque apicem. Inflectitur jam art. radiea





diea circa os trapezium, ramum alium denuo dimittit, in alios duos subdivisum; unus ex illis ad musculum fertur interosseum externum inter digitum indicem, & medium; alter musculos nunc dictos perforat, & palmam ingreditur. Proxime ad basim phalangis primæ pollicis novus propululat ramus, uniens sese ramo arteriæ cubitiæ, ac **ARTERIAM ALTERAM generans DIGITALEM POLLICIS.** Perforat tandem arteria radicea musculum Semiinterosseum indicis, ac in palmam penetrat, ubi rami sequentes, quibus etiam terminatur ex ea proveniunt.

- a. Unus ex his per anastomosis jungitur cum ramo veniente ab arcu palmari.
- b. Alter decurrit ad musculos Interosseos.
- c. Maximus ex illis fertur ad phalangam primam indicis; in ramos duos abit, quorum unus secundum faciem internam indicis ascendit, alter arteriæ illi digitali unitur, quæ ab arcu palmari generatur, in facie externa indicis ascendens.





## T A B U L A I V.

### ARTERIA AORTA INFERIOR ; RAMI ILLIUS IN SPECIE,

**A**RTERIA AORTA INFERIOR in thorace, circiter ad corpus vertebræ quartæ dorsî incipit, lævo hujus incumbens lateri. Descendit secundum corpora vertebrarum reliquarum dorsî, ac lumborum, supra vertebram lumborum quintam in ramos binos divisa. Arteriæ per totum hunc decursum ex arteria aorta inferiori enatæ, sunt :

1. **ARTERIA BRONCHIALIS.** Oritur hæc plerumque ex parte antica aortæ inferioris; jam in duos divisa ramos, jam & ramo unico enatæ; postea in arterias duas nihilofecius diremto. Oritur etiam subinde ex art. intercostali superiori, sæpeque ex arteria œsophagea. In ramos multos dein abit, ad ramos bronchiorum pulmonem subeuntes.

Ex bronchiali hac arteria enasci, ad auriculam cordis decurrere, ac inibi cum ramo arteriæ coronariæ cordis communicare fertur ramus.

2. **ARTERIÆ OESOPHAGEÆ.** Comuni lege duæ, tresve earum sunt; occurrit tamen interdum non nisi unica. Oriuntur ad aliquot lineas infra præcedentem ex parte antica aortæ; ambiunt dispersis finibus partem mediam, ac inferiorem œsophagi.

3. **ARTERIÆ INTERCOSTALES INFERIO.**

**RIORES.** Sunt harum recepto cursu sexdecim, atque ex iis octo in utroque latere cernuntur. Oruntur per partem aortæ posticam, ex utroque latere transversa directione corpora superant vertebrarum dorſi; Intercoſtales dextri lateris sub vena azygos decurrunt. Emiſſis plurimis ramulis, per canalem medullæ ſpinalis, ac musculos dorſales diſperſis, interne ſecundum marginem inferiorem cujuſvis coſtæ procurrunt; dum vero ad medium quæque ſuæ aut & ulterius latæ ſunt, ſingulæ in *ramum externum*, ac *ramum internum* dividuntur. *Internus ramus* evaneſcit in pleura, musculis Intercoſtalibus internis, & diaphragmate, *externus* in musculis Intercoſtalibus externis, aliisque. thoracem ambientibus. Arteria intercoſtalis omnium infima diſtribuitur inſuper per musculos abdominales, & anastoſoſi jungitur cum ramis arteria epigaſtrica.

Simulac aorta inferior ingreſſa eſt abdomen, ſequentes ex ea generantur rami.

4. **ART. DIAPHRAGMATICÆ INFERIORES**, ſeu **ART. PHRENICA DEXTRA**, ac **SINISTRA**. Oritur ſiniſtra ex arteriâ aorta, dextra plerumque ex art. cœliaca. Serpunt per faciem internam diaphragmatis; ramulos exiguos in capſulas renales, ac membranam adipoſam renum dimittunt.

5. **ARTERIA COELIACA**. Anteriora verſus enaſcitur, ſtatimque **ARTERIAM DIAPHRAGMATICAM DEXTRAM** dimittit; abit dein in ramos tres magnoſ; ſunt vero hi:

1. **ART. CORONARIA STOMACHICA**. Vocatur ſic; quod unus ex maximis illius ramis orificium ventriculi dextrum cor-

næ adinstar ambiat; dum rami reliqui divagentur per superficiem supernam, & infernam lateris dextri ventriculi; inibi uniantur cum art. pylorica, & ramulos parvos omento minori largiantur. Fertur & in hepar ramus insignis, fossam versus ductus venosi decurrens, substantiam hepatis ibi subiens.

**b. ART. HEPATICA.** Fertur versus pylorum; statim sub initium ex ea oriuntur sequentes tres rami.

**α.** Ramus per pylorum dispettus, anastomosi junctus cum coronaria stomachica, **ARTERIÆ PYLORICÆ** sub nomine veniens.

**β.** Ramus pylori partem posticam anteriora versus ambiens, **ARTERIÆ GASTRICÆ MAJORIS**, seu **DEXTRÆ**, nomine insignitus. Provenit ex hoc illico ramus, quem **ARTERIAM** vocant **DUODENALEM**, seu **INTESTINALEM**, secundum latera duodeni dispersam. Procurrit tum art. gastrica dextra in facie ventriculi dextra secundum arcum ejus majorem, ubi pyloricæ, & stomachicæ unitur, ramulos exiguos ad omentum dimittens, qui **ARTERIÆ** audiunt **GASTRO-EPIPLOICÆ DEXTRÆ**.

Jungitur tandem gastrica dextra cum gastrica sinistra.

Emittit nunc descriptis arteriis, retro ductum hepaticum excurrit art. hepatica, cystidi felleæ unum, duosve largitur ramulos, qui

**γ. AR-**

**γ. ARTERIÆ CYSTICÆ** vocantur.

Ingreditur denique, una cum vena portarum capsula glissonii obvoluta hepatis, dictamque venam portarum, totidem ramis, qui **ARTERIÆ HEPATICÆ** proprie tales sunt, per totum hepar comitatur.

**c. ART. SPLENICA.** Hoc nomine venit ramus sinister art. cœliacæ, decurrens sub ventriculo, & pancreate ex latere sinistro ad lien; ramis quatuor, aut quinque viscus hoc ingreditur. Oriuntur ex art. splenica rami sequentes:

**α. ART. PANCREATICA;** sunt nonnunquam duæ, tresve, in pancreate evanescentes.

**β. ART. GASTRICA MINOR,** seu **SINISTRA,** sat magna: decurrit secundum latus sinistrum arcus ventriculi majoris; largitur ibi

\*) Superficiebus ambabus illius ramos, per an stomosin cum ramis coronariæ stomachicæ unitos.

\*\*) Omentum etiam recipit ab illa nonnullas arterias, quæ **ARTERIÆ** vocantur **GASTRO-EPI- PLOICÆ SINISTRÆ.**

Jungitur demum gastrica sinistra cum dextra in medio arcus majoris enascuntur rami, membranas ventriculi subeuntes, tum & in omentum ablegantes furculos, qui

\*\*\*) **ARTERIÆ GASTRO EPI- PLOICÆ MEDIÆ** audiunt.

**γ. Duæ, tresve ARTERIÆ BRE- VES**

**VES**, in extremitate sinistra verticuli evanescentes.

♁. **ARTERIA EPIPLOICA**, sinistrorsum omentum petens.

6. **ART. MESENTERICA SUPERIOR**. Oritur anteriora versus ex aorta, mesenterium ingreditur inter ambas ejusdem laminas, quibus componitur; per totum mesenterium ramis innumeris dispergitur, qui sub initium per arcus majores inter sese ununtur, ex quibus dein ramuli alii parvi exsurgunt, de novo tum invicem uniti, tum per mesenterium, circum positasque glandulas evagantes, in intestino tandem jejuno, ileo, & cœco, tum & parte coli dextra, & superiori ramis plurimis, intestina undique salutantibus, evanescentes. Specialis ramus, qui **ART. COLICA DEXTRA**, seu **SUPERIOR** audit, per intestinum colon ad hujus usque medium excurrit, ubi ramo arteriæ mesentericæ inferioris jungitur.

7. **ART. RENALES** duæ; ex utroque latere una; occurrunt tamen nonnunquam ex uno latere duæ, quin & tres. Oriuntur lateraliter ex aorta, & horizontaliter ad marginem concavam renum feruntur, quos ramis plurimis subeunt. Notandum de his;

a. Renalem dextram largiri plerumque glandulæ dextræ renali **ARTERIAM SUPRARENALEM**; quum tamen **ARTERIA SUPRARENALIS SINISTRA** ex ipsa oriatur arteria aorta.

b. Renalem dextram esse longiorem, sinistram brevior.

c. Dextram ferri in suo decursu retro venam cavam.

d. Pro-

d. Provenire ex art. suprarenalibus **ARTERIAS ADIPOSAS**, membranam adiposam renum intrantes

8. **ARTERIA SPERMATICA**. Communi lege duæ sunt; oriuntur minime antè ex arteria aorta inferiori sibi vicinæ distantia digiti transversi infra arterias renales; quævis in suo latere decurrit ea ratione, ut in viris ferantur ad testiculos, in mulieribus ad ovarium, & fallopianas tubas.

Notavi in cadavere masculino exortam fuisse unicam solummodo art. spermaticam ex aorta, fuisse vero ejus diametrum communi triplo sane majorem; abiisse tamen dein in ramos duos, decurrentes ad testiculos. Vidi & hac ipsa hyeme in cadavere foemino arteriam spermaticam sinistram exortam ex arteria renali.

- 9 **ART. MESENTERICA INFERIOR**. Oritur infra arterias spermaticas ex parte anteriori art. aortæ inferioris; dirimitur illico in tres, quatuorve ramos.

a. *Ramus primus superior* decurrit secundum partem sinistram, ac inferiorem intestini coli superiora versus, per anastomofin in hujus medio jungitur cum colica dextra; **ARTERIA** audit **COLICA SINISTRA**, seu **INFERIOR**.

b. *Ramus secundus medius* dispergitur etiam in intestino colo.

c. *Ramus tertius inferior* sub initium statim dimittit ramum, qui anastomofin cum priori jungitur, fertur dein secundum longitudinem intestini recti inferiora versus, in cujus parte interiori dispergitur; communicat etiam inibi cum art. hypogastricis, atque **ARTERIA HÆMORRHOIDALIS INTERNA** audit.


**10. ARTERIÆ LUMBARES.** Oriuntur semper binæ ex parte postica aortæ inferioris; 10 — 12 sunt numero, ex utroque nimirum latere 5, aut 6. Largiuntur superiores musculo diaphragmatis inferiori, infimisque musculis intercostalibus ramos; disperguntur cæterum per musculos lumborum, & abdominales; perforant hosce ultimos, exterioraque salutant sub nomine **ART HYPOGASTRICARUM EXTERNARUM.** Perveniant etiam rami nonnulli in canalem medullæ spinalis, aberrantes per ejus membranas: nervi demum lumbaribus furculis nonnullis exiguis prospiciunt.

**11. ARTERIÆ SACRÆ.** Oriuntur ab infima, & postrema parte aortæ inferioris. Occurrunt duæ, tres, quatuorve, interdum tamen non nisi unica adest.

Descendunt secundum os sacrum inferiora versus, ramificantes supra peritonæum vicinum, ac intestinum rectum: intrant per foramina in superficie externa ossis hujus canalem; distribuuntur ibi ex utroque latere; in nervos sacrales ramos emittunt.







## T A B U L A V.

ARTERIE ILIACÆ, HARUMQUE  
RAMIFICATIONES.

**I**n *puacedenti Tabula* descripta arteriæ rami sunt ex arteria aorta inferiori enati. Dum aorta inferior, uti jam prius monitum fuit, ad corpus pervenit vertebræ quintæ lumborum, in ramos duos discedit, qui **ARTERIARUM ILIACARUM** sub nomine veniunt; ex his autem **DEXTRA** una est, altera **SINISTRA**. Spatium digitorum aliquot transversorum emensæ singulæ in aliôs deno duos ramos abeunt, quorum unus pelvis osfium innominatorum petit, alter supra muscolum Psoas ad ligamentum usque fallopii excurrit. Vocatur Ramus hic **ARTERIA ILIACA EXTERNA**, alter **ARTERIA ILIACA INTERNA**, seu **HYPOGASTRICA**.

## I.

**ARTERIA HYPOGASTRICA**, transversali directione aliquantulum progressa a posterioribus anteriora versus inflectitur; in fœtu ex ea profilit **ARTERIA UMBILICALIS**, per partem lateralem cystidis urinariæ adscendens, inde supra peritoneum excurrent, ac per anulum umbilicalem transiens. *Vid. Tab. XII. Splanchnologicam.* In adultis arteria nunc dicta in naturam ligamenti abit.

Oriuntur cæterum ex art. hypogastrica, atque ad ipsam quidem illius curvaturam rami sequen-

quentes quatuor, aut quinque sibi invicem valde  
v. cini.

1. **ART. ILIACA PARVA**, seu **INTERNA MINOR**. Ramus hic postremus est art. hypogastricæ. Emissis ad os sacrum nonnullis ramis decurrit retro musculus Psoas, quem etiam ramis auget; finitur tandem in musculo Iliaco interno, exhinc furculi adhuc quidam substantiam ipsam ossis ilei ingrediuntur.
2. **ART. GLUTEA**. Ramus sat crassus art. hypogastricæ illico subin emittit **ART. ILIACAM PARVAM**, egreditur tum una cum nervo ischiatico per incisuram ischiaticam ex pelvi, superat musculum Pyriformem, ac dispergitur per musculum gluteum maximum, & medium. Per hunc decursum ramulos ablegat in os sacrum, musculum Pyriformem, musculos Ani, ipsumque intestinum rectum, & cystidem urinariam. Ramus longus una cum nervo ischiatico inferiora versus descendit.
3. **ART. ISCHIATICA**. Egreditur & hæc ipsa per incisuram ischiaticam sub musculo Pyriformi ex pelvi, in musculos à tuberositate ischii enatos, nervumque ischiaticum ramulos parvos ablegat, qui ultimi in nervi hujus ejusdem substantia interna disperguntur; prospicit insuper ope ramorum quorundam articulationi femoris cum acetabulo; rami demum reliqui in musculo evanescent gluteo medio, & minori, nonnulli ipsam ossis ischii ingrediuntur substantiam.
4. **ART. PUDENDA COMMUNIS**, seu **ART. PUDENDA HYPOGASTRICA**, seu **PUDENDA INTERNA**. Secedit illico in ramos duos.

- a. *Ramus posterior* exit per incisuram ischiaticam ex pelvi, decurrit retro spinam ischi, inter ligamentum ischio-sacrum, & coccygeam interiora versus, ac interne ad musciculum erectorem penis, ubi in varios denovo abscedit ramos, quorum nonnulli divagantur per sphincterem ani sub nomine **ARTERiarUM HÆMORRHOIDALIUM EXTERNARUM**; alii finiuntur in substantia spongiosa urethræ, ac in corporibus cavernosis penis
- b. *Ramus anterior* tertur inter vesicam urinariam, ac intestinum rectum, transiens sub symphyssi ossium pubis prope venam pudendam dorsalem, & ramum nerveum; unit exin sese ramo arteriæ cruralis, qui **ARTERIA** vocatur **PUDENDA CUTANEA**, dispergitur per corpora cavernosa penis sub nomine **ARTERIÆ PUDENDÆ EXTERNÆ**. Per hanc semitam ramos quosdam subpeditat in pelvi vesiculis spermaticis, collo cystidis urinariæ, glandulæ prostaticæ, glandulis **COWPERI**, vicinoque intestino recto.

In feminis oritur ramus hicce anterior arteriæ pudendæ communis nonnunquam ex ipsa arteria hypogastrica, diductus dein per latera uteri, colens sum ramis arteriæ spermaticæ, & cum aliis prodeuntibus ab opposita arteria hypogastrica.

5. **ART. OBTURATORIA.** Anteriorum per foramen ovale transit, evanescit in musculis obturatoribus, tum & in Tricipite, Pectineo, glandulis inguinalibus, & integumentis.

## H.

**ARTERIA ILIACA EXTERNA** emittit in abdomine proxime ad ligamentum fallopii ramum.

mus duos parvos, quorum unus extorsum, alter interiorum spectat.

1. *Interior* ARTERIA audit **EPIGASTRICA**:

Decurrit hæc ipsa oblique parum supra aponeurosin muscoli Transversi abdominis; ascendit tum secundum faciem posticam, seu internam muscoli **Recti**; cum finibus ultimis arteriæ mammariæ externe manifesto per anastomosin jungitur.

2. *Exterior* ARTERIA adpellari poterit **ILIACA EXTERNA MINOR**. Petit labium internum ossis ilei, ramificat ibi loci in musculo Transverso, & obliquis abdominalibus.

Transit dein art. iliaca externa sub ligamento Fallopii, ex abdomine egrediens, ARTERIÆ sub nomine **CRURALIS**. Situm hæc obtinet ad 6. circiter octove digitos transversos sub ligamento modo dicto in parte antica, magisque interna femoris, obtecta ibidem non nisi cuti, pinguedine, nonnullisque glandulis; excurrens tum ad poplitem: quo magis hunc accedit, eo magis à musculis circumpositis obtegatur; sic superiori statim loco musculus sartorius ei incumbit. Fertur exhinc trans musculum Tricipitem inferiorem ad poplitem. Oriuntur per hunc decursum ex ea rami sequentes.

1. Statim sub initium ramuli tres exigui.

a. Unus cutim penis petit; ARTERIA audit **PUDENDA CUTANEA**. Unitur & pudendæ externæ; ad glandulas inguinales ramos ablegat.

b. Ramus alter evanescit in musculo Pectineo.

c. Ramus tertius vero in parte superna muscoli sartorii.

2. Inferiori nonnihil loco exsurgunt rami tres sequentes majores.

- a. *Exterior* dispergitur per partem supernam musculi cruralis, Vasti externi, Recti, per muscolum fasciæ latæ; emittit ramum adhuc alium, ad apicem Trochanteris majoris excurrentem, unitum arteriæ ischiaticæ,
- b. *Medius* descendit in facie interna femoris inter musculos Tricipites, per quos & rami nonnulli distribuuntur: dum pertransiit Tricipitem secundum, ramulos ac in muscolum Seminervosum, Semimembranosum, & Bicipitem mittit.
- c. *Internus* posteriori loco versus Trochanterem majorem fertur, ramulo articulationi femoris prospiciens per musculos geminos, Quadratum femoris, reliquosque femoris musculos dispergitur.

Dum ARTERIA CRURALIS ad poplitem nunc pervenit, ARTERIA vocatur **POP-LITEA**; sub initium jam surculos parvos emittit, ex utroque latere per articulationem reptantes. Procurrit hinc inter musculos gastrocnemios, Plantarem, ac Popliteum, quos etiam ramulis exiguis auget; disceditque in ramos binos.

1. *Ramus anterior*, qui ARTERIA vocatur **TIBIALIS ANTERIOR**, loco superiori transit ligamentum interosseum, & secundum hujus ejusdem decursum descendit inter muscolum Tibiæum anticum, & Extensorem pollicis, tum & sub ligamento tarfi communi penetrat ad usque dorsum pedis. Per hunc vero decursum emittit ramos sequentes.

- a. Omnium primo oriuntur rami aliquot parvi, qui tum superiora versus, tum ad latera feruntur. Horum priores per anastomosisi junguntur cum ramulis provenientes

tibus ab art. poplitea, articulationem ambientibus; reliqui partes petunt vicinas.

- b. Circa medium tibiæ rami prodeunt dextrorsum, sinistrorsumque excurrentes; communicantes cum arteria tibiali postica, & peronea.
- c. Ad articulationem pedis serpunt ramuli aliquot inter astragalum, & calcaneum, dispersi per articulationem, ac ossa metatarsi.
- d. Proxime ad partem anticam ligamenti communis tarsi exsurgunt ramuli adhucdum aliquot, qui cum ramis art. tibialis posterioris etiam junguntur.

Postquam ad dorsum usque pedis processit art. tibialis anterior, fertur versus pollicem pedis, ramum emittens magnum, aliosque minores. Perforat prior musculos inter ossa prima metatarsi sitos, jungitur in planta cum fine arteriæ tibialis posterioris, cum ea efformans arcum, quem arcum **ARCUM PLANTAREM** vocant. Rami reliqui minores disperguntur tum per musculum thenarem, tum & per musculos alios inter ossa metatarsi prima, & secunda sitos.

4. *Ramus posterior* abit in duos alios; in *externum* scilicet, ac *internum*. Ramus internus **ARTERIA** vocatur **TIBIALIS POSTERIOR**, alter **PERONEA**.

a **ARTERIA TIBIALIS POSTERIOR**, quam ramus constituit maximus, excurrit secundum partem posticam, ac internam tibiæ inter musculum Tibiæum posticum, flexorem digitorum longum, & flexorem pollicis proprium adusque malleolum internum, in musculos nunc dictos tibiæ, hujusque medullam ablegans ramulos, fertur **exia** retro malleolum internum, ubi cum




tibiali anteriori communicat, in plantam fermitam suam persequens inter muscolum Thenarem pollicis, partemque cavam calcanei; tandem in ramos duos abit, qui sub nomine **ARTERIARUM PLANTARUM** noti sunt, ac in **PLANTAREM EXTERNAM**, **PLANTAREMQUE INTERNAM** distinguuntur.

**α. ARTERIA PLANTARIS EXTERNA** in facie interna calcanei nonnihil oblique versus partem plantæ externam procedit, efformans, ope anastomoseos cum ramo maximo arteriæ tibialis anterioris juncta, arcum plantarem, ex cujus parte convexa oriuntur ramuli, digitos quatuor ultimos salutantes. Ex parte vero concava ramuli etiam nonnulli proveniunt, per musculos plantæ tandem dispersi.

**β. ART. PLANTARIS INTERNA** in medio plantæ abit in ramos binos. Unus ex his fertur ad pollicem, uniturque ramis nonnullis arteriæ tibialis anticæ alter distribuitur per phalangam primam digitorum reliquorum.

**b. ARTERIA PERONEA** descendit secundum faciem posticam fibulæ inter muscolum solæum & flexorem pollicis, quos & ramulis nonnullis auget. Dum ad inferiorem pervenit extremitatem fibulæ, perforat ligamentum interosseum, prodiens de novo in parte superna pedis, ubi per tarsum in primis distribuitur: unitur demum & posteriora versus ope plurium ramorum cum arteria tibiali postica, & antica.



## T A B U L A VI.

ARTERIA PULMONALIS; EJUSQUE  
RAMI.


**A**RTERIA PULMONALIS exoritur inmediate ab orificio arterioso ventriculi cordis dextri, statim ad exortum suum in facie sua interna instructa est *valvulis semilunaribus* tribus, quarum, quævis in medio prædita est exiguo nodulo. Excurrit hinc ad latitudinem aliquot pollicum; & pericardium egressa in ramos duos dirimitur, unum *dextrum*, alterum *sinistrum*.

1. ARTERIA PULMONALIS DEXTRA fertur sub curvatura arteriæ aortæ ad pulmonem dextrum, hinc vero longior nonnihil est, quam quidem sinistra; tum & diametri lumine sinistræ aliquantum cedit.

2. ART. PULMONALIS SINISTRA statim ad pulmonem sinistrum fertur; brevior, paulo vero capacior dextrâ.

Ambæ hæ arteriæ in pulmonum substantiam demum penetrant, per eamque totidem ramis disperguntur, uti bronchia; adeo ut ramus quivis bronchialis ramum arteriæ pulmonalis comitem habeat.





## T A B U L A VII.

## VENÆ IN GENERE:

- D**e **VENIS** corporis humani notanda veniunt:
1. Venarum **DESCRIPTIO**. Vena sanguifera caualis est membranaceus, musculosus, sanguinem per arterias in sese deductum, ab omnibus corporis partibus recipiens, versusque cor denuo revehens.
  2. **ORIGO**. Oriuntur venæ tum ab arteriis ultimis, seu ab arteriis capillaribus, quæ unio *anastomosis venarum cum arteriis adpellatur*; tum à venis lymphaticis, ac resorbentibus; tum demum & a corporibus quibusdam cavernosis; v. c. penis, clitoridis ac lienis.
  3. **NUMERUS**. Innumeræ quidem in corpore occurrunt venæ; abeunt tamen hæ omnes in canales tres majores, nimirum:
    - a. In **VENAM CAVAM**.
    - b. In **VENAM PORTÆ**.
    - c. In **VENAM PULMONALEM**:

Vena portæ sanguinem contentum defert in venam cavam, hujus vero, venæque pulmonalis ope ad cor usque deducitur.
  4. **FIGURA**. Venarum figura, uti figura arteriarum conoidea est; ea tamen Intercedente diverſitate, quod in arteria sanguis seratur ex basi latiori in angustiores apices; in vena vero ex angusto apice in latiore basin.
  5. **STRUCTURA**. Venæ pariter talibus, uti arteriæ, componuntur membranis. Multo tamen

tamen tenuiores, deliciaiores, debilioresque membranæ hæ in venis sunt.

5. **DIAMETER.** Vena communi lege latior est, quam sua arteria. (*Sua arteria autem dicitur, cum qua per anastomofin jungitur*). Deprehendimus id per totum corpus fieri, exceptis solum venis pulmonalibus; his enim arteriæ nisi amplioris, æqualis tamen cum venis sunt diametri. Sæpius etiam arteria unica venas duas socias habet.
7. **VALVULÆ.** *Valvularum* in veuis nomine delignantur plicæ, a membranis duabus intimis efformatæ. Figuram in uniuersum exhibent lunæ dimidiatæ; parte convexa adhærent parietibus venarum, parte concava in lumine venarum libere fluctuant: ubique eor versus directæ sunt. Tenendum de his ipsis, ex obposito nonnunquam duas esse sitas; nunc unica tantum adest; nunc & tres in eodem loco occurrunt. In venæ tamen pulmonalis, venæque portæ ramis valvulæ nullæ adsunt.



## T A B U L A VIII.

### VENA CAVA, HUIUSQUE RAMI IN GENERE.

**V**ENA CAVA in *superiorem*, ac *inferiorem* dividitur. Ex *superiori* sequentes oriuntur rami.

I. *Mediastina* dextra.

II. *Pericardisaca* dextra.

X s

III.

III. *Diaphragmatica superior.*

IV. *Thymica dextra.*

V. *Mammaria interna dextra.*

VI. *Trachealis dextra.*

VII. *Vena azygos; ex qua prodeunt:*

A. *Bronchiales.*

B. *Oesophageæ superiores dextræ.*

C. *Intercostales. — —*

D. *— — inferiores.*

VIII. *Subclavia, dextra & sinistra; ex qua ex utroque latere oriuntur rami sequentes, postquam vena subclavia sinistra venam mediastinam, pericardiacam, diaphragmaticam, thymicam, mammariam internam, intercostales superiores, & bronchialem ex sinistro latere emisit.*

A. *Vena jugularis externa, ex qua veniunt:*

1. *Jugularis externa anterior; largitur hæc denud:*

a. *Ramos quosdam, ad partem superiorem colli, ac linguæ tendentes, seu Venas tinnias.*

b. *Continuationem trunci, quæ vena angularis audit; ex quo prodeunt*

*α. Variæ venæ faciales.*

*β. Vena frontalis.*

2. *Jugularis externa posterior, ex qua veniunt:*

a. *Superhumeralis.*

b. *Cervicalis, seu muscularis colli superior.*

c. *Cephalica minor.*

d. *Occipitalis.*

e. *Temporalis.*

B. *Jugularis interna, ex qua veniunt:*

1. *Gutturalis, seu thyroidea.*

2. *Maxillaris interna.*

3. Musculares ad os hyoides.
- C. Vertebralis, ex qua veniunt:
1. Cervicalis, seu muscularis inferior.
  2. Sinus vertebrales.
- D. Continuatio venæ subclaviæ, quæ vena axillaris audit; ex qua veniunt:
1. Venæ musculares scapulæ, externæ ac internæ.
  2. Venæ thoracicæ, ex quibus veniunt:
    - a. Thoracica superior, seu mammaria externa.
    - b. Thoracica inferior.
  3. Cephalica minor, ex qua veniunt:
    - a. Radialis externa, ex qua oritur vena cephalica pollicis.
    - b. Mediana cephalica minor, ex qua veniunt:
      - α. Mediana cephalica major.
      - β. Profunda inferior.
      - γ. Radialis interna.
  4. Continuatio venæ axillaris quæ vena basilica audit, ex qua veniunt:
    - a. Mediana basilica.
    - b. Infrahumeralis, s. articularis.
    - c. Profunda superior.
    - d. Satellites art. brachialis.
    - e. Cubitalis externa.
    - f. Cubitalis interna. Ab utrisque vero veniunt digitales; inter quas imprimis notanda salvatella.
- A vena cava inferiori oriuntur:
- I. Diaphragmaticæ, s. phrenicæ inferiores.
  - II. Hepaticæ.
  - III. Renales; ex quibus veniunt:
    - A. Capsulares.
    - B. Adiposæ.

C. Spermatica sinistra, ex renali sinistra.

IV. Spermatica dextra.

V. Lumbares.

VI. Sacralis.


VII. Iliacæ; dextra & sinistra; ex harum quavis oritur.

A. Iliaca interna, seu hypogastrica: ex qua veniunt:

1. Venæ quædam ad finem medullæ spinalis.
2. Aliæ, dispersæ per quosdam mûsculos.
3. Obturatoria.
4. Pudenda dorsalis.
5. Hæmorrhoidales externæ.
6. Pudendæ internæ.

B. Iliaca externa, ex qua veniunt:

1. Epigastrica.
2. Continuatio iliacæ externæ, cruralis dicta: ex qua oriuntur:
  - a. Pudendæ externæ.
  - b. Saphena magna, s. interna.
  - c. Venæ quædam musculares.
  - d. Ischiatica.
  - e. Saphena interna.
- f. Continuatio cruralis; poplitea dicta; ex qua veniunt:
  - α. Tibialis anterior.
  - β. — — posterior, ex qua oriuntur surales, & plantares.
  - γ. Peronæ.



## T A B U L A IX.

VENA CAVA SUPERIOR; HUIUSQUE  
RAMI.

**V**ENA CAVA vocatur vena sanguinem ad auriculam cordis dextram deferens; divisa in venam cavam *superiorem*, & *inferiorem*, quarum illa versus caput, thoracem, extremitatesque superiores, hæc autem versus abdomen, & extremitates inferiores ramificationes suas spargit. Ubi venæ ambæ conveniunt invicem, formatur sacculus, seu sinus, qui sinus venæ cavæ dicitur. Inter hunc sinum, & auriculam cordis dextram est orificium, per quod venæ coronariæ transeunt sanguinem in auriculam dextram devehunt.

*Vena cava superior* ab ipso sinu venæ recta sursum ascendit peritonæum penetrans usque in regionem costæ primæ veræ, ubi in ramos duos magnos dirimitur, qui sub nomine *venarum subclaviarum* veniunt. Priusquam vero bifurcetur vena cava superior, emittit, simul ac pericardium egressa est, ramos sequentes:

- a. *Venam mediastinam dextram*, per latus dextrum mediastini dispersam. Oritur anteriori loco infra ortum venæ azygos.
- b. *Pericardiacam dextram*; oritur hæc ex trunco venæ cavæ mox ubi in subclavias abit; dispersa per faciem superiorem, ac anteriorem pericardii.

- c. *V. Diaphragmat. superiorem.* Oritur prope priorem; pericardio ramulos largitur; una cum nervo diaphragmatico ad diaphragma fertur.
- d. *V. thymicam dextram.* Oritur ubi vena cava in duos ramos abit; dividitur per latus dextrum, & inferius glandulæ thymi.
- e. *V. mammariam internam dextram.* Oritur antèrius ex trunco venæ cavæ, descendit secundum longitudinem faciei propinquæ internæ cartilaginum costarum ex latere dextro prope arteriam ejusdem nominis; in diaphragma ramulos exiguos ablegat; in regione epigastrica inter fibras musculares muscoli recti abdominalis transit; ibique loci cum vena epigastrica per anastomosi jungitur.
- f. *Venam trachealem dextram.* Oritur ex parte superna bifurcationis venæ cavæ; sæpius etiam posteriora versus exortu sumto; ramos varios emittit in glandulam thyroideam, arteriam asperam, musculus sterno-hyoideum, glandulam thymum, glandulasque bronchiales prope quorundam ramorum cum vena jugulari interna &c. per anastomosi jungitur.
- g. *V. azygos, quæ & vena sine pari audit:* unica solum plerumque est; situm obtinet sat singularem. Oritur loco posteriori ex trunco venæ cavæ superioris proxime ad pericardium: sub initium jam arcum format parvum, ex quo oriuntur tum *vena bronchiales*, tum & *vena œsophageæ superiores dextra*; ex arcu hujus sine ramus sat crassus emergit, in alios duos, tresve minores denuo abiens, qui *vena dicuntur intercostales superiores dextra*: Excurrunt hæ ipsæ inter costas tres superiores; in pleuram, ac musculos, costis illis tribus immediate inpositos, ramos nonnullos emittunt. Formato hoc arcu vena azygos anteriora

flora versus secundum longitudinem faciei dextræ corporum vertebrarum dorsi descendit, inter fibras musculi diaphragmatici inferioris transit, ac finitur aut in vena renali dextra; aut, quod & sæpissime fit, in trunco venæ cavæ inferioris. Descendens sensim sensimque *venas intercostales dextras & sinistras* emittit; quarum quælibet secundum marginem inferiorem costæ procurrit, eademque ratione, uti venæ intercostales superiores, per musculos intercostales ad latus thoracis externum ramos quosdam ablegat. Occurrit subin & vena azygos sinistra, quæ tamen non nisi pro ramo dextræ habenda erit.

Emissis nunc dictis ramis vena cava superior in duos, uti jam dictum, abit ramos, qui *venæ d'cuntur subclaviæ*; harum una *dextra*, altera *sinistra* est.

*Vena subclavia dextra*, quum vena cava in latere dextro hæreat, brevior est sinistra; sita est in sulco, secundum longitudinem superficiei inferioris claviculæ insculpto.

*Vena subclavia sinistra* longior est; pariter hæret in sulco claviculæ sinistrae. Venarum subclaviarum quævis ramos emittit quatuor majores; dum sinistra prius recepit venam mediastinam sinistram, pericardiacam, diaphragmaticam, thymicam, mammariam internam, ac trachealem, emittit ex latere sinistro venas intercostales superiores, & venam bronchiale, recepitque ductum thoracicum. Rami quatuor antea dicti sunt:

1. *Vena jugularis externa*. Oritur ex vena subclavia, subin & ex vena axillari, ascendit inter musculum latissimum colli, ac sterno-mastoideum; plerumque in duos dein abit ramos, qui sunt:



3. *Vena jugularis externa anterior.* Ascendit hæc versus partem lateralem maxillæ inferioris inter angulum, mediumque illius; per hunc decursum anteriora, posteriora, ac interiora versus multos ablegat ramos, nimirum:

- a. Posteriora versus rami nonnulli tendunt ad partem superiorem laryngis; ramuli minores communicant cum ramis venæ jugularis externæ posterioris.
- b. Anteriora versus rami feruntur ad musculos laryngis, ad sterno- & thyro-hyoideum, ad glandulas maxillares, ad musculum digastricum, & ad inferius labium oris.
- c. Interiora versus oritur ramus crassus, glandulæ sublinguali, linguæque ipsi prospiciens; rami hujus hic loci *vena ranina* audiunt, in alios denuo minores ramulos abeuntes, qui ad tonsillas, uvulam, musculos epistaphylinos laterales, & Kephalo-pharyngeos decurrunt.

Truncus venæ jugularis externæ anterioris a maxilla inferiori discedens musculum triangularem transcendit, inibique *vena angularis* audit; ab auctoribus quibusdam *vena maxillaris externa* vocatur; serpentino reptatu ab inferiori maxilla ad canthum oculi majorem fertur; per decursum vero musculis, integumentisque circumpositis ramos largitur; quorum præcipue unus per cartilaginea narium penetrat, ac in foraminibus narium dispergitur; alius vero labium superius ambit.

In cantho vero oculi interno *vena angularis* ramos potissimum sequentes quatuor emittit.

- a. Primus transcendit radicem narium ; per anastomofin jungitur cum vena obposita, rami exin parvi per foramina in superficie ossium nasi externa transeunt.
  - b. Ramus secundus frontem superat, *vena frontalis* sub nomine ; per anastomofin jungitur cum obposita.
  - c. Ramus tertius ductu serpentino ex latere trochleæ orbitam ingreditur ; communicat cum sinu duræ matris orbitario.
  - d. Ramus quartus secundum longitudinem musculi orbicularis, & corrugatoris superciliarum ad canthum oculi internum decurrit ; ibi loci communicat cum vena temporali, & ramo penes marginem orbitæ inferioris decurrente, quocum circulum fere efformat.
9. *Vena jugularis externa posterior.* Adscendit hæc inter glandulam parotidem, partemque auris anteriorem, per hunc decursum ex ea rami oriuntur sequentes.
- a. Mox ubi exorta est, ramus ab ea abscedit, supra musculos scapulæ ramificationes suas expandens ; *vena* vocatur *superhumeralis*.
  - b. Altiori loco oritur *vena cervicalis*, seu *muscularis colli superior*, decurrens versus musculos inter caput, vertebraeque colli sitas, ope ramulorum quorundam cum priori, tum & cum vena occipitali per anastomofin jungitur.
  - c. Magis exteriora versus, proxime tamen penes præcedentem oritur *vena cephalica minor*, inter musculum deltoideum, & pectoralem majorem sita, cum vena cephalica majori per anastomofin juncta.
  - d. Magis posteriora versum oritur *vena occipitalis*, ex vena vertebrali, seu ex axillari sæpius emergens. Ad os occipitis dividitur,

dividitur, singularem insuper emittit ramum, per foramen mastoideum posterius cranium intrantem, ubi & in sinu laterali duræ matris evanescit.

- e. Ante aurem ascendit ramus, qui continuatio fere trunci venæ jugularis externæ posterioris est, & *vena temporalis* adpellatur; per tempora, & partes laterales capitis dispergitur.

**II. VENA JUGULARIS INTERNA.** Oritur ex vena subclavia, ascendit inter muscolum sterno- & homo-hyoideum, quocum ultimo decussatur; secundum latera vertebrarum colli prope muscolum longam colli progreditur, ac ad foramen jugulare finitur sine latiori, qui *sinus vena jugularis* audit, & in quem sanguis ex sinubus duræ matris defertur. Ramos emittit sequentes:

1. Ramum ad laryngem decurrentem, ubi in tres ramos discedit. *Vena* audit *gutturalis*, seu *thyroidea*.
2. Ramum in regione ossis hyoidis, ad musculos ossis hyoidis decurrentem.
3. Ramum ad faciem internam maxillæ inferioris decurrentem; *vena maxillaris interna* dictum.
4. Ramum posteriora versus reflexum; per foramen condyloideum posterius ad cranium tendentem.

**III. VENA VERTEBRALIS.** Oritur magis posteriora versus ex vena subclavia; interdum & ex vena axillari, ramum mox dimittit, per musculos vicinos dispersum, *vena cervicalis*, seu *muscularis inferior* dictum. Abit deinde vertebralis vena in tres plerumque ramos.

1. Primus per foramina processuum transversalium vertebrarum colli sursum adscendit.
2. Alter prope vertebrae colli ad quartam usque adscendit vertebrae; ibi loci unitur de novo cum ramo primo; tumque bini unicum non nisi truncum constituunt. Ab utroque oriuntur nonnulli rami, tum anteriora versus ad musculos colli, parvosque musculos anteriores capitis decurrentes; tum oriuntur rami alii, canalem magnum spinae dorsalis intrantes, ubi sinus quosdam constituunt, qui *sinus vertebrales* audiunt, superius cum sinibus durae matris occipitalibus, & cum sinibus vertebralibus oppositi lateris per anastomosis juncti.

**IV. VENA AXILLARIS.** Continuatio haec est venae subclaviae: emissis enim tribus ramis antea dictis vena subclavia inter costam supremam, claviculam, & sub axilla procurrit; ad eum usque locum *axillaris* audit. Per hunc decursum rami ex ea oriuntur sequentes:

1. *Vena muscula*, seu *muscularis*. Fertur ad musculus trapezium, elevatorem scapulae, infraspinatum, subscapularem; quum rami per scapulam, hujusque binas facies dispergantur, *venarum scapularium externarum*, & *internarum* divisio exorta est.
2. *Vena thoracica*, ex utroque latere in venam thoracicam superiorem, & inferiorem dividuntur.
3. *V. thoracica superior*, seu *mammaria externa* decurrit ad mammas, & musculus pectoralem majorem, & minorem.

- b. *V. thoracica inferior* ramos mittit ad musculos subscapularem, rotundum majorem, & minorem, infraspinatum, spinosum dorsi magnum, pectoralem majorem, & ad glandulas axillares.
3. *Vena cephalica major*. Oritur ex axillari in regione capitis humeri. Sub initium per anastomosisi jungitur cum vena cephalica minori; hinc inter musculum pectoralem majorem, & deltoideum procurrit, inferiora versus secundum longitudinem musculi bicipitis externe descendens; per anastomosisi nequitur venæ basilicæ; in musculos circumpositos, pinguedinem, cutimque ramulos mittit. In condylo humeri externo ramus ab ea abscedit, postea denuo sursum adicendens. Exteriora versus cephalica ad flexuram humeri cum antibrachio fertur, ramos duos sequentes, quorum alter longus, alter brevior est, generans:
- a. Ramus longior *vena* vocatur *radialis externa*. Descendit secundum latas externum radii, in varios minores ramulos ibi discedit, quorum maximus *venæ cephalicæ pollicis* sub nomine pollicem adit: ramuli reliqui coeunt cum ramulis venæ basilicæ, in digito minimo dispersis.
- b. Ramus brevior *vena mediana cephalica minor* audit. Oblique transcendit aponevrosin bicipitis, unitur ibi loci ramo brevi, a vena basilica discedenti, *vena mediana basilica* dicto. Venæ hæ duæ breves medianæ uniuntur hinc in flexura brachii: ex hac vera unione denuo oriuntur tres rami:

- α. Primus descendit secundum antibrachium, inferiori loco unitur cum vena cephalica pollicis, *vena mediana cephalica major* salutaris potest.
- β. Alter in cubito inter musculos descendit; unitur cum venis antibrachii, adpellari poterit *vena profunda inferior*.
- γ. Tertius in facie interna radii descendit; *vena radialis interna* audit; operamuram lateralium cum vena radiale externa undique jungitur.

Emissis nunc dictis ramis vena axillaris secundum humerum descendit; jamque non axillaris, sed *vena basilica* vocatur. Largitur sequentes Venas.

1. *Venam infrahumeralem, s. articulare*, ad articulationem humeri cum scapula tendentem.
2. *Venam profundam superiorem*, in collo humeri ex basilica enatam; sub tendine muscoli pectoralis majoris in latere arteriæ brachialis descendentem, ex utroque latere musculis propinquis prospicientem.
3. *Venas satellites arteriæ brachialis*, infra præcedentem enatas, 2. vel 3. numero. Proxime ad arteriam brachialem, cumque ea ad flexuram feruntur brachii; ubi arteriæ ad infra dividuntur, & cum ea secundum antibrachium descendunt.

Fertur hinc vena basilica in latere interno brachii ad condylum humeri internum sub cuti latitans; cum profunda superiori per anastomosis jungitur, uti & cum satellitibus arteriæ brachialis, & cum cephalica. In condylo humeri interno vena basilica mediana directione transversa ad venam medianam cephalicam minorem fertur;   
basi-

basilica autem ipsa in duos ramos abit. Unus in cubiti facie externa, alter in facie ejus interna descendit; prior *vena cubitalis externa*, alter *vena cubitalis interna* audit. Ambæ tum inter sese, tum & cum ramis aliarum venarum antibrachii per anastomosi junguntur. In extremitate inferiori cubiti rami multi a venis cubitalibus enati faciem manus externam transcendunt; unus ex his imprimis in latere digiti annularis procurrit, *vena salvatella* dictus, ramorum ope cum vena cephalica pollicis anastomosi nexus. Rami reliqui, per manum dispersi interstitia multa vacua intercipiunt, quæ *areolarum venosarum* sub nomine veniunt.



## T A B U L A X.

### VENA CAVA INFERIOR, EJUSQUE RAMIFICATIONES IN SPECIE.

**V**ENA CAVA INFERIOR a sinu venæ cavæ in pericardio ad trium circiter linearum distantiam profecta, pericardium dein vero & diaphragma perforat. Abdomen sic ingressa duos illico emit tit ramos, qui

1. *Venæ diaphragmaticæ*, seu *phrenicæ inferiores* audiunt. Excurrunt hæ in facie inferiori diaphragmatis, adeo ut una dextrorsum, altera sinistrorsum abeat.

Tum vero vena cava inferior inter lobum finistrum hepatis, lobulumque Spigelii hepatis vicinissima progreditur, in idque 4. aut 5. ramos mittit, qui

1. *Vena hepatica* audiunt, substantiam subeuntes hepatis.

Oriuntur insuper, ex vena cava inferiori, ad sinistrum latus paulo magis tum flexa, rami sequentes:

2. *Vena duæ renales, dextra & sinistra.* Dextra brevissima est, oblique nonnihil ad renem dextrum fertur. Sinistra longior, horizontali decursu arteriam aortam transcendit, renem dextrum petens. Ex binis hisce venis oriuntur ramuli nonnulli, tum ad renes succenturiatos, tum ad renum pinguedinem proficiscentes. Priores *venæ capsulares*, posteriores *venæ adiposæ* salutantur. Exit insuper ex vena renali sinistra *vena spermatica sinistra*.

3. *Vena spermatica dextra.* Oritur hæc illico infra præcedentem, prope arteriam spermaticam dextram ad testiculum migrat. Per hunc decursum oriuntur ex ambabus venis spermaticis rami quidam, ad peritonæum, mesenterium, & ad muscolum quadratum lumborum missi.

4. *Venæ lumbares.* Variæ sunt; in universum ex parte postica venæ cavæ inferioris prodeuntes; ad musculos abdominales, muscolum quadratum lumborum, Psoam, & iliacum proficiscentes. Ramuli nonnulli musculos dorsales salutant.

Tandem vena cava inferior ad vertebram ultimam lumborum in duas venas scedit, quæ venæ iliacæ audiunt; inter ambas tamen



6. *Vena sacra* exoritur, secundum faciem internam ossis sacri descendens.

*Venæ iliacæ* dividuntur in *venam iliacam dextram*, & *sinistram*. Quævis hærum emittit rami, sub *vena hypogastricæ*, seu *stucæ internæ* nomine ad pelvim euntem, prope arteriam ejusdem nominis ad pelvim abit; ibidem arcum efformat, ex quo rami sequentes prodeunt:

a. Ex parte arcus hujus postica oritur ramus, foramen primum faciei internæ ossis sacri intrans.

b. Posterius & interius exsurgit ramulus exiguus, foramen secundum dicti nunc ossis subiens.

c. Ex parte arcus externa oritur ramus crassus, per incisuram ischiaticam ad musculos gluteos, ad pyriformem, gemellosque ambos decurrens, ibique latius exporrectus.

d. Inferiori denuo loco enascitur ramus alius crassior, musculos obturatorios perforans, exteriora versus per ramulos nonnullos cum vena crurali communicans, in musculo tripite, musculisque vicinis evanescens; *Vena obturatoria* dicitur; interius in pelvi multi ex ea rami exsurgunt, in partes internas genitales tæminarum, in ureteres, vesicam urinariam, inmissi; tum & cum venis spermaticis in sequiori sexu per anastomosis juncti.

e. Anteriora versus ramus magnus sub symphyssi ossium pubis secundum sulcum superiorem corporum cavernosorum *venæ pudendæ dorsalis* sub nomine decurrit.

*Vena hypogastrica*, dimissis nunc dictis ramis per incisuram ischiaticam ex pelvi emergit; in ramos superiores, ac inferiores tum divisa, qui omnes tum ad anum feruntur, *venæque hæmorrhoidales*

*dales externa* dicuntur; tum & partes adeunt externas genitales virorum sub nomine *venarum pudendarum internarum*. Communicant illæ etiam cum vena hæmorrhoidali interna, a vena splenica exoriente.

Emissa vena hypogastrica vena iliaca secundum muscolum Psoam adusque ligamentum Fallopii excurrit, ad quem usque terminum *vena iliaca externa* adpellatur. Enascitur ibi ramus ex ea parvus, secundum faciem internam muscoli recti abdominis ascendens, cum vena mammaria interna anastomosi junctus, *vena epigastrica* dictus.

Egreditur dein vena iliaca externa, ligamentum dictum superans, ex abdomine; oriuntur ex vena crurali omnium primo:

- a. Rami parvi, qui glandulas inguinales, musculos circumpositos, partim etiam partes genitales externas adeunt; *venæ pudendæ externæ* dicti.

Inferiori loco enascitur ramus crassus qui

- b. *Vena saphena magna*, seu *interna* dicitur. Descendit inter integumenta cutanea, muscolumque sartorium adusque condylum femoris internum, exhinc secundum longitudinem tibiæ decurrit ad malleolum internum, per totum pedis dorsum delatus, ubi demum ad phalanges digitorum in exiles ramulos dispescitur.

Vena hæc eadem ramos multos laterales emittit, qui cum vena saphena parva, & cum vena tibiæ externa variis in locis anastomosibus junguntur.

Infra venam hanc saphenam magnam oriuntur rami sequentes ex vena crurali,

- c. Ramus anterior, per muscolum vastum internum, & muscolum tricipitem dispersus.



- d. Ramus posterior, ad musculos glutæos, ad vastum externum, & ad partem superiorem musculi bicipitis abiens.
- e. Paulo infra præcedentem oritur *vena ischiatica*, cum nervo ischiatico descendens, venæ crurali prope poplitem denuo unita. Ex hac vero unione exteriora versus
- f. Enascitur ramus, sub nomine *vena saphena parva*, seu *externa*. Descendit hæc sub cute solum abscondita ad malleolum usque externum; finitur in latere externo pedis; per anastomosi cum *saphena interna* ramis variis jungitur.

Dimissis hisce ramis vena cruralis deorsu posteriora nonnihil verso musculo bicipiti vicinissima sub poplitem usque fertur, ubi *vena poplitea* nomen acquirit. Spargit hæc circa genu plurimos ramos, quorum aliqui secundum longitudinem descendunt. Sub poplite ad muscolum popliteum vena poplitea in tres ramos finditur sequentes:

- a. *Vena tibialis anterior*. Emittit hæc jam ad exortum suum ramos aliquot minores; perforat dein ligamentum interosseo; & hic etiam loci ramuli lateraliter abscedunt. Duos tresve ramos tum efformat, qui secundum faciem anticam ligamenti interossei, prope arteriam tibialem anteriorem descendunt, eamque ramulis transversim decurrentibus cingunt. Interiori loco duo hi, tresve rami in unicum denuo confluent, mox tamen in alios dirimendum, per antipedium spargendos; ramus ex his perforat inferius denuo ligamentum interosseo, & cum vena tibiali posteriori per anastomosi nectitur.

- b. Vena tibialis posterior.** Prodit ex hac primo ramus sub *vena suralis* nomine per musculum soleum dispersus. Descendit dein retro musculum soleum, & tibiale posticum, cui ramos pariter largitur; in duos, tresve ramos discedit, arteriam tibiale posticam ambiens, cum eaque retro malleolum internum per sinuositatem calcanei ad pedis plantam euntes. Per hunc decursum communicat cum vena saphena interna inferius in tibia, uti & cum vena tibiali anteriori. In planta oriuntur ex ea multi ramuli, quos *venas plantares* dixere, arcus multos, *arcuum venarum plantarium* sub nomine notos, efformantes.
- c. Vena peronea.** Dividitur & hæc in duos, tresve ramos, secundum latus fibulæ internum (dum arteriam peroneam ambiunt, & comitantur) ad inferiorem hujus cum tibia articulationem descendentes; retro malleolum externum multos adhuc ramos emittentes, per musculos peroneos, & extensorem longum digitorum dispersos, hinc inde cum vena tibiali posteriori anastomoseos interventu junctos.



## T A B U L A XI.

## VENA PORTÆ, HUIUSQUE RAMIFICATIONES IN GENERE.

**V**ENA PORTÆ in *ventralem*, & *hepaticam* dividitur.

**A.** *Vena porta ventralis* constituit ipsum truncum, secedit tum in ramos tres principes.

1. *Ex trunco* oriuntur :

1. Venæ cysticæ.
2. Vena hepatica parva.
3. Vena pylorica
4. Vena duodenalis, s. intestinalis.

2. *Rami tres principes* sunt :

1. *V. mesenterica major*, ex qua
  - a. Vena colica dextra, & sinistra.
  - b. Vena gastrocolica, ex qua veniunt :
    - α. Vena gastro-epiploica dextra.
    - β. Rami, ad intestinum colon tendentes.
  - c. Vena epiploica dextra.
  - d. Rami nonnulli, per intestina tenuia ramificationes suas producentes ; eminet imprimis vena cœcalis.

3. *Vena splenica*, ex qua veniunt :

- a. Venæ breves.
- b. Vena coronaria gastrica.
- c. Venæ pancreaticæ.
- d. Vena gastrica, seu gastro-epiploica sinistra.

e. Vena epiploica sinistra.

3. Vena hæmorrhoidalis interna, s. mesarsica minor.

B. Vena portæ hepatica in hepate in multos abit ramos, per omnem hepatis substantiam dispersos.



## T A B U L A XII.

### VENA PORTÆ VENTRALIS, HUIUSQUE RAMIFICATIONES IN SPECIE.

**V**ENA PORTÆ in genere vocatur vena sanguinem ex intestinis, liene, ventriculo, & pancreate in hepatis substantiam deferens. Considerari potest ut vasa duo specialia, truncis sibi invicem obpositis, quorum quivis innumeros emit ramos, tum per substantiam hepatis divisos, tum viscera quædam abdominalia adeuntes. Ramus unus *vena portæ hepatica*, seu *vena portæ superior*, seu *minor*, hujus vero truncus principalis *sinus venæ portæ* adpellatur. Ramus alter *vena portæ ventralis*, seu *vena portæ inferior*, seu *major* audit. Ramus hicce ultimus oritur ex sinu venæ portæ, ad quinque, sexve digitorum transversorum longitudinem ex dextro latere sinistrum versus, retro principium intestini duodeni ad extremitatem pancreatis majorem excurrit, ubi in ramos tres principales dirimitur. Antea tamen ramuli minores ex trunco venæ portæ, sæpius

vero ex ipsis ramis tribus principibus oriuntur ;  
 nimirum :

1. *Vena dua cystica, gemella dictæ, secundum latera cystidis telleæ ad hujus fundum ambulantes.*
2. *Vena hepatica parva, quæ sæpius ramus unius ex venis cysticis est, & ad hepar fertur,*
3. *Vena pylorica, pylorum, uti & arcum ventriculi minorem exsuperans; cum vena coronaria ventriculi communicans.*
4. *Vena duodenalis, seu intestinalis, per duodenum, partemque pancreatis dispersa.*

Rami tres principes venæ portæ ventralis sunt ;

1. *Vena mesaraica major.* Emittit hæc denuo tres ramos, cum ramis arteriæ mesaraicæ superioris decurrentes.

1. Ramus primus *vena colica* vocatur. Oritur hæc anteriora versus ; recto decursu ad medium intestini colli fertur ; ubi in dextram, & sinistram abit, arcus efformans magnos. Dextra cum ramo venæ gastro-colicæ, sinistra cum vena hæmorrhoidali interna per inosculationem conjungitur,

2. Ramus alter adpellatur *vena gastro-colica*. Hæc in ramum superiorem, & interiorem iecedit ;

a. Ramus superior in pancreas parvos mittit ramulos ; venam dein producit *gastro-epiploicam dextram*. Fertur hæc ad arcum usque ventriculi majorem ; communicat etiam cum vena gastro-epiploica sinistra, & cum vena coronaria gastrica.

b. Ramus inferior secundum latus dextrum intestini colli ad hujus fere progreditur medium ; ubi ramus abscedens cum vena colica dextra per anastomosin jungitur ; ramis reliquis arcus efformantibus, qui intestinum

ambiant ; unus ex his cum vena cœcali communicat.

2. Ramus tertius, exiguus, vena vocatur *epiploica dextra*. Recto decursu ad omentum.

ferur, per cujus dextrum latus dispergitur.

De his tribus ramis vena mesaraica superior arteriam mesaraicam superiorem transscendit, quamplurimos formans arcus, qui *arcus vocantur venosi mesenterici*.

Ex arcibus his ipsis innumeri profiliunt rami, in intestino ileo, & jejunio potissimum evanescentes.

Ex horum arcuum uno prodit ramus majusculus, circa intestinum cæcum dispersus, hujusque processui vermiformi ramis prospiciens, vena cœcalis dictus.

11. *Vena splenica*. Transversa directione a dextro ad sinistrum latus per sulcum pancreatis excurrit, donec ad lienem pervenerit, ubi serpentino ductu varie flexa in multos dirimitur ramos, superficiem concavam, seu internam lienis pererrantes, perque hujus substantiam divisos ; ramuli exhinc aliqui, *venarum brevium* sub nomine, ad ventriculum proficiscuntur.

Rami ex vena splenica orti sunt sequentes :

1. *Vena coronaria stomachica*, circa ventriculi orificium superius hæc maxime distribuitur : ramus vero maximus secundum longitudinem arcus minoris versus orificium ventriculi inferius excurrit ; per hunc decursum ambabus ventriculi superficiebus multos ramos largitur, cum venis, ab arcu majori profectis per anastomosin nexos.

2. *Vena pancreatica*. Harum sub nomine veniunt rami multi exigui, a vena splenica ad pancreas tendentes.



3. *Vena gastrica*, seu *vena gastro-epiploica sinistra*. Oritur in regione extremitatis sinistrae pancreatis ex vena splenica. Decurrit penes extremitatem ventriculi majorem, (ubi ejus ramus ad omentum discedit, per id ipsum dispersus) ad arcum ventriculi majorem, per quem distribuitur, & ubi cum gastro-epiploica dextra anastomoseos ope nequitur. Oriuntur praeterea ex ea laterales ramuli, in utraque ventriculi superficie inter hujus membranas dispersi; inibique cum ramis venae coronariae stomachicae communicantes.
4. *Vena epiploica sinistra*. Oritur prope praecedentem, ad omentum recto tramite fertur, perque id ipsum plurimis ramificationibus distribuitur; rami ex hinc aliqui ad intestinum colon tendunt, ibique cum ramo venae haemorrhoidalis internae anastomosi junguntur.

III. *Vena haemorrhoidalis interna*, seu *mesenterica minor*. Exoritur haec statim ad initium venae splenicae, ac vix enata intestino duodeno ramum largitur, qui *vena duodenalis secundaria* appellari poterit. Dirimitur tum in ramos duos, unum superiorem, alterum inferiorem.

- I. Superior intestini coli partem supernam, sub ventriculo sitam, petit: per anastomosi ibi loci nequitur.
- a. Cum ramo venae mesentericae majoris.
  - b. Cum ramis variis venae gastro-epiploicae sinistrae, &
  - c. Cum ramis variis venae epiploicae sinistrae.
- II. Ramus inferior secundum intestinum rectum ad anum usque descendit. Per hunc decursum mesocolo & mesorecto multos mittit ramos, varios formans arcus, ex quibus magna

gna copia ramulorum propullulat, canalem horum intestinorum ambientium.

## T A B U L A XIII.

### VENA PORTÆ HEPATICA ; VENÆQUE PULMONALES,

#### I.

**SINUS VENÆ PORTÆ** duas ramificationes exhibet, quæ ab ejus trunco enatæ, in *porta dicta hepatis* hærent. Ex hoc ipso sicut oriuntur rami principales crassiores 5, vel sex, in innumeros denuo alios ramos divisi, per omnem hepatis substantiam errantes.

#### II.


**VENÆ PULMONALES** audiunt venæ, sanguinem ab extremitatibus arteriarum pulmonalium exceptum, in ventriculum cordis sinistrum revehentes. Oriuntur finibus innumeris in pulmonibus; qui tamen omnes omnino quatuor demum nonnisi ramos principes formant, in saccum musculosum terminatos, qui *saccus venarum pulmonalium*, s. *saccus Lowerianus sinister* adpellatur.

*Finis Tabularum Angeiologicarum.*

# INDEX

## TABULARUM ANGEIOLOGI- CARUM.


<b>TABULA I.</b> Arteriæ in genere.	pag. 245
II. Arteria aorta ; hujusque rami in genere.	247
III. Art. aorta superior, hujusque rami in specie.	252
IV. Art. aorta inferior, hujusque rami in specie.	269
V. Art. illacæ, harumque ramifi- cationes.	276
VI. Art. pulmonalis, hujusque ra- mificationes.	283
VII. Venæ in genere.	284
VIII. Vena cava ; hujusque rami in genere.	285
IX. V. cava superior, hujusque rami in specie.	289
X. V. cava inf. hujusque rami in specie.	298
XI. Vena portæ in genere.	304
XII. V. portæ ventralis, hujusque rami in specie.	305
XIII. V. portæ hepatica ; Venæque pulmonales.	309



T A B U L Æ  
A D E N O L O G I  
C Æ.



TABULÆ AD ENOLOGICÆ.



TABULA I.

GLANDULÆ IN GENERE.

**D**e GLANDULIS in genere notanda sunt sequentia :

1. **DESCRIPTIO GLANDULÆ** vocantur partes corporis animalis, in quibus ope magni vasorum, singulari plane inter sese convolutorum, nexorumque ope determinata fluida mutantur, & perficiuntur.
2. **STRUCTURA.** Glandulæ omnes componuntur arteriis, venis, vasis lymphaticis, & nervis, membrana insuper involvuntur propria. Glandulæ quædam, quin vix non omnes receptaculis instructa sunt, inter vasa, quibus constituuntur, hærentibus, *folliculorum* sub nomine notis; aliæ denuo *ductibus* ita dictis *excretoriis* instructæ sunt.
3. **DIVISIO.** Glandulæ in tres plerumque distribuuntur species. Quædam *glandulæ simplices*, seu *folliculosæ*, aliæ *glandulæ conglobatæ*, aliæ demum *glandulæ conglomeratæ* dicuntur.

4. DIFFERENTIA. a) GLANDULA SIMPLEX, seu FOLLICULOSA est glandula, humorem ope vasorum suorum secretum, in folliculo excipiens, eumque varias ob rationes per ductum excretorium ulterius promovens.
- b. GLANDULA CONGLOBATA est glandula, nec ductu excretorio, nec folliculo gaudens; sed aut vasa lymphatica, aut lactea, exhinc aliorum decurrentia, excipiens.
- c. GLANDULA CONGLOMERATA est glandula, innumeris ductibus excretoriis exiguis, plerumque in ductum excretorium communem abeuntibus instructa.

## T A B U L A II.

### GLANDULÆ CAPITIS.

**G**LANDULÆ CAPITIS tum intra cavum cranii hærent; tum & extra id ipsum occurrunt. Ad primam classem pertinent:

1. GLANDULÆ DURÆ MATRIS, quæ ab inventore PACCHIONO, Italo nominis traxere originem. Sunt in majoribus duræ matris sinubus, imprimis in longitudinali, secundum hunc tum externe ad latera, tum interne dispositæ; & secundum longitudinem sulci, quem os frontis, ossaque bina bregmatis per faciem suam internam constituunt.

Impressiones quasdam producentes. Ufus harum nondum est evictus.

3. **GLANDULÆ PLEXUS CHOROIDEI;** in ventriculis cerebri, inter convolutiones vasorum plurimorum sanguineorum, & lymphaticorum sitæ; sæpius deficiunt, a quibusdam in dubium omnino revocantur.

3. **GLANDULA PINEALIS.** Hæret supra commissuram cerebri posteriorem, parvasque binas eminentias, quæ *nates* audiunt, obtegit. Vasis cincta est quamplurimis sanguineis; a thalamis nervorum opticorum filamenta nonnulla medullosa ad eam feruntur; membrana subtilissima cincta est.

4. **GLANDULA PITUITARIA.** Insidet hæc sellæ turcicæ ossis sphænoidei, laminis duræ matris quodammodo involuta, ea ratione, ut lamina externa sub ea abscedat, interna vero eam superne obtegit; in qua parvum adest orificium, membranam propriam glandulæ pituitariæ penetrans: transit per hoc orificium finis infundibili; de quo adferunt, serum in ventriculis cerebri per glandulas forsan plexus choroidei secretum ad hanc glandulam, exhinc vero per alios canales in sinus sphænoideales duræ matris, ex his demum juxta leges circulationis in alia corporis vasa hæmatophora deferri.

Ad glandulas extra cranii cavum hærentes referri debent:

1. **GLANDULÆ CERACEÆ,** seu **SEBACEÆ MEIBOMII.** Veniunt sub hoc nomine glandulæ illæ simplices, intra cutim palpebrarum sitæ, canalibus suis excretoriis in margine palpebrarum terminatæ in orificia, quæ *puncta* dicuntur *ciliaria*; humorem secer-

- nentes lubricum adfrictum palpebrarum impediens.
2. **CARUNCULA LACRYMALIS.** Glandula exigua, inæqualis superficiei, rubicunda, in cantho oculi cujusvis interno hærens, ibique inter ambos palpebrarum margines nonnihil prominens; humorem secernens specialem, palpebras in cantho interno, quum ibidem puncta nulla sint ciliaria, ab adfrictu muniens.
  3. **GLANDULA LACRYMALIS**, seu **IN-NOMINATA.** Vocatur sic glandula hærens in fovea, orbitæ supra canthum externum insculpta; inter pinguedinem plurimam, vasa sanguinea, nervosque delitescens: exeunt ex hac canales quidam, prope marginem palpebræ superioris introrsum patentes, humoremque illuc deferentes, qui sub lacrymarum nomine notus est.
  4. **GLANDULA PAROTIS.** Glandula magna conglomerata, hærens inter angulum maxillæ inferioris, processum mastoideum, ac anteriora versus prope aurem externam: nascitur ex hac anteriora versus per adunationem canalium multorum parvorum canali albicans, vasculis multis præditus, membranaceus oblique ex latere antrorsum supra faciem externam muscoli masseteris plurimæ pinguedini involutus, decurrens, musculum buccinatorem dein perforans, ac in os non prope a superiori gingiva, inter secundum, & tertium dentem molarem hians. Defertur ope hujus ejusdem canalis saliva in os; *ductus salivaris superior*, & ab inventore, *steno manus* dicitur.



5. **GLANDULA MAXILLARIS.** Venit sub hoc nomine glandula conglomerata, sub angulo maxillæ inferioris, paulo magis interiora versus, non procul a musculo pterygoideo interno, inter musculum digastricum, & cutaneum colli, ex utroque latere una hærens, ductum emittens, inter musculos linguæ, & ossis hyoidis transeuntem, sub lingua ex latere frenuli in os hiantem. Per hunc canalem saliva pariter in os defertur; *ductus salivaris inferior*, & ab inventore *ductus Warthonianus* dicitur.
6. **GLANDULÆ SUBLINGUALES.** Sic vocantur glandulæ binæ aliquantum oblongæ, illico sub lingua hærentes, per musculos interjectos genio-hyoideos ab invicem discretæ; ex quavis oriuntur canales exigui, lateraliter inter partes linguæ laterales, & gingivam inferiorem in os apertæ.
7. **GLANDULÆ MOLARES.** Glandulæ duæ parvæ; quarum ex quovis latere una inter musculum masseterem, & buccinatorem sita est, prope dentem ultimum molarem ductu suo in cavum oris patens.
8. **TONSILLÆ, seu AMYGDALÆ.** Sunt glandulæ duæ magnæ, quarum ex utroque latere oris una inter arcum veli palatini hæret; per ductus parvos excretorios succum subviscidum secernunt.
9. **GLANDULÆ BUCCALES, LABIALES, LINGUALES, PALATINÆ, & UVULARES.** Sunt glandulæ illæ parvæ, folliculosæ, quæ in partibus illis, unde denominantur, sitæ sunt, & in tunica oris, quam ductibus suis excretoriis perforant, delitescunt; humorem secernunt salivæ æmulum.

10. **GLANDULÆ AURIS EXTERNÆ CERUMINOSÆ.** Sunt glandulæ folliculosæ, flavæ; inhærentes faciei internæ tunicæ meatum auditorium externum ambientis: secernunt succum: *cerumen* dictum.
11. **GLANDULÆ MUCOSÆ MEMBRANÆ PITUITARIÆ,** sunt glandulæ parvæ, hinc inde in membrana pituitaria, præsertim vero in septo narium reperiundæ. Mucosæ secernendo simul inserviunt.




### T A B U L A III.

#### GLANDULÆ COLLI.

**GLANDULÆ COLLI** sunt sequentes:

1. **GLANDULA THYROIDÆA;** glandula hæc est illa magna, cujus pars media, seu *corpus*, parti anteriori cartilagineum infericorum tracheæ; partes laterales autem, quæ *cornua* dicuntur, partibus lateralibus cartilagineis cricoideæ, & thyroideæ adhærescunt. Inventus in ea hætenus nondum fuit ductus excretorius; nec de usu ejus constat.
2. **GLANDULÆ JUGULARES,** vocantur sic glandulæ, in collo hinc inde secundum decursum venarum jugularium sitæ. **WARTHONUS** in utroque latere colli 24. **VERHEYENUS** autem multo plures tales glandulas numeravit.

3. **GLANDULÆ CERVICALES, & OCCIPITALES**; glandulæ sunt in cervice, omnique colli posteriori parte sitæ.
4. **GLANDULÆ LARYNGEÆ** in tunica laryngis faciem internam obvestiente occurrunt. Succum subviscidum secernunt, laryngis interiora humectantem, lubricantem.
5. **GLANDULÆ PHARYNGEÆ, & OESOPHAGEÆ**: sedem occupant in tunica hujus canalis interna, succum illius humectationi, & lubricationi inservientem secernunt.



## T A B U L A IV.

### GLANDULÆ THORACIS.

1. **GLANDULÆ BRONCHIALES** sunt glandulæ sat magnæ, nigricantes, ad finem laryngis, imprimis vero ibi loci, ubi bronchia in ramos secedunt, in latere externo sitæ; canales earum excretorii in cavum internum dictarum nunc partium hiant; succum secernentes nigricantem, qui matutino tempore, jejunoque ventriculo sæpius excreari solet.
2. **GLANDULA THYMUS** vocatur glandula hærens proxime sub parte superiori sterni inter membranas ambas mediastini incumbens pericardio, trunco arteriæ aortæ, venæque cavæ superiori; figura prædita oblonga, irregulari tamen; in foetu multo major, quam

in junioribus ; in senibus ex integro fere disparsens. Ductus excretorii in hac glandula detecti nondum sunt. Usus illius quod concernit, ajunt, secerni ab ea, imprimis in sœru, lympham, hanc per vasa lymphatica deterrri in ductum thoracicum, eum in finem, ut chylus, ipseque sanguis, defectu respirationis non adtenuatus, diluatur. Alii glandulæ hujus ejusdem usus verosimiles plerumque haud sunt.

3. **GLANDULA DORSALIS VESALII.** Glandula hæc jam major, jam & minor, in thorace ad quartam, quintamve dorsi vertebram reperiunda, sæpius omnino deficiens est; interdum vero & binæ adsunt: etsi nulli noti sint ductus ejus excretorii, autumant tamen nonnulli, inservire eam lubricando pharyngi; orisque, ea obstructa, deglutitionem molestam.
4. **GLANDULÆ MAMMARUM.** Glandulæ sunt exiguæ, in mammis magna copia reperiundæ; multi tamen pro glandulis easdem non agnoscunt.



## T A B U L A V.

### GLANDULÆ ABDOMINIS.

I.

**G**LANDULA PANCREAS vocatur glandula oblonga conglomerata, transversim in regione epi-

epigastrica sub ventriculi parte posteriori sita, extremitate una, sinistra, tenuiori lieni, extremitate altera, crassiori intestino duodeno immediate adhærens : ductu excretorio secundum longitudinem exprorecto gaudet ; qui in lumen canalis intestini duodeni apertus hiat, inque hoc ipsum succum defert, specialis indolis, præparando chylo inservientem.

1. **GLANDULÆ SUPRARENALÆ** etiam glandulis solent adcersi. Binæ sunt numero, quarum quævis supra renis extremitatem superiorem in membrana adiposa hæret. Figura earum irregularis est, triangulum fere exhibens male constructum ; interne substantiam recludunt celluloso spongiosam, externe membrana tenui, robustaque tamen obvelatam. In fœtu multo sæpe majores sunt, quam in adultis, adeo ut ipsorum renum magnitudinem nonnunquam exsuperent. In earum substantia interna cavum adest, cui inhæret naturali lege succus ex rubro fuscescens, unctuosus, de cujus vero usu nondum constat. Sat magnis cæterum vasis hæmatophoris, nervis, plurimisque vasis lymphaticis donatæ sunt.

2. **GLANDULÆ MESARAICÆ** dicuntur glandulæ jam majores, jam & minores, in textu celluloso mesenterii hiuc inde sitæ ; vasa lactea intestinorum excipientes, chylumque quadam ratione mutant. Nervi earum & vasa sanguifera proficiscuntur ab illis, quæ mesenterio, & intestinis in genere propria sunt.

4. **GLANDULÆ INTESTINALES** audiunt glandulæ inter tunicam intestinorum nerveam, & villosam hærentes. Quædam ex his *solitariae* ibi hærent, ab inventore *Brunneriana* dictæ. Aliæ autem, majori copia simul adcumulatæ *glandulæ plexiformes*, ab inventore *Peyeriana*

*viana* salutantur. Quæ ex his in intestinis tenuibus sitæ sunt, chylo diluendo, quæ vero in intestinis crassis hærent lubricandis excrementis inserviunt.

5. **GLANDULÆ CYSTICÆ** dictæ, glandulæ sunt coloris obscure fusci, circa collum vesicæ felleæ, & secundum ductum choledochum dispositæ. Sunt & in facie interna hepatis, & lienis glandulæ minores, quas *glandulas hepaticas* & *lienares* adpellant; vasis dicatæ lymphaticis.
6. **GLANDULÆ LUMBARES** sunt minores glandulæ, circa receptaculum chyli locatæ.
7. **GLANDULÆ SACRÆ, & ILIACÆ** dicuntur glandulæ circa, propeque angulos, ubi vasa iliaca a sese recedunt, magna copia dispositæ, vasa quamplurima lymphatica cum hisce communicant.



## T A B U L A VI.


### GLANDULÆ PARTIUM GENITALIUM VIRILIUM.

#### I.

**G**LANDULA PROSTATATA vocatur glandula illa magna, latior aliquantum, & complanata, inter collum vesicæ urinariæ, bulbumque uretræ hærens. Pars complanata inferior connectitur cum intestino recto; in altera superiori latiori notanda venit incisura, quam pars uretræ

thræ occupat. Pars prostaticæ posterior, crassa vesicam urinariam respicit, pars magis acuminata versus bulbum urethræ tendit. Ductus ex glandula hac proficiscuntur decem, duodecimve excretorii, totidem orificiis in canalem urethræ prope verumontanum terminatæ, succum illinc deducentes, urethram subin humectantem.

2. **GLANDULÆ MUCOSÆ COWPERi.** Vocantur sic glandulæ, in parte posteriori urethræ hærentes. Tres adsunt. Ex his duæ, quæ simul & maximæ sunt, ante glandulam prostaticam sub musculis acceleratoribus penis sitæ sunt ea ratione, ut ex quovis urethræ latere hæreat una. Tertia minor paulo magis anteriorum bulbo urethræ proxime adhæret. Donatæ sunt hæ tres glandulæ ductibus longis excretoriis, secundum urethram decurrentibus, circa medium circiter canalis hujus ejusdem in eum hiantibus.
3. **GLANDULA MUCOSA LITTRii** vocatur glandula prope bulbum urethræ inter membranas binas illius hærens; ductu donata est excretorio, in canalem hunc hiantem, mucumque in eum deferente.
4. **GLANDULÆ MUCOSÆ URETHRÆ** sunt copiosissimæ illæ, exiguæ, semini milii similes glandulæ in substantia spongiosa urethræ inter binas hujus tunicas ubique disseminatæ. Quælibet earum ductu excretorio instructa est, per orificium, *lacuna urethræ* dictum in membranam urethræ internam terminato. Secernunt mucum, urethræ lubricationi inservientem.



## T A B U L A VII.

GLANDULÆ PARTIUM GENITALIUM  
MULIÆBRIUM.

## I.

- G**LANDULÆ ODORIFERÆ LABIORUM sunt glandulæ illæ sebaceæ, quæ sub cuti faciei internæ labiorum vulvæ hærent, mucum secernentes copiosum subviscidum.
1. **GLANDULÆ ODORIFERÆ NYMPHARUM** intra nymphas sitæ, mucum pariter secernentes similem.
  2. **GLANDULÆ ODORIFERÆ CLITORIDIS**, ad clitoridis basin magna copia locatæ; eundem, uti præcedentes, exferentes usum.
  3. **GLANDULÆ MUCOSÆ URETHRÆ**, sitæ in substantia spongiosa urethræ, inter ambas illius membranas; ductus earum excretorii in membranam internam patent, succum mucilaginosum illuc deferentes.
  4. **GLANDULÆ VAGINÆ** in facie externa tunicæ internæ vaginæ sitæ sunt: duæ ex his superiori loco positæ, paulo majores *prostatæ mulierum*, aliæ vero perineum, anumque versus *glandulæ Cowperianæ* dicuntur. Ductibus excretoriis omnes instructæ sunt, membranam perforantibus, in vaginæ interiora hiantibus, mucum pariter secernentibus.




## T A B U L A VIII.

## GLANDULÆ EXTREMITATUM CORPORIS.

## I.

- G**LANDULÆ AXILLARES sunt glandulæ partim majores, partimque minores, sub axilla inter musculos pectorales, & latissimum dorsi circa, propeque vasa magna sanguifera axillaria hærentes, vasis plurimis, nervisque, a vasis, & nervis subaxillaribus oriundis instructæ.
2. **GLANDULÆ INGUINALES** sunt glandulæ jam majores, jam minores in regione inguinali, subinde paulo etiam magis inferiora versus, circa, & prope vasa cruralia dispositæ; a quibus quoque vasa sua, nervosque adquirunt: usus harum, & præcedentium nondum statumatus est.
3. **GLANDULÆ MUCILAGINOSÆ ARTICULARES, seu HAVERSIANÆ.** Sunt glandulæ, inter plures ossium articulationes reperiundæ, mollissimæ, succum mucilaginosum, seu sic dictum *linimentum* pro lubricandis articulationibus secernentes. Ab inventore CLOPTON HAVERS Anglo, ita fuerunt nominatæ.



## T A B U L A IX.

GLANDULÆ CUTIS, seu GLANDULÆ  
CUTANEÆ.

**G**LANDULÆ CUTANEÆ, SUBCUTANEÆ, SEBACEÆ CUTIS glandulæ sunt minimæ, in superficie cutis interna reperiendæ, vasis instructæ hæmatophoris, nervis, & ductibus excretoriis; qui ultimi cutim perforant, in epidermide hiantes, roremque pinguem, lubricum secernentes. Glandulæ hæ ab aliquibus prorsum revocantur in dubium.


*Finis Tabularum Adenologicarum.*



# I N D E X

## TABULARUM ADENOLOGI- CARUM.

<b>TABULA I.</b>	<b>Glandulæ in genere.</b>	<b>pag.</b>	<b>318</b>
II.	— capitis.		314
III.	— colli.		318
IV.	— thoracis.		319
V.	— abdominis.		320
VI.	— partium genitalium virilium.		322
VII.	— partium genitalium muliebrum.		324
VIII.	— Extremitatum cor- poris.		325
IX.	— cutis, seu cuta- nea.		325



T A B U L Æ  
N E V R O L O G I -  
C Æ.



# TABULÆ NEVROLO- GICÆ.



## T A B U L A I.

### NERVI CORPORIS HUMANI IN GE- NERE.

**D**e NERVIS in genere notanda veniunt se-  
quentia :

1. **DESCRIPTIO.** NERVUS est fasciculus canaliculorum exiguorum, cavorum alborum, cylindricorum, universim tela cellulosa tenui, subtilique invicem nexorum, membranosaque demum vagina involutorum.
2. **ORTUS.** Nervi omnes corporis humani oriuntur vel ex cerebro, vel ex cerebello vel ex medulla oblongata, vel demum ex medulla spinali. Quum vero medulla oblongata oriatur ex unione canaliculorum medullarium cerebri, & cerebelli, medullaque spinalis continuatio, seu productio sit medullæ oblongatæ, hinc omnium omnino corporis nervorum prima origo tum ex cerebro, tum ex cerebello proficiscitur.

3. **STRUCTURA.** Nervi ad exortum suum canaliculi sunt meri medullares. Nectuntur autem illico per substantiam cellulofam inter sese invicem, amiciuntur productione piæ matris, & in unum colliguntur fasciculum. Hijam fasciculi foramina cranii, rachidisque transeunt; dura matre externe maximam partem obtecti. Inter canaliculos medullares plurimorum nervorum hærent etiam vasa multa exigua hæmatophora, per cellulofam substantiam hinc inde reptitantes.

4. **DIVISIO.** Nervi universim dividuntur in binas classes; prima quidem continentur nervi immediate ex cerebro, cerebello, & medulla oblongata oriundi, foramina cranii transeuntes, *nervi eskephatici* dicti. Ad alteram classem referuntur nervi enati ex medulla spinali, transeuntes per foramina lateralia rachidis.

Ad primam classem referuntur nervi sequentes:

1. 2. Nervi olfactorii.

2. 2. N. optici.

3. 2. N. oculorum motorii.

4. 2. N. pathetici, seu trochleatores.

5. 2. N. trigemini.

6. 2. N. auditorii.

7. 2. Nervi vagi.

8. 2. N. linguales.

9. 2. N. infraccipitales. ( Adcensentur hi etiam nervis cervicalibus, quum primum horum par exhibeant )

Queis adhuc

10. 2. N. intercostales magni adnumerantur.

Ad secundam classem spectant:

1. 7. paria nervorum cervicis, seu colli, quæ *nervi cervicales*, seu *intervertebrales colli* dicuntur; ad hos etiam referendi veniunt *nervi*

*diaphragmatici*, seu *phrenici*, seu *nervi accessorii*.

2. 12. paria nervorum dorſi, qui *nervi dorſales*, seu *coſtales*, seu *intervertebrales dorſi* audiunt.
3. 5. paria nervorum lumborum, quos *nervos lumbares*, seu *intervertebrales lumborum* vocant.

4. 5—6 paria nervorum offis ſacri, qui *nervi ſacrales*, seu *offis ſacri* adpellantur.

5. **GANGLIA NERVORUM.** Oriuntur hæc *ganglia*, seu *internodia nervorum*, ſi filamenta quædam nervea ſingulari ratione inter ſeſe intertexantur, fibris membranaceis, aut, uti nonnulli malunt, muscularibus cincta, multisque vasis exiguis ſanguiferis prædita; unde rubrum *ganglia* obſerunt colorem. Distinguuntur nervorum *ganglia* ab ita dictis *plexibus nervosis*; qui *plexus* meræ ſunt adunationes fibrillarum multarum nervearum, ſingulari etiam modo inter ſeſe intricatarum, quas inter nulla tamen intercurreunt vafa ſanguifera. Si his *plexibus ganglia* intercipiuntur, *plexus* dicuntur *gangliſformes*.

6. **NERVORUM DISTRIBUTIONES.** Nervi plerique per muſculos (*vide Tab. I. myologicam*) multi tamen per cutim etiam, per viſcera, per membranas, perque vafa corporis distribuuntur.

7. **NERVORUM DOTES:** & quidem

- a. Adſeverant nonnulli fibrillas omnes nerveas etiam minimas, licet molliffimas, ſubtiliffimasque, dote gaudere ſeſe contrahendi; ex quo etiam capite morbos nervorum varios, v. c. catalepfim, ecſtaſim &c, explicare nituntur.

- b. Dicunt alii, decurrere nervos medullæ oblongatæ ex uno latere in aliud, adeo ut nervi lateris dextri orientur ex medullæ oblongatæ latere sinistro, e. s. p; exponunt inde v. c. cur adsit paralyfis lateris sinistri, dum medullæ oblongatæ, vel & ipsius enkephali in latere dextro adest læsio.
- c. Alii demum autumant, nervos esse instrumenta, quorum ope corporis perficitur nutritio, nervosum fluidum materiem esse nutritioni dicatam; & sic porro.
8. **USUS NERVORUM.** Nervorum corporis humani in eo consistit usus, ut producant in eo sensationem, motumque musculorum. Distingui solent ex hoc capite nervi in nervos sensationi, nervosque motui dicatos, quæ quidem distinctio fundamento non caret. Constitit enim per experientiam, nervos quosdam soli inservire sensationi; alios autem præter sensilitatem, qua gaudent, motum etiam producere in illis musculis, in quibus distribuuntur. Sensatio quævis nervorum fit ope; motus etiam omnis muscularis ratio hæret in nervis: musculus enim non movetur, dum nervus in illum decurrens comprimitur, aut ex integro disseccatur. Discidit BELLINUS in animante nervum diaphragmaticum, & discisso hoc periit motus omnis diaphragmatis. An vero nervi motus simul & forent nervi sensus? Ego quidem rem sic se habere adsevero. Sed, an eadem foret ratio propositionis inversæ? Id quidem adserere hactenus non ausim. Interim tamen, quis dixerit, an non omnes nervi sensus eadem plane ratione, uti reliqui, forent apti nati producendis motibus, dummodo eorum ramificationes spargerentur per



musculos. Hactenus quidem rationem non video, cur suspicari deberemus obpositum.

Dilucidationem autem quæsitæ: an præter nervos sensus, nervosque motus tertia adhuc in corpore adsit nervorum species, in visceribus quibusdam laticem fors determinatum secernentium, illis relinquo, qui physiologica imprimis disciplina delectantur.

## T A B U L A II.

### NERVI OLFACITORII, NERVIQUE OPTICI.

#### I.

**N**ERVI OLFACITORII *primum par nervorum encephali* constituunt. Oriuntur fibris medullaribus ex basi corporum striatorum, inter lobos encephali anteriores, & medios. Excurrunt hinc recta antrosum, fibris quibusdam medullaribus, ab anterioribus encephali lobis enatis, aucti. Filamentorum dein medullarium, molliumque sub specie ad os ethmoideum feruntur, cujus laminae cribrosas penetrant, pia, & uti Auctores quidam adserant, dura meninge obteçti, distribuuntur tandem filamentis plurimis in membrana pituitaria narium, ubi cum ramis quibusdam nervi orbitalis, nervique maxillaris superioris per anastomosis junguntur.

## II.

**NERVI OPTICI** exhibent *par nervorum em-  
kepbali secundum*. Oriuntur e thalamis nervorum  
opticorum, quorum continuationes, seu produ-  
ctiones sunt. Exhinc decurrunt paulo versus  
exteriora, secundum basin cranii descendentes;  
ante infundibulum autem arte invicem uniuntur;  
foramina tum transeunt optica, in orbitis exticissa,  
ubi a pia, duraque meninge nunc amiciuntur.  
In orbita, antequam ad bulbum ipsum oculi per-  
veniant, nonnihil inflexi sunt, pinguedini inhæ-  
rentes multæ: bulbo demum oculi, ex postica  
parte, versus nares inseruntur, intra quem per  
*papillam* parvam finiuntur, circa quam exigua *fi-  
veola*, multaque vasa hæmatophora, ab arteria  
optica enata, occurrunt.

Dicunt nonnulli, tunicas bulbi oculi a tu-  
nicis nervi optici exoriri, usi hac demonstra-  
tione: quamprimum nervus opticus per foramen  
opticum orbitam ingressus est, lamina format ex-  
terna duræ meningis periorbitam, seu periosteon  
orbitam investiens, lamina autem interna tuni-  
cam scleroticam. Meninx insuper pia nervi op-  
tici format tunicam vasculosam, seu choroideam;  
fibæ demum medullares nervi hujus ipsius for-  
mant primo papillam, ex qua dein tunica retina  
evascitur.

## T A B U L A III.

## NERVI OCULORUM MOTORII ; NERVIQUE PATETHICI, seu TROCHLEATORES.

## I.

**N**ERVI OCULORUM MOTORII *par* faciunt *nervorum encephali tertium*. Oriuntur a cruribus encephali, perforant duram meningem in partibus lateralibus apophysium clinoidearum posteriorum; secundum partem superiorem sinus cavernosi duræ meningis prope latus curvaturæ arteriæ carotidis internæ decurrunt, ad rimas sphœnoidales, seu orbitales superiores proficiscentes; exhinc demum orbitam ingrediuntur, ubi quilibet in ramos quatuor sequentes dirimitur.

a. **RAMUS SUPERIOR** distribuitur per musculum rectum superiorem; ramulum exiguum emittit, per musculum elevatorem palpebræ superioris dispersum.

b. **RAMUS INTERNUS** distribuitur per musculum rectum internum bulbi.

c. **RAMUS INFĒRIOR MINOR** decurrit supra musculum rectum inferiorem ad usque musculum obliquum inferiorem, per quem distribuitur, ingressus eundem proxime ad insertionem illius in bulbum oculi. Ex ramo inferiori majori, vel nonnunquam ex ipso tronco tertii paris oritur adhuc nervus, in

latere externo nervi optici per conjunctionem rami a ramo primo paris quinti enati *ganglion* efformans parvum, quod *ganglion* dicitur *opthalmicum*, seu *lenticulare*; a quo dein nervi plures tenerrimi, sub nomine *nervorum ciliarum* noti, oriuntur, nervum opticum ambientes, tandem vero una cum valis quibusdam parvis sanguiferis scleroticam perforantes, interque hanc ipsam, & tunicam choroideam, ad usque iridem excurrentes, ubi demum in multos subtiles ramulos dividuntur. Ab hisce nervis deducenda est eximia sensilitas iridis. Ramus unus ciliaris, sub nervo optico hærens, per anastomosi jungitur cum ramo, a nervo nasali, qui ramus rami primi paris quinti est, profecto.

## II.

**NERVI PATHETICI**, seu **TROCHLEATORES** *par quartum nervorum encephali* constituent. Oriuntur a pedunculis cerebelli anterioribus. Longi sunt, ac subtiles; penes latera medullæ oblongatæ anteriora versus excurrunt, duram meningem in extremitate anteriori tentorii cerebelli perforant, per cujus duplicaturam in latere externo tertii paris secundum partem superiorem sinus cavernosi procedunt; per rimam demum orbitalem superiorem orbitam ipsam ingrediuntur, oblique supra nervos alios & musculos decurrunt, tandemque per musculum trochleatorem, seu musculum obliquum majorem distribuuntur.

## T A B U L A IV.

## N E R V I T R I G E M I N I.

**N**ERVORUM TRIGEMINORUM sub nomine *par quintum* venit *nervorum encephali*. Oriuntur a parte laterali externa pedunculorum cerebelli mediorum. Crassi valde sunt, latique fibris compositi plurimis nerveis, pia meninge obvolutis. Quilibet horum nervorum ad duas circiter, tresve lineas oblique parum, versus apicem partis petrosæ ossis temporum progreditur, ubi duram meningem perforat, specialemque concavitatem ingreditur a laminis ambabus duræ meningis productam: ait *Cl. Winslow* proficisci ibi loci ramos exiguos a nervo trigemino in duram meningem. Dirimitur autem in illa concavitate illico in ramos tres principes, nempe unum *superiorem*, alterum *medium*, tertium *inferiorem*, procedunt hi omnes ad aliquot adhuc linearum longitudinem, tandemque per foramina cuivis propria cranii transeunt.

## I.

**RAMUS SUPERIOR** *nervus ophthalmicus WILLISII*, seu *nervus orbitalis WINSLOWI* adpellatur. Ramorum trium principum tenuissimus, sed simul longissimus est. Concavitatem egressus, prope latus externum sinus cavernosi anteriora versus progreditur, per fissuram sphœ-

oidalem orbitam intrat, ubi primum dura meninge obtegitur, & sub ipsum ingressum in orbitam in ramos tres dirimitur; nimirum 1) in *superiorem*, qui *nervus frontalis*, seu *superciliaris* audit, 2) in *internum*, quem *nervum nasalem* dicunt; 3) in *externum*, qui *nervus lacrymatis* adpellatur. Distribuuntur hi tres rami sequenti ratione:

**A.** *Nervus frontalis*, seu *superciliaris*, ramus superior nervi orbitalis inter omnes tres est robustissimus. Per totam partem superiorem orbitæ procedit, ubi periostio orbitæ arcte adhæret. Prope marginem superciliarum nascitur ramus ex nervo hoc frontali, versus canthum oculi internum, supra pinguedinem hujus excurrentem. Proficiscitur & ramus hic ad trochleam muscoli obliqui superioris, quam nonnunquam transiens, sæpius tamen eandem nonnisi supercandens, orbitam egreditur, a quibusdam Auctoribus *nervus supratrochlearis* dictus. Orbitam nunc egressus, illico emittit ramum, inferiora versus cum ramis quibusdam nervi nasalis nexum, *nervus infratrochlearis* adpellatum. Oriuntur insuper a nervo supratrochleari alii ramuli, tum per faciem internam palpebræ superioris, tum per musculos superciliarum, frontisque, tum per cutim ipsam dispersi.

**E**missio, in orbita, nervo supratrochleari, *nervus frontalis* per foramen orbitale superius orbitam egreditur, faciei externæ palpebræ superioris illico nervulos quosdam subpeditat: cæterum in ramos plurimos dirimitur. Dividuntur hi in ramos *superficiales*, & *profundos*. Illi sparguntur per cutim; qui ad canthum feruntur oculorum externum, per anastomosis cum ramis quibusdam nervi duri junguntur.

tur. *Hi* vero disperguntur in musculis frontis, & superciliarum, pauci & in pericranio.

**B.** *Nervus lacrymalis*, ramus *externus* nervi orbitalis secundum longitudinem faciei externæ orbitæ, stipatus arteria, ad glandulam lacrymalem, seu innominatam fertur.

Priusquam autem illuc perveniat, oriuntur nonnunquam ex eo ramuli bini, vel & unus, foramina ossis zygomatici transeuntes, cum ramo rami secundi paris quinti per anastomosis juncti. Truncus nervi lacrymalis quamplurimis ramulis per glandulam innominatam spargitur; ramuli quidam tunicam oculi adnatam, faciemque internam palpebræ superioris adeunt.

**C.** *Nervus nasalis*, ramus tertius, *interior* nervi orbitalis progreditur in latere interno orbitæ, ramulum illico emittens, qui una cum ramo tertii paris *ganglion lenticulare* format, (*V. Tab. III. No. 1.*) Truncus ipse aliquot adhuc lineis canthum oculi internum propius accedit, ac in regione foraminis orbitalis inferioris ramulum unum (nonnunquam duos) dimittit, qui dictum foramen transit, prope sinum frontalem secundum cellulas ethmoidales ascendit, ac per foramen laminæ cribrosæ cranium ingreditur. Vix tamen hoc ipsum ingressus, per foramen aliud dictæ nunc cribrosæ laminæ ad nares denuo fertur, per membranam pituitariam, septum narium anterius investientem, expansus; ramulique subinde aliqui accedunt etiam membranam pituitariam, sinus frontales obtegentem.

Dimissio & hoc ramo nervus nasalis tandem prope musculum trochleatorem ad canthum decurrit oculi internum, ubi non procul a trochlea, & sub ea ipsa plerumque in ramulos duos separatur. Unus ex his alios denuo minores progignit ramulos, ramo nervi supratrochlearis unitos, partimque per faciem internam palpebræ superioris, partim per cutim frontis dispersos. Alter carunculæ lacrymali, sacco lacrymali, partique inferiori musculi frontalis ramos suos subpeditat.

## II.

**RAMUS PRINCEPS MEDIUS** pars quinti nervorum encephali *nervus maxillaris superior* salutatur. Crassior aliquantum est ramo primo, tenuior tamen tertio. Derelicto trunco in hujus concavitate recta antrosum fertur, & per foramen rotundum ossis sphænoidei ex cranio emergit. Id nunc egressus ramum generat, quem *nervum subcutaneum malæ* dicunt. Intrat hic, per fissuram sphæno-maxillarem, orbitam, in cujus latere externo antrosum versus medium ossis jugalis proficiscitur. Jungitur ibi loci per anastomosis cum ramo nervi lacrymalis; unde unus, subinde vero duo minores ramuli nervei exoriuntur, qui foramina minora, in orbitæ parte externa inter os malæ & partem orbitariam ossis sphænoïdalis posita transeunt, foveam temporalem ingrediuntur, ibique loci cum ramulo minori, a nervo temporali, qui ramus est rami tertii paris quinti, enato, per anastomosis junguntur.



Truncus nervi subcutanei malæ anteriora versus, dimisso ramo hoc exteriori, magis progreditur, foramina parva superficiæ internæ ossis malæ penetrat, ac in hujus facie externa ramulis nonnullis denuo emergit, qui maximam partem per cutim os malæ obtegentem diffemiuntur; ramulis quibusdam cum ramis nervi duri per anastomosis junctis.

Rami reliqui nervi maxillaris superioris sunt sequentes :

1. Primus ex his *nervus sphæno-palatinus* adpellatur. Secedit illico in ramos duos, unum *recurrentem*, alterum *descendentem*.
- a. *Ramus recurrens* vocatur *nervus pterygoideus recurrens*, quum recurat, & canalem pterygoideum transeat. Nervus hic, copiosissima absconditus pinguedine transit inter regionem orbitalem ossis palati, ac radicem processus pterygoidei, prope foramen sphæno-palatinum versus canalem pterygoideum excurrentis. Spargit per hunc decursum ramulos aliquot minores, tum per foramen sphæno-palatinum intrantes partem narium superiorem, ac posteriorem, inibique dispersos *nervorum nasalium superiorum*, & *anteriorum* sub nomine; tum & per foramina parva inter partem nasalem ossis palati, & os vomeris occurrentia, in membrana potissimum pituitaria, partem posticam septi narium obducente, evanescentes, sub nomine *nervorum nasalium superiorum*, & *posteriorum*.

Sparsis ramis nunc descriptis nasalibus nervus pterygoideus recurrens canalem pterygoideum transit, ad flexuram secundam arteriæ carotidis denuo emergit, & in duos sequentes ibi loci ramos dirimitur.

- *a.* Primus *nervus petrosus* poterit adpellari. Subtilior est, ac ad angulum anteriorem partis petrosæ ossis temporum tendit, ubi in sulco speciali usque ad hiatum aquæ ductus Fallopii deducitur, cum nervo duro anastomoseos ope hic loci jungendus.
  - β.* Ramus secundus crassior aliquantum est; per orificium internum canalis carotici canalem hunc ingreditur, in quo sæpius in duos denuo ramos subdividitur, qui cum uno, duobusve ramis sexti paris nervorum encephali per anastomosis ibidem junguntur, nervumque demum producant, quem *nervum intercostalem magnum* dicunt.
  - b.* Ramus *descendens nervus palatinus* vocatur. Robustior hic nonnihil præcedente est. In fossa pterygo-palatina recta descendit, & in tres ramos abit.
    - a.* Ramus *prior* transit canalem pterygo-palatinum anteriorem; prius tamen ramulos nonnullos minores dimittit, 10. ramina parva partis nasalis ossis palati transeuntes; partem posticam, mediamque narium subeuntes; ac per membranam pituitariam, partem posteriorem ossis spongiosi inferioris investientem, sub nomine *nervorum nasalium inferiorum*, dispersos.
- Egressus ex canali suo per foramen palatinum posticum ramus anterior nervi palatini, in duos abit ramos, plurimis aliis exiguis ramusculis per velum palatinum, palatum, tubam Eustachianam, & gingivam dentium omnium posteriorum, nonnullorumque anteriorum dispersos.

β. Ramus *medius* transit canalem pterygo-palatinum posteriorem, per orificia exigua partis pterygoideæ ossis palati egreditur, ac in musculis uvulæ evanescit.

- α. Ramus *secundus* nervi maxillaris superioris *nervus alveolaris posterior* dicitur. Oritur paulo ante ingressum trunci ipsius in canalem infraorbitalem. Recto decursu inferiora versus fertur, in quosdam ramos abiens, quorum unus per foramen retro, & supra dentem ultimum molarem positum, (sæpius pro orificio canalis specialis, in sinum maxillarem hiantis, inserviens) transit, ibique cum nervis alveolaribus anterioribus per anastomosis jungitur. Ramuli alii maximam partem per foramina tuberositatis maxillaris in sinum maxillarem, exhinc vero ad radices dentium molarium posteriorum feruntur. Reliqui tandem minores ramuli intra fibras muscoli buccinatoris evanescent.
- β. Ramus *tertius* nervi maxillaris superioris *nervus infraorbitalis* dicitur. Nervus hicce pro continuatione habendus est trunci nervi maxillaris superioris. Per rimam sphæno-maxillarem orbitam, per foramen autem orbitale posterius canalem infraorbitalem intrat, eundem transit, ac per foramen orbitale anterius denuo emergit.

Intra canalem hunc ipsum decurrens nervus infraorbitalis ramulos minores fundit, foramina canalis infraorbitalis transeuntes, per radices dentium anteriorum sub nomine *nervorum alveolarium anteriorum maxilla superioris* distributos; ramus ex his cum ramo, a nervo alveolari postico nato per anastomosis jungitur.



Per foramen orbitale anterius egressus denuo ex canali, in quo delituerat, nervus infraorbitalis musculis elevatoribus labii superioris parvos largitur ramulos : truncus autem ipse in 5. aut 6. secedit ramos, partim *ascendentes*, partim *descendentes*.

Rami *ascendentes nervi* dicuntur *palpebrales inferiores* quum maximam partem per palpebram inferiorem distribuuntur ; etfi quidem & ad partem inferiorem muscoli orbicularis oculi, membranam facci lacrymalis, & carunculam lacrymalem rami quidam pertingant. Junguntur aliqui ex his ramis per anastomosi cum ramis nervi infratrochlearis, adeuntibus ramis aliis canthum oculi majorem, & cum ramis nervi duri anastomoseos interventu nexis.

Rami descendentes nervi infraorbitalis dividuntur in *internos*, & *externos ramos*. Interni ad nares feruntur, per hujus musculos, cartilagines, cutimque distributi sub nomine *nervorum nasalium superficialium*. Externi propagantur per musculos labii superioris, *nervi dicti labiales superiores*. Tres inprimis horum sunt rami :

- a. *Primus* distribuitur per musculum incisivum majorem, per partem superiorem muscoli orbicularis oris, glandulas labiales, & cutim, partes hasce omnes obtegentem. Rami nonnulli per anastomosi junguntur cum ramis nervorum nasalium superficialium.
- b. *Ramus secundus* largitur ramulos exiguos levatoribus labii superioris musculis ; multi vero alii evanescent in parte superiori, & media muscoli oris orbicularis, in musculo incisivo medio, cutique harum partium.
- c. *Tertius* illico subdividitur in ramulos minores innumeros, maximam partem in musculo orbicularis oris parte externa divisos.

Nervi

Nervi nunc descripti labiales non solum inter sese ipsos, sed & in specie cum ramis nervi duri, per faciem expansis anastomoseos cpe junguntur.

### III.

**RAMUS INFERIOR**, isque robustissimus pars quinti nervorum encephali *nervus* dicitur *maxillaris inferior*. Exit per foramen ovale ossis sphenoidi ex cranio; in duos confestim abiens ramos principes, unum *superiorem*, alterum *inferiorem*.

1. Superior ramus quatuor denuo, aut quinque alios minores illico emittit ramos, per musculos circumpositos, a quibus etiam sua adquirunt nomina, dispersos.
  - a. *Nervus massetericus*. Ramus hic est externus; præterit faciem externam musculi pterygoidei externi, prope articulationem maxillæ inferioris cum osse temporum, ubi in ligamentum articulare ramos quosdam mittit: in musculo massetere tandem evanescit.
  - b. *Nervus temporalis*. Fertur sursum ad musculus temporalem, in quo rami nervi hujus expanduntur.
  - c. *Nervus buccinatorius*. Transit hic inter musculus pterygoideum externum, & internum, cui ramos quosdam largitur, rectaque antrorsum ad musculus buccinatorem, per quem maximam partem expanditur, decurrit. Rami quidam communicant cum aliquot ramulis nervi duri.

- d. *Nervus pterygoideus*. Recto decursu fertur ad musculos pterygoideos, quibus vix non omnes ramos suos elargitur, exceptis paucis in musculo circumflexo palati evanescentibus.
2. *Ramus inferior nervi maxillaris inferioris* nil nisi trunci continuatio est. Dirimitur in ramos tres: primus vocatur *nervus maxilla inferiori proprius*; alter *nervus lingualis internus gustatorius* audit, tertium *nervum temporalem superficiale* dicunt.

a. *Nervus maxilla inferiori proprius* ramus nervi maxillaris inferioris crassior, inter musculum pterygoideum externum, & internum, magis autem inferiora versus secundum processum maxillæ condyloideum descendit; per foramen maxillare posterius proprium ossis huius canalem ingreditur; prius tamen ramum dimittit, glandulæ maxillari ramulos exiguos largientem, maxime tamen in musculo mylohyoideo, & digastrico evanescentem, *nervus mylohyoideus* dictum

*Nervus maxilla inferiori proprius* in canali decurrit, denti cuius ramulum nerveum largiens; perque foramen maxillare anterius denuo egreditur. Secedit tum prope musculum tria gularem in ramos duos, qui *nervi labiales inferiores* audiunt, & in *internum* ac *externum* dividuntur. Nervus labialis inferior externus dispergitur per musculos in facie externa maxillæ inferioris positos, ramulos quoque mittit multos in glandulas labiales, & cutim; ramuli minores per anastomosis cum ramo inferiori nervi duri junguntur. Nervus autem labialis inferior internus multis ramulis exiguis evanescit in musculo quadrato mentis,

ti, in medio muscoli orbicularis oris inferioris, cutique musculos hos eosdem obtegente.

b. *Nervus lingualis internus*, seu *gustatorius* prope musculum pterygoideum externum a nervo maxillæ inferiori proprio discedit, inferiora versus descendit, ubi non procul a musculo circumflexo palati in ramum abit recurrentem, *chorda tympani* dictum. Chorda hæc ipsa tympani prope articulationem maxillæ inferioris magis adscendit, hinc rimam in cavitate glenoidea ossis temporum incisam transit, & cavitatem tympani ingreditur. In cavitate hac transversim nervus dictus decurrit, per hunc decursum faciei posticæ tympani adhærescens. Progreditur inter crus longum incudis, & manubrium mallei; per canalem pro chorda tympani cavitatem tympani egreditur, & cum parte dura nervi auditorii jungitur.

Emissa chorda tympani nervus lingualis inter musculum pterygoideum externum, & nervum maxillæ inferiori proprium descendit, glandulam sublingualem superascendit, ibique nervulos tres, quatuorve minores emittit, in glandula maxillari evanescentes. Decurrit exhinc truncus inter musculum mylo-hyoideum, & styloglossum prope ductum Warthonianum, ad musculum Keratoglossum ramulos ipargit, cum ramulis quibusdam nervi lingualis externi per anastomofin junctos. Secedit tum in ramos multos, substantiam linguæ, imprimis vero apicem hujus ejusdem subeuntes, in membrana linguæ papillari nervea finitos.

c. *Nervus temporalis superficialis*, nervi maxillaris inferioris ramus *tertius*, & *externus*, unico duntaxat subin, duplici alias oritur principio; atque ultima quidem sub ratione ramus unus ex trunco communi nervi maxillaris, alter ex nervo maxillæ inferiori proprio exoritur. Ambo tamen rami mox invicem coeunt, unicum nonnisi nervum constituunt, inter processum condyloideum maxillæ, meatum auditorium externum, glandulamque parotidem adscendentem, in regione auris externæ, musculique temporalis in ramos aliquot secedentem, quorum nonnulli cartilaginem meatus auditorii externi transeunt, membranæ meatus hujus internæ cochæque externæ ramos largiuntur; alii vero cartilaginibus, musculisque auris externæ, ac parotidi glandulæ ramos mittunt; alii per anastomosin junguntur cum quibusdam ramis nervi duri; alii demum adscendunt, in facie externa musculi temporalis ramificationes suas expandunt, ac in cuti, cranium ibi loci obtegente evanescent.



## T A B U L A V.

## NERVI ABDUCENTES.

**N**ERVIS ABDUCENTIBUS *nervorum encephali sextum par* constituitur. Oriuntur a facie interna, postica pontis Varolii. Foram quivis antrorsum tendit, meningem duram in regione nexus apophyseos cuneiformis ossis occipitis, cum corpore ossis hujus ejusdem, & cum corpore ossis sphænoidei perforat, sinum duræ meningis cavernosum exhinc ingreditur; excurrit in sinu hoc inter faciem internam arteriæ carotidis internæ, partemque lateralem sellæ turcicæ, ubi loci ramulum parvum, subit & duos emittit, in canalem caroticum redeuntes, in eoque cum ramo pterygoideo recurrente nervum intercostalem magnum generantes. Intrat his factis truncus sexti paris per fissuram orbitalem superiorem in orbitam, in latere hujus exteriori procedit, & in musculum abducentem dispergitur.



## T A B U L A VI.

## NERVI AUDITORII.

**F**ormant NERVI AUDITORII, seu ACOUSTICI *per septimum nervorum encephali*. Principio quilibet exoritur duplici, aut, si mavis, ramis binis, quorum superior *nervus auditorius mollis*, seu *portio mollis nervi auditorii* dicitur, a parte postica, & laterali medullæ oblongatæ, tum & a ventriculo quarto ope fibrarum quarundam medullarum exoriens. Ramus alter, *nervus durus*, seu *portio dura nervi auditorii* dictus, enascitur a crure cerebelli proxime ad partem Varolii. Rami ambo arcte ad invicem coeunt, seque mutuo ad usque orificium meatus auditorii interni concomitantur. Meatum dein ingrediuntur, & ubi meatus hic in fundos binos abit, a sese denuo recedunt. Nervus mollis fundum inferiorem, nervus durus fundum superiorem intrat.

1. *Nervus auditorius mollis* in fundo inferiori in multa abit filamenta, per foramina parva ibi excissa tum in vestibulum, tum in concavitates cochleæ penetrantia. Disseminantur hæc undique per zonam laminæ spiralis, illa vero per membranam canales semicirculares, ac vestibulum vestientem.
2. *Nervus auditorius durus* foramen in fundo superiori occurrens, intrat. Foramen hoc ipsum principium est canalis, quem *aquæductum Fallopii* nominant. Versus faciem interiorem, & anteriorem partis petrosæ excurrit, hinc inter canalem semicircularem externum, ac  
foramen

foramen ovale in cavitatem pertingit tympani, cujus partem posticam ulterius emittitur, tandemque per foramen stylo-mastoideum finitur. Transiens canalem hunc nervus durus primum in facie interna, & anteriori ossis petrosi per hiatum aquæductus Fallopii cum nervo petroso communicat, qui est ramus nervi pterygoidei recurrentis, a ramo secundo paris quinti nervorum encephali enati. Tum in cavitate tympani musculo stapedis largitur ramulum; egressus demum per foramen stylo-mastoideum ex canali suo, cum chorda tympani per anastomosisi jungitur.

His peractis duos insuper parvos ramulos emittit; horum superior adscendit, in superficie postica auris externæ distribuitur, ubi & cum ramis nervi temporalis superficialis, & nervi secundi cervicalis anastomosisi jungitur. Ramus inferior largitur suos ramulos processui styloideo adfixis musculis, musculo digastrico, uti & parti superiori muscoli sterno-mastoidei.

Transit deiu nervus durus anteriora versus per substantiam glandulæ parotidis, cui ramulos multos exiguos relinquit, quorum quidam profundius demersi ramos quosdam arteriæ temporalis amplectuntur. Egressus deno glandulam parotidem nervus durus in ramos finditur binos, quorum unus superior, alter inferior est.

- a. Ramus *superior* ad tres, quatuorve lineas procurrans in septem deno octove plerumque ramos subdividitur, inter sese plexus varios efformantes, ramulisque suis innumeris tum per musculos, tum per cutim faciei oberrantes; cumque

ramis nervi subcutanei maxillæ, nervique infraorbitalis anastomosis junctos.

- b. Ramus *inferior* nervi duri sub angulo maxillæ inferioris procurrit, in multos abiens ramos, per partes omnes inferiores, & laterales faciei, tum & vicinas cunctas propinquæ asperæ arteriæ divisos, plurimisque filamentis in cuti evanescentes. Junguntur anastomoseos ope rami hi a ramo inferiori enati tum cum ramis rami superioris, tum & cum ramis nervi maxillæ inferiori proprii, nervi lingualis externi, nervique secundi cervicalis.



## T A B U L A VII.

### NERVI VAGI.

**N**ERVORUM VAGORUM sub nomine *parvorum encephali octavum* intelligitur. Oriuntur a corporibus olivaribus filamentis plurimis, dein ex utroque latere in unum truncum cœuntibus, duram matrem paulo ante foramen jugulare perforantem, tum vero, una cum nervo spinali, cui parvorum filamentorum ope cohæret, dictum foramen transeuntem. Cranium nunc egressus non solum cum nervo spinali, sed & cum nervo linguali externo, superiorique ganglio nervi intercostalis magni firmiter nexus est. Hinc inter arteriam carotidem, venamque jugularem internam

In collo descendit ; per hunc decursum tam anteriora , quam posteriora versus ramulos multos parvos spargens , in partibus vicinis evanescentes. Oriuntur præterea ex illo rami tres sequentes :

## I.

*Ramus lingualis.* Oritur hic loco paulo elatiori superne ex trunco nervi vagi : secundum latus musculi digastrici procedit , musculis mylo-hyoideis , & genio-hyoideis , uti & musculis lingualibus quamplurimos ramos largitur ; ac , filamentorum minorum ope cum ramulis quibusdam nervi lingualis externi , & interni per anastomosin jungitur.

## II.

*Ramus laryngeus superior.* Oritur hic paulo inferius ; in multos ramulos laceratus partem superiorem pharyngis , hujusque musculos adit.

## III.

*Ramus laryngeus inferior.* Oritur illico infra ramum præcedentem ; laryngem pariter , & glandulam thyroideam adit. Rami illi , qui ad laryngem feruntur , cartilagineas hujus penetrant ; cum ramis quibusdam nervi recurrentis anastomosibus nectuntur.

De reliqua parte trunci, deque ramis nervi vagi veniunt notanda sequentia :

1. Emittis ante descriptis ramis tribus nervus vagus ibi loci, ubi arteriæ subclaviæ exciuntur, thoracem ingreditur, & pone pulmones ad œsophagum fertur.
2. Nervus vagus dextri lateris arteriam præcedit subclaviam, ramumque ibi notabilem emittit, qui *nervus recurrens dexter* audit. Arteriam hic cingit subclaviam dextram, retrorsum currit, & ad usque laryngem ascendit; cui, uti & œsophago, ramulos quosdam nerveos largitur. Ad laryngem rami ejus dirimuntur; quum eorum pars musculos laryngis, pars musculos pharyngis, inprimis vero glandulam thyroideam adeant; rami etiam ex his nonnulli intra cartilagineas laryngis cum ramis nervi laryngei inferioris per anastomoses junguntur.
3. Oritur ex nervo vago finistri lateris ramus, quem *nervum recurrentem finistrum* vocant. Oritur hic paulo inferiori, quam prior, loco, ex trunco; fertur circa crassam partem trunci aortæ, subque ea; tum secundum œsophagum, & trachæam ad laryngem usque, ubi tandem, adinstar alterius dextri lateris, finitur.
4. In locis illis, ubi nervi recurrentes enascuntur, ab ambobus truncis paris vagi multi adhuc secedunt ramuli, cum ramulis nerveis, ab utrisque nervis intercostalibus magnis enatis, dein uniti, unaque in superiori latere pericardii plexum tormantes cardiacum, qui de novo ramulos multos emittit nerveos, tum in pericardio, maximam vero partem in corde, hujus auriculis, vasisque magnis sanguineis evanescentes.

5. Procedunt dein ulterius nervi vagi in facie pulmonum posteriori, lobo eorundem cuiusvis plures largiuntur ramulos ab accessu ramulorum quorundam nervi intercostalis magni auctos. Rami hi omnes ad exortum bronchiorum decursu decussato supra sese invicem feruntur, *plexusque* ibi loci efformant *pulmonales*, a quibus multi denuo enascuntur rami, per ramos bronchiorum, eorumque vesiculas quaquavorsum dispersi.
6. Præter ramos nunc expositos, ex quibus *plexus* formantur, secedunt varii adhuc minores rami a truncis, in pericardio, mediastino, œsophago, tunicisque arteriæ magnæ, & pulmonalis evanescentes.
7. Singulari exin ratione truncorum amborum paris vagi mutatur decursus. Truncus etenim lateris dextri secundum faciem posticam œsophagi, truncus vero sinistri lateris secundum faciem illius anteriorem inferiora versus descendit. Per hunc decursum ambo trunci canali huic alimentari plurimos concedunt furculos nerveos, varia ratione sese invicem decussantes, constituentes *plexus œsophageos*, anastomosiū ope ubique invicem nexos.
8. Dum rami descripti bini paris vagi ad usque diaphragma pervenerunt, una cum œsophago illud transeunt, *nervi que stomachici* dicuntur. *Nervus stomachicus sinister*, qui anteriorem locum occupat, minorque est, per faciem superiorem ventriculi, *dexter* loco posteriori positus, per faciem illius inferiorem distribuitur; omentum etiam inde ramulos exiguos acquirit.

9. Amborum horum truncorum diversi rami in utraque ventriculi facie invicem uniuntur; imprimis vero unio hæc in orificio ventriculi sinistro, & secundum arcum minorem usque ad orificium ventriculi dextrum obtinet; ubi *plexum* producut *coronario-stomachicum*.
10. Finiuntur tandem nervi stomachici, dum varia ratione cum ramis nervi intercostalis magni uniuntur, cumque iisdem *plexum hepaticum, splenicum, splanchnicum, renalem &c.* formant.

## T A B U L A VIII.

### NERVI LINGUALES EXTERNI.

**N**ERVI LINGUALES EXTERNI, seu LINGUÆ MOTORII *par nonum nervorum encephali* constituunt. Oritur quivis a corporibus olivariis ope filamentorum duorum, quæ tamen illico coeunt, & ex utroque latere truncum generant, per foramen condyloideum antè ex cranio denuo exeuntem. Nervus hic lingualis externus, cranium hinc egressus, inter nervum vagum, quem sæpius cingit, & ganglion cervicale superius nervi intercostalis magni descendit; inter venam jugularem internam, & arteriam carotidem procedit ad usque angulum maxillæ inferioris, ubi interiora versus flectitur; in musculis linguæ demum disparet. Enascuntur per hunc *q*ue *cursum* ex eo rami sequentes:



1. Jam sub initium discedunt ab eo minores ramuli, tam cum ramis nervi cervicalis primi, quam cum nervo vago, uti & cum ganglio cervicali superiori nervi intercostalis magni anastomosium ope juncti.
2. Inferiori magis loco nascitur ramus descendens, per ramulos parvos cum ramis nervi secundi & tertii cervicalis junctus, muscolum omo-hyoideum, & sterno-hyoideum superans, musculis laryngis ramos quosdam largiens, cum ramis inferioribus nervi duri anastomosibus nexus, inter laryngem, & claviculam thoracem ingrediens, in pericardii parte superiori finitus.
3. Sub ipso maxillæ inferioris angulo anteriora versus terminatur nervus lingualis externus ramis multis, quorum nonnulli musculos linguales subeunt, alii cum ramis quibusdam nervi lingualis interni uniuntur, qui demum pari ratione musculis linguæ infiguntur.

---

## T A B U L A IX.

### NERVI INFRAOCCIPITALES.

**N**ERVOS INFRAOCCIPITALES *par nervorum encephali decimum nominare solent.* Oriuntur anteriora versus ex inferiori extremitate corporum pyramidalium medullæ oblongatæ quibusdam filamentis, quæ, antequam duram encephali meningem perforent, cum filamentis aliquot paris primi cervicalis nectuntur. Producent tum ex  
utroque

utroque latere truncum, e regione ortus sui per foramen id ipsum duræ meningis, per quod arteria vertebralis cranium intrat, transeuntem; dein vero in sinu, sub apophysi oblique adscendente atlantis posito, & sub arteria vertebrali, sinui huic inhærente, exteriora versus decurrentem. Sinum dictum egressus truncus ganglion format parvum; parvos etiam ramos spargit in musculis capitis rectis, & obliquis evanescentes; ramus interdum per foramina transversalia prope vasa hæmatophora colli descendit, in canalem hunc finitus. Truncus vero ipse nervi infraoccipitalis paulo magis anteriora versus fertur, & per unionem, quam cum ramo nervi cervicalis primi init, arcum efformat. Oriuntur ex arcu hoc eodem:

1. Ramuli quidam exigui, cum supremo ganglio nervi intercostalis magni uniti.
2. Ramus aliquanto major; qui per anastomosis cum ramo nervi primi cervicalis augetur, & *nervus occipitalis* dicitur. Adscendit hic in parte capitis postica, finibus ultimis per musculum occipitalem, partemque lateralem expansionis musculi huius aponevroticæ dispersus.
3. Rami nervi infraoccipitalis reliqui pariter in musculo occipitali evanescent.



## T A B U L A X.

### NERVI INTERCOSTALES MAGNI.

**N**ERVI INTERCOSTALES, seu CONSENSUALES, seu SYMPATHICI MAGNI oriuntur tum a pari sexto nervorum encephali, tum a ramo secundo paris quinti. De hisce notanda veniunt sequentia :

1. Canales caroticos transeunt, secundum longitudinem vertebrarum celi, dorsi & lumborum in pelvis usque, ubi & finiuntur, descendunt.
2. Situm obtinent per hunc decursum ad partes laterales corporum vertebrarum, ubi harum incipiunt processus transversi, uniuntur cum nervis diversis aliis, uti & cum gangliis omnibus nervorum vertebrarum, quibus accessionibus aucti majora formant ganglia.
3. Ganglion primum, & summum gangliorum nervorum intercostalium *ganglion* dicitur *cervicale superius*. In quovis latere colli, anteriori loco ad apophysin transversam vertebræ colli primæ & secundæ situm est unum. Conjungitur id ope ramulorum minorum cum nervo linguæ externo, cum intraoccipitali, cum vago, uti & cum primo, secundo, nonnumquam simul cum tertio  
nervo

nervo cervicali; pharyngi, musculis quibusdam vicinis largitur ramos.

4. Finitur tum ganglion cervicale superius inferiora versus in nervum sat tenuem, ex quo mox enascitur ramus alius, qui *nervus cardiacus nervi intercostalis* poterit adpellari. Ramus hic in thoracem descendit, inter trachæam, arteriamque magnam progreditur, & ramulis aliquot minoribus tum in auricula dextra, tum in facie postica cordis, & arteriæ magnæ principio dispergitur. Ramuli nonnulli per anastomosis cohærent cum plexu cardiaco nervi vagi.
5. Hisce factis truncus nervi intercostalis anteriora versus secundum musculos ad vertebrae colli positos, quibus & ramos parvos largitur, descendit; per hunc decursum cum nervo cervicali tertio, quarto, & quinto per minores furculos communicat, qui, ubi uniuntur, parva efformant ganglia, in multis tamen subjectis vix conspicua. Comitantur decurrentem per collum nervum intercostalem nervus vagus, & arteria carotis; quibuscum ope expansionis membranaceæ cohæret, & ad vertebrae usque ultimam colli decurrit.
6. Dum ad vertebrae colli ultimam truncus nervi intercostalis pervenit, ganglion format secundum, *cervicale inferius* dictum.
7. Tum truncus ab interioribus extrorsum versus capitulum majus costæ primæ retro arteriam subclaviam decurrit, producens ibi ganglion, *thoracicum*, seu *dorsale magnum distum*.
8. Ganglia hæc bina sat sibi propinqua sunt, & portione solum trunci, brevissima, subin tamen duplici, ab invicem separantur. Uniuntur


untur etiam inter sese ramulis parvis a nervo cervicali sexto, & septimo enatis, ganglion præterea thoracicum cum ramo nervi primi dorsalis unitur.

9. Ganglion cervicale inferius, uti & subin ganglion thoracicum ramulos parvos dimittit, cum iisdem ramis lateris obpositi, & cum aliis a nervo vago unitos, ad augendum plexum cardiacum concurrentibus, unitos. Oriuntur etiam minores ramuli ex truncis ambobus intercostalibus, in plexu pulmonali evanescantibus.
10. Initio a ganglio thoracico sumto, nervus quivis intercostalis in thorace magis inferiora versus descendit, ad latus corporum vertebrarum, ubi hæc cum costis articulantur, decurrens. Inter costam quavis ganglion format, quod a quolibet nervo dorsali nervos duos minores indispicitur; ramuli exiæ parvi in pleuram præciscuntur.
11. Dum ad sextam circiter costam superiorem nervus pervenit intercostalis, exoriuntur ex eo quatuor, quinqueve rami, oblique anteriorum tendentes, simul in unum truncum coeuntes, qui *nervus intercostalis anterior* dicitur, ut a trunco discernatur nervi propriæ talis intercostalis, secundum vertebrae dorsæ, & lumborum descendens, *nervus intercostalis posterior* dicti.
12. *Nervus intercostalis anterior* posteriori loco per diaphragma transit, cui ramum parvum largitur, cum ramo nervi phrenici ibidem junctum. Abdomen nunc ingressus illico post renem succenturiatum plexum format gangliformem, inæqualem, oblongum, inflexum, *ganglion semilunare* dictum; facies hujus convexa oblique posteriora, & inte-

riora, concava vero anteriora, & superiora  
versus respicit.

13. Oriuntur ex ganglio hoc eodem rami innumeri, per partes abdominales dispersi. Nervus intercostalis anterior dexter jungitur cum sinistro retro ventriculum supra arteriam cœliacam. Arteria hæc ipsa cœliaca multos inde acquirit nervos, textu suo plexum formantes, quem *plexum cœliacum* vocant.
14. *Ganglion semilunare dextrum* ope unionis cum ramis quibusdam plexus cœliaci, & stomachici plexum singularem excitat, qui *plexus hepaticus* vocatur. Fertur hic ad hepar, arteriam ambit hepaticam, & venæ portæ truncum vagina quasi reticulari, cumque his per omne hepar excurrit. Plexus hic cystidii felleæ, poris biliaris, intestino duodeno, & pancreati multos nervos largitur.
15. *Ganglion semilunare sinistrum* una cum ramis quibusdam, a plexu cœliaco, & stomachico enatis *plexum* format *splenicum*, ad lienem decurrentem, arteriam splenicam vagina quasi reticulari pariter cingentem, una cum ramis arteriæ hujus in substantia splenis evanescentem; pancreati etiam parvos ramulos largientem.
16. *Ganglion* quodvis semilunare in facie sua convexa ramos quosdam dimittit, cum ramis aliquot, a plexu stomachico, primisque gangliis lumbaribus provenientiibus, unitos, *plexumque renalem* generantes. Plexus hic renalis arteriam renalem ambit, per totam renum substantiam eandem cum ramis suis comitatur; reni succenturiato ramulos quosdam concedit. Oriuntur præterea unus, duove minores ramuli ex eodem plexu, per superiorem partem vasorum spermaticorum, & sanguiferorum dispersi.

17. Plexus renalis sinister per filamenta nonnulla cum plexu splenico, plexus vero renalis dexter cum plexu hepatico unitur. Oriuntur ex utrisque minores etiam ramuli, cum plexu mesaraico superiori per anastomoses nexi.
18. A gangliis ambobus semilunaribus oriuntur denique filamenta adhuc quædam nervea, inter sese invicem texta, et utique hujus, & accessionis ramorum quorundam plexus hepatici, & renalis dextri ope plexum illum producentia, qui plexus vocatur *mesaraicus superior*.
19. Proficiscuntur ex plexu hoc ipso pluri nervi anteriora versus, per mesocolon, partemque superiorem mesenterii radiatim expansi. Multi præterea rami ex eo enati arteriam mesentericam superiorem amplectuntur, vaginam circa illam formantes nerveo-reticularem, in qua rami omnes dictæ arteriæ ad intestina usque circum circa comprehenduntur. Excurrunt ab his nervis nonnulli ad glandulas mesentericas.
20. Feruntur ulterius ramuli multi nervei ex plexu mesaraico superiori prope hujus exitum interiora versus; secundum arteriam magnam ad arteriam mesaraicam inferiorem decursuri. Textuntur hi inter sese invicem; circa arteriam mesaraicam inferiorem vaginam denuo generantes nerveo-reticularem, arteriam illam una cum ramis suis ratione antea dicta ad intestina usque ambientem. Plexus hic *mesaraicus inferior* audit.
21. Rami nervei ab arteria mesaraica superiori ad inferiorem decurrentes *nervi mesaraici posteriores* vocantur. Rami in hos proficiscuntur communicatorii a plexibus renalibus. &



a truncis nervorum intercostalium posteriorum, qui siquidem a gangliis lumbaribus oblique deorsum feruntur. Nervi hi mesaraici posteriores ex quovis latere nervum dimittunt, vasa spermatica concomitantem.

22. Formato plexu mesaraico inferiori nervi mesaraici posteriores alios adhuc emittunt ramos, arteriam aortam supercandentes, partibus vicinis peritonæi adhærentes, & unione, quam cum nervis quibusdam, a nervis intercostalibus posterioribus enatis, ineunt, plexum formantes, qui *plexus hypogastricus* adpellatur. Secedit hic in regione vertebræ ultimæ lumborum in ganglia duo lata, ex quibus multi propullulant nervi, per partes in pelvi contentas dispersi; pleraque horum pars principium intestini recti ambiunt; secundum ductum intestini hujus descendunt; reliqui disseminantur per vesicam urinariam, uterum, hujusque partes, vesiculas seminales, prostatam, & peritoneum.
23. Rejctis nervis quatuor, quinqueve, quibus nervus intercostalis anterior formatur, sub nomine *nervi intercostalis posterioris* secundum columnam vertebrarum dorsi nervus intercostalis descendit. In regione vertebræ dorsi undecimæ accedit ad alterum lateris oppositi; partem lateralem musculi diaphragmatis interioris perforat, sicque abdomen ingreditur.
24. In abdomine nonnihil crassior fit, utpote in regione vertebrarum duarum ultimarum dorsi filamentorum quorundam a duobus ultimis nervis dorsalibus enatorum ope unitus. Decurrit tum inter musculum psoam, & musculum diaphragmatis inferiorem supra partes laterales corporum vertebrarum lumborum



rum ad faciem usque internam ossis sacri, ubi cum nervo intercostali lateris obpositi per anastomosis jungitur, speciemque quamdam arcus format. Per hunc decursum anastomosis junguntur ambo nervi intercostales ope plurimorum ramorum cum nervis lumbalibus, nervis ossis sacri, eorumque gangliis. Ex inferiori parte nervorum intercostalium posteriorum, horumque anastomosis oriuntur multi rami quorum alii per intestinum rectum, hujusque musculos, uti & per musculos penis disperguntur, alii vero sub synchondrosi pubis secundum corpora cavernosa penis decurrunt; alii demum sæpius junguntur cum nervis, quibus nervus ischiaticus producitur.

---

## T A B U L A XI.

### NERVI MEDULLÆ SPINALIS IN GENERE.

**M**EDULLÆ SPINALIS NERVI adpellantur generatim nervi illi, qui ex medulla oriuntur spinali, & ex canali medullæ hujus ejusdem per foramina lateralia, inter corpora, & apophyses transversas vertebrarum excissa, tum & per foramina faciei internæ ossis sacri transeunt. Medulla quidem spinalis non eo usque descendit, quam canalis magni vertebrarum, in facie externa ossis sacri finiti, longitudo producitur;

quum vero ex extremitate medullæ spinalis, quæ in regione vertebræ secundæ lumborum finitur, enascitur nervi *caudales* sic dicti formantes *equinam*, & ad finem usque canalis excurrentes, hinc, seu medullæ spinalis continuationibus nervi illi formantur, quos *nervi* dicunt *lumbares*, & *sacrales*.

Nervi medullæ spinalis oriuntur, uti nervi medullæ oblongatæ, per paria; ea tamen in illis obinet diversitas, quod nervi medullæ oblongatæ oriuntur ex fibris simplicibus, & iisdem, quæ ad locum egressus sui illis invicem coeunt, nervosque tum constituunt. Nervi autem medullæ spinalis oriuntur ex fibris duplicibus, diversis, quarum priores anteriorum, posteriores posteriorum ex medulla egrediuntur.

Fibræ nunc dictæ duplices ex lateribus medullæ ad sese invicem accedunt, duram meningem lateraliter perforant, quæ totidem vaginæ membranæ formantur, quot nervi ex medulla propullulant. Uniuntur tum ambæ fibrarum series, ganglion parvum efformant, ex quo tandem nervus quivis medullæ spinalis seorsim enascitur.

Nervi ex medulla spinali orti in genere *nervi* dicuntur *intervertebrales*. Nomina tum specialia acquirunt ab illis vertebris, ex quibus prodeunt. Revertuntur ad illos, [ initio ab illis sumto, qui inter primam, & secundam vertebram colli hærent ] *nervi* sequentes:

1. Septem paria ex vertebrae colli prodeuntia; *nervi cervicales*, seu *intervertebrales colli* dicta, quorum & spectant.
  - a. *Nervi Spinales*, seu *accessorii WILLISII*, &
  - b. *Nervi diaphragmatici*, seu *phrenici*.
2. Duodecim paria prodeuntia ex vertebrae dorsi, *nervi dorsales*, seu *intervertebrales dorsi* vocata.
3. Quinque paria prodeuntia ex vertebrae lumborum, *nervi lumbares*, seu *intervertebrales lumborum* adpellata.
4. Quinque vel sex paria transeuntia per foramina faciei internæ ossis sacri, *nervi sacrales* dicta.



## T A B U L A XII.

### NERVI CERVICALES, SEU INTERVERTEBRALES COLLI

**N**ERVI CERVICALES dicuntur nervi inter vertebrae colli prodeuntia; referuntur ad hos ex quovis latere septem sequentes.

1. *Nervus cervicalis primus* transit inter vertebrae colli primam, & secundam; ganglion huic est præ reliquis maximum. Ramulos quosdam dimittit, quorum interventu cum nervo intercostali magno, cum nervo infraoccipitali, & cum nervo cervicali secundo

per anastomofin jungitur. Ramus alius minor nervi cervicalis primi unitur cum nervo linguali externo, paulo vero major, crassiorque cum nervo occipitali communicat. Nervi hujus per musculos extensores capitis, & per musculum trapezium penetrantis ramificationes inter fibras musculi occipitalis, ac in parte postica musculi temporalis evanesunt.

2. *Nervus secundus cervicalis* transit inter vertebam colli secundam, & tertiam. Fibris quibusdam cum primo ganglio nervi intercostalis per inosculationem illico jungitur. Truncus ipse hujus nervi sequentes tum, emittit ramos,

a. Ramus primus communicat cum ramo nervi cervicalis primi, & tertii; hacque ratione nervum format, secundum venam jugularem internam inferiora versus descendentem, mox vero sursum retortum, ubi sub angulo maxillæ inferioris cum ramo nervi lingualis externi jungitur. Oritur ex retrorsionis arcu ramus parvus in musculo omo-hyoideo, & sterno-hyoideo, tum & in musculo sterno-hyroideo evanescens.

b. Ramus alius musculum trapezium perforat, furculos quosdam eidem largitur, cum extremo altero nequitur, finibus suis in cuti occipitis disparet.

c. Rami alii disperguntur per musculos extensores capitis, per musculos colli, & glandulas jugulares.


d. Rami alii minores per anastomofin tum cum ramo descendente nervi lingualis externi, tum cum ramo inferiori nervi duri, tum cum ramo nervi cervicalis

tertiū junguntur, quo quidem mechanifmo nervus phrenicus generatur.

3. *Nervus cervicalis tertius* tranfit inter vertebram colli tertiam, & quartam. Emittit mox ramos tres fequentes majores:
  - a. Horum prior per anafomofin cohæret cum uervo intercoftali magno.
  - b. Superior unitur cum ramo nervi cervicalis fecundi, & quarti: nervi hi focil formant originem *nervi diapbragmatici*, feu *phrenici*. Ramus inde enatus anafomofin nectitur cum trunco nervi quarti cervicalis, ad formandos nervos brachiales concurret.
  - c. Ramus posterior filamenta fua emittit in glandulas jugulares, in mufculum trapezium, in fuprafpinatum, in peftoralem majorem, in fubclavium, & in cutim partem lateralem, & inferiorem colli, fupernamque brachii obtegentem. Ramulus rami illius, qui per mufculum trapezium propagatur, cum furculo nervi accelforii, feu fpinalis per anafomofin jungitur.
4. *Nervi quatuor cervicales* infimi, poftremi, prodeunt inter mufculum scalenum anticum, & pofticum; tribus primis craffiores funt; coeunt invicem, ac cum ramo nervi cervicalis tertii, ramoque alio nervi dorfalis primi *plexum* efformant, ex quo nervi fex magni oriuntur, quos *nervos brachiales* dicunt.

Præter ramos nunc expoſitos oriuntur a nervis ultimis cervicalibus rami adhuc nonnulli alii; nimirum:

- a. A nervo cervicali quarto, quinto, & sexto abscedunt ramuli minores, cum nervo intercostali magno uniti.
- b. A quarto duo alii insuper abscedunt rami, quorum unus per musculos scalenos, per musculum patientiæ, & per trapezium dispergitur; alter vero,isque major transit per incisuram minorem marginis superioris scapulæ, in musculo supraspinato, infraspinato, & rotundo minori evanescit.
- c. Emittere & nervus cervicalis ramos duos, qui cum ramis duobus nervi cervicalis sexti junguntur, nervosque duos efformant speciales; horum unus proprius est musculo scaleno anteriori, musculo pectorali majori, ac integumentis incumbentibus communibus externis. Alter decurrit inter musculum pectoralem majorem & minorem; evanescit in musculo serrato antico majori, in subscapulari, in latissimo dorsi, & in integumentis illarum partium communibus externis.



## T A B U L A XIII.

NERVI SPINALES, ET DIAPHRAG-  
MATICI.

## I.

**N**ervi *spinales*, quos & *nervos accessorios paris vagi* dicunt, oriuntur a fibris nerveis posterioribus nervi cervicalis quarti, & quinti ope nervorum exiguorum, qui ex utroque latere medullæ spinalis adscendunt, accessu fibrarum quarundam nervearum, tum a fibris posterioribus nervorum primorum cervicalium, tum a nervis infraoccipitalibus, tum & a medulla oblongata orientium, insigniter aucti, truncum ex utroque latere constituunt. Nervi cujusvis spinalis truncus per foramen occipitale magnum cranium intrat, ad foramen flexitur jugulare, & prope nervum vagum, quocum fibris quibusdam nexus est, per foramen nunc dictum ex cranio denuo egreditur. Cranium sic egressus, a nervo vago discedit, per fibras muscoli sterno-mastoidei, cui etiam furculos largitur, transit, musculum patientiæ super-scandit, ope rami lateraliter emissi cum ramo nervi cervicalis tertii communicat, musculum tandem intrat trapezium, interque hujus ejusdem fibras evanescit.

## II.

*Nervi Diaphragmatici, seu phrenici* duo sunt; ex utroque latere hæret unus. Oritur quivis ramis tribus, a nervo cervicali secundo, tertio, & quarto enatis. Coeunt rami nunc expositi in truncum, inter extremitatem anteriorem claviculæ, & arteriam subclaviam thoracem intrantem. Sub ingressum augetur truncus hic ramo a nervo primo dorsali profecto; alterius autem rami interventu cum nervo intercostali magno per anastomosis jungitur. Descendit nunc secundum latus pericardii, deorsum profectus posteriora versus nonnihil flectitur, & in musculo diaphragmatis superiori expanditur; ramos quosdam in musculum diaphragmatis interiorum mittit. Nervus diaphragmaticus sinister posteriori magis loco secundum longitudinem pericardii descendit: dextro, nonnihil longior est.



## T A B U L A XIV.

## NERVI BRACHIALES.

**N***ervi brachiales* dicuntur nervi ex utroque latere a nervis quatuor cervicalibus ultimis, nervoque dorsali primo orti, ramis suis per extremitates superiores dispersi.

Formant nervi hi in interstitio inter claviculam, & scapulam hærente *plexum*, vagina membranosa cinctum. Prodeunt ex plexu hoc eodem rami sex principes; qui nervi ipsi brachiales sunt. *Ætæter* hos vero sex ramos enascuntur ex dicto, ple.



plexu ramuli insuper minores, in musculo rotundo majori, & minori, in parte superiori musculi ferrati antici majoris, in glandulis axillaribus, ac in cute, partes dictas obtegente, demum disparentes.

Quilibet vero nervorum brachialium speciali suo insignitur nomine; nimirum:

## I,

*Primus dicitur nervus cutaneus externus.* Recto decursu secundum musculi coraco-brachialis ductum fertur, musculum hunc a superioribus inferiora versus oblique perforat ramulos quosdam eidem largitur. Progreditur dein musculum bicipitem inter, & brachium internum, qui denuo ramulos ab hoc nervo adquirunt, ad flexuram brachii, exhinc vero in latere antibrachii externo ad pollicem; abscedentes per hunc decursum ramuli evanescent in cuti harum partium; inferiori loco cum ramo nervi radialis anastomosi jungitur.

## II,

*Secundus vocatur nervus cutaneus internus.* Excurrit secundum latus internum humeri inter cutim, & musculos inferiora versus, loco vero superiori in duos minores abscedit ramos, qui ad condylum usque humeri internum sibi vicinissimi sunt. Fertur dein ramus anterior inter musculum palmarem longum, radium internum; cutinique suprapositam deorsum, palmam subit, & in cuti palmam regente evanescit. Ramus posterior descendit secundum faciem internam antibrachii inter cutim, tegentem musculum cubitalem internum  
pro-

proximumque cubitum; evanescit in cute ad usque digitum minimum productus.

### III.

*Tertius* audit *nervus medianus*. Descendit hic prope arteriam brachialem secundum latus internum musculi bicipitis usque ad flexuram cubiti; exhinc inter musculum brachæum internum, & pronatorem rotundum progreditur; descendit ulterius inter musculum sublimem, & profundum in antebrachio; sub ligamento cerpi interno palmam ingreditur, hincque loci cum nervo cubitæo per anastomosin iungitur, & in ramos multos discedit. Duo ex his intrant musculum thenarem, & hypothenarem, rami reliqui serpunt per pollicem, digitum indicem, & medium; nonnulli sulculi ad annularem ablegantur digitum. Vocantur rami nunc dist. *nervi digitales*; excurrunt in lateribus digitorum nunc enumeratorum ad extremos usque horum apices; per hunc decursum insigniter prospiciunt cuti, tendinibus, ac ligamentis; ramuli plurimi inmerguntur omnibus musculis prope quos, & per quos nervus medianus deorsum fertur. Dum nervus hic ad musculum pronatorem rotundum pervenit, ramus ab eo abicedit, secundum ligamentum interosseum descensens, in musculo pronatore quadrato maximam partem dispersens.

### IV.

*Quartus* salutatur *nervus cubitalis*. Descendit in latere interuo humeri secundum musculum anconæum magnum; per hunc decursum mus-

scu-

sculis vicinis, cutique furculos multos largitur. Excurrit dein inter processum anconeum, & condylum humeri internum, ubi tenui solummodo membrana, & cute obtegatur; in antibrachio sub musculo cubitali interno descendit, in musculos vicinos ramos emittit, in extremitate interiori antribrachii in duos finditur ramos.

a. Ramus internus, crassior, ligamentum carpi internum superascendens, in latere ossis lentiformis interno manum ingreditur, in eadem in tres ramos minores dividitur. Unus ex his speciem arcus format; cum ramo nervi mediani per anastomosisiungitur, ramulis suis in musculis pollicis, ac musculis interosleis evanescit. Secundus in duos de novo subdividitur minores furculos, qui per partem lateralem digiti annularis, & auricularis proserpunt. Tertius demum per alterum latus digiti minimi, & musculos hujus ejusdem vicinos ambulat.

b. Minor, isque externus exteriora versus ad dorsum manus flectitur; rami hujus in partibus convexis lateralibus digitorum duorum ultimorum eadem ratione, uti rami interni in partibus concavis digitorum eorundem disparent.

## V.

*Quintum nominant nervum radialem.* Jam sub initium hic ab anteriori parte postrosum tendit; singulari decursu circa humerum ambulat,

lat, inter hunc eundem, & musculos extensores cubiti proserpens: ramulos ibi loci multos emittit, in latere externo humeri per cutim sparsos.

**T**um vero in latere externo humeri inter musculum brachium internum, & externum flexuram brachii intrat; inter musculum supinatore longum & brevem ad extremitatem superiorem radii fertur; per hunc decursum musculis nunc enumeratis aliisque vicinis furculos quosdam largitur.

**T**runcus vero ipse in extremitate superiori radii in ramos duos abit.

a. Minor secundum longitudinem radii, inter musculum supinatore longum, & radium externum descendit; in extremitate radii inferiori extrorsum ad dorsum manus flectitur, in ramulos aliquot divisos, externe per musculos interosseos, per pollicem, per digitum indicem, medium, & anularem, tum & cutim, metacarpum tertium disperfos.

b. Ramus major transit inter extremitatem superiorem radii, & musculum supinatore brevem, in musculum hunc, ac in anconeum parvum, & radium externum ramos quosdam mittit; reliqui per musculos extensores digitorum, & supinatore longum distribuuntur; furculi aliquot cum ramis nervi cutanei externi minoribus anatomici junguntur.

## VI.

*Sextus, nervus axillaris, seu articularis* audit. Ramus hic sæpius est nervi radialis. Superiori loco ad articulationem ossis humeri cum scapula ab interioribus exteriora, & posteriora versus circa collum fertur humeri: una cum arteria humerali musculo inmergitur deltoideo; per hunc decursum ramulos concedit minores musculo subscapulari, extremitati superiori musculi anconeï longi, brachii externo, rotundo majori, & minori, supraspinato, & supernæ extremitati musculi longissimi dorsi.

## T A B U L A XV.

## NERVI DORSALES.

**N***ervi dorsales, seu intervertebrales dorsi, seu costales* vocantur nervi medullæ spinalis, per foramina lateralia vertebrarum dorsi emergentes; duodecim ad hocce referri solent paria. Conveniunt inter sese omnes in eo, quod, dum inter vertebrae egrediuntur dorsi, priusquam adhuc ad ipsas perveniant costas, duos minores antrorsum emittant ramos, cum nervo intercostali magno unendos. Posteriora versus abscedunt etiam surculi quidam adeuntes musculos, vertebris dorsi, harumque processibus adfixos.



Notanda præterea veniunt sequentia :

1. Par primum nervorum dorsalium concurrunt ad producendos nervos brachiales, uti jam antea dictum fuit; par hoc, & par secundum ramos emittit parvos, musculus subclavium, ferratum anticum minorem, partesque superiores thoracis subeuntes :
2. Paria sex in sequentia nervorum dorsalium decurrunt sub costis superioribus ad sternum; ramis plurimis disperguntur tum in musculis intercostalibus, tum & perforant musculos nunc dictos variis in locis ab interioribus exteriora versus; evanescent demum late ducti in musculis supracostalibus, & infracostalibus, in musculis ferratis majoribus, in ferratis posticis superioribus, in cervicalibus descendentes, in triangulari sterni, in pleura, in mediastino, in longissimo dorsi, & in mammis.
3. Par septimum nervorum dorsalium emittit in ea regione, ubi pars cartilaginea costæ septimæ adnexa est parti costæ hujus ejusdem ossæ, ramum interiora versus descendentem, musculos abdominales intrantem.
4. Paria nervorum dorsalium quinque inferiora abscedunt a costis quisque interioribus ubi pars harum oritur cartilaginea, & in musculis abdominalibus omnes distribuuntur. Par undecimum in diaphragma furculos minores emittit; par duodecimum in musculo obliquo inferiori, & transverso abdominis maximam partem evanescit.
5. Nervi nunc enumerati omnes, & singuli ramos multos emittunt, per musculos penetrantes, cutim externam partium trunci superiorum, & lumborum subeuntes.



## T A B U L A XVI.

### NERVI LUMBARES.

**N**ervi lumbares, seu *intervertebrales lumborum*, dicuntur nervi medullæ spinalis, per foramina lateralia vertebrarum lumborum egredientes. Quinque horum sunt paria, sæpissima anastomosi inter sese juncta. Rami eorum tum posteriora versus in musculis lumborum, & dorsi, tum & anteriora versus distribuuntur, ramuli exigui inde enati cum nervis intercostalibus anastomosi nectuntur.

Notanda veniunt de his nervis ex utroque latere sequentia.

1. Nervus lumbaris primus anastomoseos ope cohæret cum nervo lumbari secundo, & cum nervo ultimo dorsali: ramos binos sat longos emittit, quorum unus nectitur cum nervo vicino intercostali magno, alter concurrat ad formationem nervi cruralis. Dirimitur tum truncus nervi lumborum primi in ramos tres.

a. Ramus *posterior* transit per muscolum quadratum lumborum; rami hujus distribuuntur per partem posticam musculorum obliquorum abdominis, per muscolum sacro lumbarem, ac per vicinam cutim.

b. Ramus *anterior, externus* transit per partem superiorem musculi psoæ; decurrit secundum marginem ossium ia-

nominatorum superiorem usque ad spinam ilei superiorem; distribuitur tum per musculos abdominales, per m. iculum fasciæ latæ, per glandulas inguinales, & per vicina integumenta communia.

1. *Ramus anterior, internus* per fibras musculi psoæ pariter transit, excurrit dein supra musculus iliacum; jungitur ibi loci cum ramo nervi lumbaris secundi, & nervum specialem format, qui secundum longitudinem faciei internæ aponeuroseos musculi obliqui externi excurrit, per anulum musculi hujus ejusdem transit, & in ramos dirimitur numerosos. Plurimi horum nervos constituunt cutaneos, per cutim partes genitales externas obtegente disseminatos. Rami alii in viris ad funiculum feruntur spermaticum.
2. *Nervus lumbaris secundus* anastomosi statim jungitur cum nervo intercostali; multos dein ramulos minores emittit, musculus psoam, & musculus quadratum lumborum subeuntes: Præter hosce vero ramos oriuntur ex eo rami adhuc alii. Unus ex his jungitur cum ramo nervi lumbaris primi, neivunque format, qui, uti antea dictum fuit, in cuti partes genitales externas obtegente evanescit. Ramus alius unitur cum ramo nervi lumbaris tertii, & quarti, ex qua unione *nervus* oritur *obturatorius*. Rami duo alii nervi lumbaris secundi sub ligamento fallopii ex abdomine egrediuntur, in vicem coeunt in nervum unicum, plurimis ramulis per glandulas ingui-



guinales, fasciam latam, & cutim faciem femoris anticam obtegentem diductum. Rami nonnulli decurrunt penes arteriam cruralem; huic etiam arteriæ specialis datus est ramus. Truncus nervi lumbaris secundi nervum demum cruralem format.

3. Nervus lumbaris tertius jam sub initium per anastomosis junctur cum nervo intercostali magno, tum & cum ramo nervi cruralis secundi, & quarti; ramuli quidam minores loco posteriori musculis immerguntur lumbaribus.
4. Nervus lumbaris quartus pariter anastomosis nequitur cum nervo intercostali, tum ramulorum quorundam ope cum nervo lumbari secundo, & tertio, ad formandum nervum obturatorium, nervumque cruralem.
5. Quintus demum lumbaris nervus per inosculationem cohæret cum nervo intercostali magno; ad nervum cruralem sæpius ramum ablegat; truncus ipse in nervo imprimis evanescit ischiatico,



## T A B U L A XVII.

NERVI OBTURATORII, NERVIQUE  
CRURALES.


## I.

**N***ervus obturatorius* vocatur nervus, qui ex utroque latere ex unione nervosorum quorundam ramorum nervi lumbaris secundi, tertii, & quarti generatur. Decurrit secundum interiora muscoli psoæ ad usque pelvin ossium innominatorum, exhinc versus partem superiorem muscoli obturatoris interni reflectitur, musculos obturatores ambos perforat, ramulosque iisdem largitur. Egreditur dein per foramen ovale ossium innominatorum ex abdomine; in plurimos ramos dividitur, per musculum pectineum, tricipitem, & gracilem dispersos.

## II.

*Nervus cruralis* dicitur nervus, ex ramis nervis nervi lumbaris primi, secundi, tertii & quarti, subin & quinti in unum coëuntibus enatus. Secundum faciem internam ossis ilei descendit, a musculo psoa obtectus; tum sub ligamento fallopii ex abdomine egreditur, & in plurimos discerpitur ramulos. Nonnulli ex his petunt glandulas inguinales, & vasa cruralia; parsque  
ho-

horum arteriam comitantur cruralem. Alii descendunt in facie anteriori fasciæ latæ, in cutim terminati. Alii evanescunt in vicinis musculis, Inprimis vero in musculo pectineo, tricipite, sartorio, recto, vasto externo, vasto interno, crurali, & ferminervoso. Ramus specialis nervi cruralis descendit ad condylum femoris interorum; exhinc vero in latere interno cruris excurrit prope venam saphenam internam; per hunc decursum in cutim multos ramos mittit, plurimis aliis in facie pedis externa terminatur.



## T A B U L A XVIII.

### NERVI SACRALES; NERVIQUE EX HIS ORIENTES ISCHIATICI.

#### I.

**N**ervi sacrales, seu nervi ossis sacri dicuntur nervi transeuntes per foramina faciei internæ ossis sacri, & per incisuras ex utroque latere in extremitate ossis hujus ejusdem, & in osse coccygis occurrentes. Tum in dextro, tum in sinistro latere sex sunt, nimirum quatuor superiores, sat crassi; duoque inferiores, iique tenuiores. Priores quatuor majores maximam partem efformant nervum ischiaticum; oriuntur tamen & a secundo, tertioque nervo ossis sacri ex utroque

latere rami multi; dispersi per partes in pelvi positas; nempe in viris per vesiculas seminales, prostratas, penem, vesicam urinariam & intestinum rectum, in mulieribus per uterum, tubas fallopianas, & clitoridem. Quidam rami a nervo ossis sacri quarto imprimis exorti, petunt anum, perineum, scrotum, & musculos erectores penis, & clitoridis. Nervus ossis sacri quintus dicatus est musculis ani; sextus ab extremitate canalis in osse sacro recta deorsum descendit; terminatus in cutim, tegentem anum, & os coccygis.

## II.

*Nervus ischiaticus* oritur a nervo quinto lumbari, nervisque quatuor primis ossis sacri. Coeunt hi ex utroque latere in truncum nervi ischiatici. Egreditur truncus hic per incisuram ischiaticam ex pelvi, sub musculo pyritormi procurrit; musculo nunc dicto, tum & musculis glutæis, cuti femoris partem posticam tegenti, sphincteri ani, & elevatoribus ani ramos largitur. Descendit tum inter tuberositatem ischii. & trochanterem majorem femoris, secundum partem femoris posticam & inter musculum bicipitem, ac seminervosum, queis, uti & tricipiti surculos mittit, usque in poplitem. In femoris medio oritur ex eo ramus, una cum vena ischiatica descendens, cuti suras tegenti inmersus.

Dum nervus ischiaticus dicta prius ratione in poplitem pervenit, *nervus* dicitur *popliteus*. Secedit hic illico in duos ramos, quorum unus interiora cruris occupans, nonnihil crassior, *nervus* vocatur *tibiæ*: Alter exteriora versus politus, isque tenuior, *nervus peroneus* audit.

## I.

*Nervus tibiæus* retro muscolum popliteum ex latere musculi plantaris inter ambos musculos gastrocnemios progreditur, fibras musculi solei perforat, ac inter muscolum hunc eundem, flexoremque digitorum longum ad extremitatem tibiæ inferioris decurrit. Per hunc decursum ramulos multos minores emittit, musculos vicinos, quos transit, aut prope quos decurrit, tum & cutim inpositam subeuntes. Ramus nervi huius superiori jam loco ligamentum perforat interosseum, evanescit in parte superiori musculi tibiæ anterioris. Ramus alius illico sub tunica adiposa in facie postica cruris decurrit, cuti incumbenti, tendinique Achillis ramulos quosdam minores subpeditat; cum ramo nervi peronei per anastomosis necitur, fertur demum retro malleolum externum per dorsum pedis, ubi in cutim, muscolumque extensorem digitorum brevem distribuitur, ramulis autem aliis minoribus in digito quarto, & quinto terminatur; ubi & cum ramis rami anterioris, & externi nervi peronei per anastomosis cohæret.

Emissis nunc expositis ramis nervus tibiæus retro malleolum internum sub ligamento speciali excurrit sinuositatem calcanei transit; per hunc decursum partibus vicinis ramos pariter subpeditat; plantam demum pedis ingreditur, ibique in binos furcatur ramos, qui *nervi* dicuntur *plantares*, & ob situm, quem occupant, in *internum*, & *externum* distinguuntur.

a. *Nervus plantaris internus* excurrit in latere plantæ interno, ramulos in muscolum thenarem, flexorem digitorum brevem, tum & partem lateralem concavam, & internam digitorum

quatuor primorum ablegat; unde & musculi interossei ac lumbricales surculis augentur minoribus.

- b. *Nervus plantaris externus* inter flexorem digitorum brevem, carnemque accessoriam ad latus plantæ externum fertur; distribuitur per faciem externam digiti quarti, & quinti, per musculum abductorem digiti minimi, per musculos digiti hujus ejusdem parthenares, interosseos, aponevrosinque plantarem.

## II.

*Nervus peroneus* ramus est externus nervi poplitei, fibulæ adhæret, &, præter ramulos minores, cutim, genu tegentem, subeuntes, in quatuor ramos dividitur, nimirum

- a. In ramum *posteriolem*.
- b. In ramum *anteriorem*, & *superiorem*.
- c. In ramum *anteriorem*, & *internum*.
- d. In ramum *anteriorem*, & *externum*.

- a. *Ramus posterior* nascitur loco superiori a nervo peroneo. Descendit inter fibulam, & cutim inpositam ad usque malleolum externum; ope rammi lateraliter emissi cum ramo nervi tibizi per anastomosis conjungitur, cuti tegenti surculos plurimos sensim largitur; tandem vero a malleolo externo ad latus dorsii pedis externum fer-

fertur, in ramos duos tresve minores  
sejungitur, phalangibus digiti tertii,  
& quarti dicatos.

Emisso ramo hoc eodem posteriori  
nervus peroneus ramulos alios minores  
ad musculos gastrocnemios, & soleum  
musculum mittit, per partem  
superiorem musculi peronei postici  
transit, directione a posterioribus  
anteriora versus sumta; inter musculum  
nunc dictum, & fibulam aliquantulum  
descendit, & ibi loci ramos tres  
reliquos majores emittit, qui sequenti  
ratione distribuuntur.

- b. *Ramus anterior, & superior* descendit  
secundum musculum digitorum exten-  
sorem longum; musculo huic, tum &  
musculo tibiæ antico ramos quosdam  
mittit; reliqui vero rami loco ante-  
riori in cuti evanescent.
- c. *Ramus anterior internus* descendit in  
facie antica ligamenti interossei inter  
musculum extensorem digitorum lon-  
gum, & tibiæ anticum; musculis  
hisce quosdam ramos largitur; tum  
sub ligamento tarfi transverso ad pe-  
dis dorsum fertur; musculo exten-  
sori digitorum brevi, primisque mu-  
sculis interossei externis ramulis non-  
nullis prospicit; cum rami inferioris  
externi ramo per anastomosis jungi-  
tur, ramis demum reliquis in partibus  
terminatur lateralibus digitorum pri-  
morum duorum.

d. Ra-

---

d. Ramus *anterior externus* descendit inter fibulam, & muscolum peroneum posticum; antrorsum flectitur; ligamentum transversum tarsi super-scandens ad partem superiorem pedis excurrit, & ibi loci in ramos binos dirimitur. Horum unus pollicem, digitumque secundum adit, ramulos quosdam in hosce mittit; cæterum vero per cutim, tarsum, & metatarsum tegentem, spargitur. Ramus alter distribuitur per digitos tres reliquos, horumque cutim, per anastomosin cum ramo nervi tibiæ etiam jungitur.

*Finis Tabularum Neurologi-  
carum.*

IN-



# I N D E X

## TABULARUM NEUROLOGICARUM.

TABULA I.	Nervi corporis humani in genere	pag. 331
II.	— olfactorii & optici	335
III.	— ocul. motorii, & pathetici.	337
IV.	— trigemini	339
V.	— abducentes	350
VI.	— auditorii	352
VII.	— vagi	354
VIII.	— linguales	358
IX.	— infraoccipitales	359
X.	— intercostales magni	361
XI.	— medullæ spinalis in genere	367
XII.	— cervicales	369
XIII.	— spinales & diaphragmatici	373
XIV.	— brachiales	374
XV.	— dorsales	379
XVI.	— lumbares	381
XVII.	— obturatorii & crurales	384
XVIII.	— sacrales, & ex his enati ischiatici	385




T A B U L Æ

SPLANCHNOLO-  
GICÆ.



# TABULÆ SPLANCHNOLO- GICÆ.



## T A B U L A I.

### STRUCTURA PARTIUM CUTIM CON- STITUENTIUM.

**S**ub *cutē* corporis humani intelligimus termino generico omnia integumenta communia, supra totum corpus expansa, partes cunctas internas includentia, coercentia. Reteruntur huc;

#### I.

**CUTICULA**, seu **EPIDERMIS**; primum hæc constituit & extrimum integumentorum, partes corporis omnes ambiens, obægens, exceptis solum unguibus, ad quorum radices finitur. Ambit epidermis non solum partes corporis externas, sed & ipsas internas, intrat enim per orificia majora, uti per oculos, os, aures, nares, anum, glandem, & vaginam uteri, horumque interiora investit. Constat textu subtili membranaceo, in quibusdam locis crassiori, tenuiori in

aliis, complanato tamen, & diaphano, pertuso poris innumeris exiguis; occurrunt in epidermide hinc inde diversæ linæ, & incisuræ; nec vasis prædita est, nec nervis (unde & sensu omni destituitur) generatur ex liquore glutinoso per ductus determinatos excretorios exsudante. Facies epidermidis interna obducta est substantia mucilaginosa, subvilcida, mucosa, quæ sub nomine *corporis mucosi* nota est. Adhæret corpus hoc ipsum mucosum cuticulæ firmissime; per totum corpus excurrit; in iis tamen locis cutis subjectæ, in quibus, uti postea dicetur, papillæ multæ sunt nervæ, copiosius adest, simulque in his tum mollius, tum flexilius est. Adferunt auctores, in corpore mucoso hæere sedem coloris diversi cutin tingentis in homine europæo albi, in æthiope nigri; dicunt insuper ortum unguium ex corpore mucoso esse repetendum.

## II.

**CUTIS**, integumentum corporis nostri secundum, membrana cernitur densa, robustaque, inter cuticulam, seu epidermidem prius expositam, & membranam adiposam hærens; composita fibræ tendineis, membranaceis, nerveis, vasis sanguiferis, & lymphaticis; pertusa ductibus excretoriis glandularum sebacearum, & pilis.

Notanda circa cutim occurrunt varia; aptius id fieri poterit, si cutis ambo superficies seorsim considerentur.

1. *Superficies cutis externa* corpus cuticulæ mucosum respicit, textui hujus immediate incumbit; vasis compositur innumeris, quorum invicem contextorum subtilissima rete dicitur

*vasculum*. Habuerunt nonnulli auctores vascula hæc eadem pro vasis hæmatophoris, adsertum demonstrare voluerunt ex eo, quod vascula dicta in cutis inflammationibus sanguinem vehant rubrum. Sunt vero nil nisi vasa seroso-lymphatica, canalesque laterales vasorum sanguiferorum, sanguinem nullum, sed merum vehentes serum, terminati in poros cuticulæ, transmittentes omni puucto temporis vaporem subtilissimum, quo transpiratio absolvitur. Fori illi, qui ab ultimis finibus vasorum lateralium arteriarum proficiscuntur, vaporemque ab interioribus exteriora versus emittunt, *pori* vocantur *exhalantes*; *pori* vero *inhalantes*, seu *pori resorbentes* adpellantur fines subtilissimi venarum osculis suis in facie externa cuticulæ pariter hiantes. Inter textum hunc vasorum tenuissimorum ubique hærent filamenta nervea, in fasciculos coeuntia, *papillas* ita dictas *nerveas* demum efformantia. Pro ratione diversarum partium diversa etiam hæc præditæ sunt figura, in quibusdam congestæ simul sunt numerosissimæ, in aliis occurrunt omnino nullæ. Statuitur etiam hic loci ab auctoribus quibusdam sedes *corporis* dicti *reticularis* MALPIGHII, seu *reticuli* MALPIGHII, membranæ specialis retiformis, poris infinitis pertusæ, quam rete vasculosum ciugere dicunt, in hominibus tamen corpus hoc reticulare non invenitur.

8. *Superficies cutis interna* respicit membranam adiposam, quacum connectitur. Insculptæ huic sunt plurimæ foveolæ exiguæ, queis excipiuntur eminentiæ tuberculosæ faciei externæ membranæ adiposæ.

3. Sub corpore, ac radice cujusvis unguis cernitur translucens rubedo debilior, enata a reti vasculoso ibi loci sito, nec mucoso corpori adeo immerso.
  4. Radices unguium epidermidi exactissime adhærent; quod quidem manifestum fit, dum ungues macerationi exponuntur; tunc enim secedunt a cute, & papillis nervis, epidermidi autem, cui corpus mucosum firmiter adcretum est, adhærent.
- Ufus unguum potissimum: in eo absolvitur, ut manuum, pedumque digitos muniant ab omni noxa, quam incurrere possent, dum in obvia quæque facillime impingant.

## II.

*Pili* canaliculi sunt exigui, diaphani, subtiles, ex cute prominentes, radicibus parvis præditi, cuti infixis.

Dividuntur pili in binas classes; sub prima militant pili communes, longi, excrescunt hi in capite, in mento, sub axillis, circa partes genitales, & anum. Ad classem secundam referuntur pili alii, minores longe, per omnem corporis superficiem, exceptis solum pedum plantis, manuumque palmis, occurrentes. Radices pilorum primæ classis bulborum cepearum ad instar sunt formati, unde & speciali nomine *bulbi* dicuntur; hærent sub cute, in ipsa magis membrana adiposa, ubi & membrana ab hac enata amiciuntur. Radices pilorum secundæ classis etiam exiguos exhibent bulbos; hæc vero in ipso cutis textu sunt firmatæ.

Bulbus quivis specie compositus est capsulæ, in qua hærent libræ vasculosæ, & nervosæ. Ex bulbo quovis evasculatur pilus unus, cutim exin, cuticulamque perforans; bulbi vero pilorum primæ classis, seu pilorum longiorum per commune transeunt orificium: cum ductibus glandularum s. baccarum.

Ufus pilorum respectu ad humanum corpus univertum habito non adeo hæctenus patet: respectu tamen ad partes quasdam sumto assignari potest specialis, sic inserviunt v. c. pili capitis tum calori, tum pulchritudini; pili palpebrarum, & superciliarum muniens oculis ab inlapsu variorum, quæ iisdem adterre possent damnum; pili partium generationi dicatarum tuendis his ipsis ab adtractu tempore coitus, e. s. p.



### T A B U L A III.

PARTES ABDOMEN AMBIENTES; IN ABDOMINE SITÆ; NEXUS ILLARUM, SITUSQUE NATURALIS; OMENTUM; PERITONEUM.

*A*bdomins nomine venit cavum illud magnum, formatum superius a diaphragmate; inferius ab ossibus pubis; lateraliter a musculis transversalibus

E e 4

libus

Monendum tamen est, & plures simul pilos ex uno eodemque bulbo subin emergere; sepe uti in plantarum caulibus id observatur. de WASSERBERG.

libus, a costis spuris, & ab ossibus ileis; anteriorius a musculis rectis; posteriorius a vertebrae lumborum, ab osse sacro, & ab osse coccygis; ambiunt cavum hoc ipsum externe undique musculli, hisque incumbentia integumenta communia: recludit autem intestina; mesenterium; ventriculum; hepar; splen; pancreas; renes; vesicam urinariam; renes succenturiatos; partes quasdam genitales; arteriam aortam inferiorem, cum ramis ab ea enatis; venam cavam, omnesque ex ea venientes ramos; venam portæ, hujusque ramificationes; nervos complures; & cystemam demum sic dictam lumbarem. Quo vero situs specialis, nexusque harum omnium partium eo melius perspiciatur, receptum est in Anatome, ut in facie abdominis externa designentur certæ & determinatæ quædam *regiones*. Tres quidem solummodo tales constitui solent regiones; quævis tamen harum duas denuo laterales habet socias: sunt vero sequentes:

- a. *Regio epigastrica*. Oritur a processu xiphoidæo; finitur ad digitos duos transversos supra umbilicum. Partes laterales regionis hujus dicuntur, *regiones hypochondriacæ*; *dextra* nimirum, & *sinistra*.
- b. *Regio umbilicalis*. Oritur ubi prior desinit, finitur ad digitos duos transversos intra umbilicum. Partes regionis hujus laterales audiunt *lumbi*, seu *regiones lumbares*; *dextra* scilicet, & *sinistra*.
- c. *Regio hypogastrica*. Oritur a regione umbilicali; excurret ad usque pubem. Partes ambæ laterales adpellantur *illa*, seu *regiones iliacæ*, *dextra* liquidem, & *sinistra*. Pars regionis hypogastricæ inferior dicitur *regio pubis*.



Regionibus nunc descriptis adnumerant aliqui & *Perineum*, & *regiones inguinales*.

Ad regionum harum ductum aptius describi poterit situs internarum abdominis partium. Miſta quidem inter ſeſe cernuntur aperto nunc abdomine, ſed pulcherrimo miſta ordine. Examinandum imprimis venit *Omentum*, & *Peritoneum*.

## I.

*Omentum*, ſeu *Epiploon* dividitur in *omentum magnum*, & *omenum parvum*; quodvis horum ab altero ſeparatum eſt, communicant tamen inter ſeſe nibilo ſecius; cæterum & eadem cuius eſt ſtructura, idem cuius uſus.

- a. *Omentum magnum* ſaccum refert membranaceum, qui compoſitus eſt laminis binis tenuibus membranaceis; interne vero ex vaſis ſanguiferis, merisque cellulis ſabretactus; connectitur parte ſuperiori cum inteſtino duodeno, arcu majori ventriculi, & liene; pars inferior adhæret inteſtino colo, ubi id tranſverſim per abdomen fertur. Saccus ipſemet hæret liber, inteſtina obtegit tenuia, & ad regionem uſque hypogaſtricam ſubin producitur.
- b. *Omentum parvum* ſaccum pariter refert membranaceum, adhærentem partim arcui minori ventriculi, partim ſuperficieï concavæ hepatis, huiusque adpendiculæ, *lobulus Spigelii* dictæ. Notatur in omento minori *forameu WINSLOWI*, ſeu apertura ſat magna in facie hepatis concava, retro truncum venæ portæ: ſtatu per foramen hoc adaſto tum omen-

tum parvum, tum & magnum distendi potest.

Vasa omenti hæmatophora termino generico vasa dicuntur epiploica; arteriis absolvuntur, & venis. Arteriæ omenti magni veniunt ab arteriis ventriculi; binæ potissimum occurrunt. Vocantur hæc in specie arteriæ gastro-epiploicæ; dividuntur in dextram, & sinistram; quarum prior a gastrica majori, hæc a gastrica minori exoritur. Venæ etiam binæ adsunt; nominantur venæ gastro-epiploicæ, exoriuntur a venis ventriculi. Arteriæ omenti minoris veniunt ab arteria coronaria ventriculi; venæ evanescunt in vena splenica. Notari insuper debent in omento tum majori, tum & minori plurimæ cellulæ, pinguedine repletæ. Veniunt siquidem ab extremitatibus arteriarum canales laterales in cellulas, qui ductus dicuntur *adiposi Malpighiani*; horum ope seceritur pinguedo in cellulas; ajunt & adesse canales exiguos laterales, implantatos in venas, quorum interventu pinguedo reveheretur in venam portæ.

Nervi in omento pauci adsunt. Usus omenti in eo absolvitur, ut:

1. Calefaciendis interserviat intestinis, ac ventriculo.
2. Lubricet intestina, ne actiones musculorum abdominalium ob adstrictum iisdem adferant noxam.
3. Ut resorptio pinguedinis tum bilis faveat præparationi; tum & sanguini debitum exin coagilietur pingue: &c.

## II.

*Peritoneum* membrana est : texturæ firmæ, saccum referens, qui non solum partes abdominis præcipuas excipit, sed & productionibus suis in situ firmat. Superficiebus peritoneum donatum est binis. Interna lævis, complanataque est, humore ex orificiis exiguis plorante nunquam non madescit. Superficies externa per omnem suum ambitum inducta est textu singulari, cellulis diversis membranaceis constante, *substantia cellulosa*, seu *textum cellulare* dicto : mediante hoc ipso textu peritoneum tam cum partibus laterali-bus abdominis, quam & cum partibus aliis, in dicto prius sacco non contentis cohæret, easque ambit. In quibusdam locis substantia hæc cellulosa plurimæ immerfa est pinguedini, unde & specialem tum refert membranam ; huc spectat membrana ita dicta adiposa renum, membrana ad nexum peritonei cum musculo transversali posita, e. s. p. solis tamen, & unicus membrana hæcæ absolvitur cellulis multa pinguedine refertis. *Productiones* vero, seu *processus* peritoneum ex utroque binos format ; horum supremi in viris vasa spermatica ( unde *processus* audiunt *spermatice* ) in feminis ligamenta uteri rotunda ambiunt ; in viris substantiam formant vaginalem. Interiores una cum valis cruralibus transeunt sub ligamento Fallopii ( *processus cruales* ). Notandum simul est, superficiem peritonei internam cum processibus hisce non excurrere, sed tegere solum eorum initium : productio autem faciei ipsius internæ in quibusdam nonnisi herniarum speciebus obtinet.

Saccus peritonei format quasdam plicas, seu replicationes; etsi vero unica solum constet membrana, plicæ hæc binis tamen præditæ esse possunt lamellis, si in locis quibusdam partes sacci laterales interiora versus flexæ sint; atque hoc sub respectu plicæ peritonei ad binas referri solent classes. In prima classe partes laterales ab invicem deductæ sunt, & saccos producunt, vaginas, cylindros &c.; hoc modo hepar, lien, pancreas, uterus, vesica urinaria, intestina &c. suas acquirunt extimas tunicas, vasa umbilicalia suas vaginas. In secunda classe partes introrsum flexæ peritonei aucte sibi invicem adhærent, pauca solum interposita substantia cellulosa; exsurgunt hoc pacto ligamenta diversa, a peritoneo exorientia; v. c. mesenterium; ligamenta uteri lata; ligamenta illa cetera, quorum ope intestinum colon ad quamvis flexuram firmatur, ligamenta lateralia hepatis, ligamenta vasorum umbilicalium, &c. Vasa hæmatophora, & nervi peritonei proficiscuntur ab omnibus illis partibus, quæ peritoneum adhæret, Usus peritonei sequentibus abstrahitur:

- a. Ope substantiæ cellulosæ in variis locis plurima pinguedine repletæ calorem conservat partium, quas ambit; forsitan & resorptione pinguedinis omentalis sanguini partes conciliantur oleosæ.
- b. Partes abdominis plerasque excipit, membranas earundem constituit, partes alias extra saccum hærentes obtegit.
- c. Productionibus suis & plicis varias partes in debito situ retinet, &c.

Considerandæ jam sunt partes abdominales in situ suo, suoque inter sese invicem nexus notanda veniunt circa hæc sequentia :

## I.

In REGIONE EPIGASTRICA hærent:

- a. Lobus hepatis minor, diaphragmati per ligamentum laterale sinistrum adnexus.
- b. Ventriculi pars media, una cum binis orificiis, & interjecto omento parvo.
- c. Intestinum duodenum, pyloro adcre- tum.
- d. Corpus, & extremitas dextra pancre- atis.
- e. Pars intestini coli.
- f. Rami nonnulli venæ portæ.
- g. Inferiori nonnihil loco trunci venæ ca- væ, & arteriæ aortæ, una cum emer- gente ex ea arteria coeliaca, & me- senterica superiori.
- h. Initium ductus thoracici.

## II.

In REGIONE HYPOCHONDRIACA  
DEXTRA hærent :

- a. Lobus magnus hepatis; per ligamentum coronarium, & laterale dextrum diaphragmati adnexus.
- b. Vesicula fellea in facie hepatis concava.
- c. Ductus biliferi, quorum interventu cohæret hepar, & vesicula fellea cum duodeno intestino.
- d. Truncus venæ portæ.
- e. Pars intestini coli.
- f. Extremitas ventriculi dextra.
- g. Arteria hepatica, & pars venæ cavæ.

## III.

In REGIONE HYPOCHONDRIACA SI-  
NISTRA hærent :

- a. Splen, cum ventriculo per vasa brevia cohærens.
- b. Pancreatis extremitas sinistra, membranarum ope spleni adnexa.

c.

- c. Pars intestini coli.
- d. Extremitas læva ventriculi.

## IV.

In REGIONE UMBILICALI hærent :

- a. Initium vasorum umbilicalium.
- b. Circumvolutiones intestini jejuni.
- c. Pars maxima Mesenterii, hujusque vasorum.
- d. Trunci venæ cavæ, & arteriæ aortæ inferioris.
- e. Receptaculum chyli.

## V.

In REGIONE LUMBARI DEXTRA hærent :

- a. Initium intestini coli, hujusque flexura, quæ ibi loci per membranas reni dextro adfixa est.
- b. Ren dexter, Ren succenturiatus dexter, initium ureteris dextri, vasa renalia dextra.

## VI.

**IN REGIOE LUMBARI SINISTRA hærent:**

- a. Flexura sinistra coli, una cum hujus ligamento parvo, quocum adhæret reni.
- b. Ren sinister, Ren succenturiatus sinister, initium ureteris sinistri, vasa renalia sinistra.

## VII.

**IN REGIONE HYPOGASTRICA hærent:**

- a. Flexuræ nonnullæ intestini ilei.
- b. Initium intestini recti; in PELVI ipsa, seu spatio ossibus innominatis intercepto hærent:
- c. Intestinum totum rectum, cum suis vasis.
- d. Urinaria cystis, per substantiam cellulosam ossibus pubis, ac posteriori loco in viris intestino recto, in foeminis utero adfixa.
- e. Vasa hypogastrica.
- f. In foeminis uterus, hærens inter vesicam urinariam, & intestinum rectum.



- g. In viris vasa deferentia, &
- h. In partibus laterilibus cystidis urinariæ, prope colon, finis ureterum; demissiori paulo loco vehiculæ seminales.
- i. Externe in parte inferiori regionis hypogastricæ, quam regionem pubis diximus, occurrunt partes genitales exteruæ, & mons veneris.

## VIII.

In REGIONE ILIACA DEXTRA hærent:

- a. Intestinum cæcum, cum adhærente processu vermiformi.
- b. Finis, & quædam adhuc curvaturæ intestini ilei.
- c. Vasa sanguifera iliaca dextra.
- d. Decursus ureteris dextri supra muscolum psoam.
- e. Vasa spermatica sanguifera.
- f. In foeminis ovarium dextrum; una cum tuba dextra fallopiana, & ligamentis uteri dextris.

## IX.


In REGIONE ILIACA SINISTRA hærent:

- a. Pars intestini ilei.

- b. Vasa iliaca sinistra.
- c. Decursus ureteris sinistri supra muscolum psoam.
- d. Vasa spermatica sanguifera.
- e. In foeminis ovarium sinistrum, cum tuba fallopiana sinistra, & ligamenti uteri lateris sinistri.

• •

Si quis adnumerare hisce adhuc voluerit *perineum*, & *regiones inguinales*, tum hærebunt in *perineo*, in viris, prostata; bulbus urethræ, & musculi urethræ, penique proprii; in foeminis latus inferius vaginæ uteri. In ambabus *regionibus inguinalibus* hærebunt glandulæ inguinales; interiori vero magis loco, sub musculo sartorio, vasa cruralia, una cum nervis cruralibus anterioribus.



## T A B U L A IV.

### OESOPHAGUS, VENTRICULUS, INTESTINA,

#### I.

**O**ESOPHAGUS canalis est membranofus, incipiens a parte postica oris, inter vertebrae

bras colli & dorsi, ac asperam arteriam, ex sinistro magis latere descendens, ad vertebram dorsi quintam dextrorsum, ad nonam sinistrorsum flexus, diaphragma tandem perforans, ventriculi-que orificio, *cardia* dicto, insertus. Pars œsophagi superior intundibuli fere formam retinet, *pharynx* dicitur; structura hujus maximam partem muscularis est, uti in *Tabulis Myologicis* expositum id jam fuit. Pars œsophagi reliqua componitur membranis, vasis sanguiferis, lymphaticis, ac nervis.

### 1. Membranae sunt sequentes:

- a. Extima, primaque tunica dicitur *membranacea*; ortus hujus à pleura deducitur.
- b. Secunda tunica *musculosa*, seu *muscularis* audit; componitur hæc fibrarum duplici imprimis ordine. Fibrae externae longitudinales sunt, internae spirales, ab superioribus interiora versus descendunt.
- c. Tertia tunica *nervæa* vocatur, continuatio est tunicae nervæ ventriculi.
- d. Quarta est tunica *villosa*. Obsita hæc est in facie sua externa glandulis exiguis, humorem mucilaginosum secernentibus, canalem œsophagi interiori parte lubricantem. Membranis hisce interjecta semper est substantia cellulosa, in qua vasa hærent.

### 2. Vasa ventriculi hæmatophora sunt sequentia:

- a. *Arteria* duæ, tresve *œsophageæ*; enascuntur à parte antica arteriæ acutiæ, circa medium œsophagi sensim evanescent: cæterum pars œsophagi superior, ac inferior ra-

mos arteriosos ab arteriis carotidibus, ac intercostalibus acquirit.

b. *Vena œsophageæ* finiuntur tum in venas jugulares, tum in venam azygos, tum in venam coronariam gastricam.

3. *Vasa lymphatica* Auctores in œsophago etiam adgnosunt.

4. *Nervi* œsophagei proveniunt à pari vago, quod in illum plurimos ramulos mittit.

## II.

**VENTRICULUS** faccus est membranaceus, sub diaphragmate in regione epigastrica inter hepar, & lienem situs, magnam etiam partem regionis hypochondriacæ sinistræ occupans. Junctus est superne cum œsophago, inferne cum duodeno, lateraliter cum liene ope vasorum brevium, anteriori, & posteriori loco cum omento majori, & minori. Notanda sunt in ventriculo *orificia* duo, *marginēs* duo, *superficies* duæ, *extremitates* duæ, *tunicæ* quatuor, *vasa sanguifera*, *vasa lymphatica*, & *nervi*.

I. *Orificiorum binorum* sinistrum *cardia*, dextrum *pylorus* audit.

a. *Cardia*, seu *Orificium sinistrum*, seu *superius* hæret in regione epigastrica hypochondrium sinistrum versus; finis est œsophagi.

b. *Pylorus*, seu *orificium dextrum*, seu *inferius* pariter in regione epigastrica, hypochondrium dextrum versus, inter ventriculum, & duodenum, situm est: angustioris est diametri, quam finis ventriculi, & initium duo.

duodeni, interne protuberantia eminentiori præditum ex fibris muscularibus composita, rugis tunicæ nervæ, & villosæ obducta.

2. *Rini margines*, qui & *arcus curvaturæ* vocantur, sunt :

- a. *Arcus major*, magis anteriora versus situs, ab orificio uno ad alterum excurrens, omento majori nexus.
- b. *Arcus minor*, magis versus vertebrae dorsi positus, ab orificio uno ad alterum pariter excurrens, priori minor; adhæret ei omentum minus.

3. *Superficies* binæ sunt :

- a. *Superior* :
- b. *Inferior*. Spectat prior diaphragma; posterior contenta abdominalia.

4. *Extremitates* binæ sunt :

- a. *Sinistra major*, sita in hypochondrio sinistro.
- b. *Dextra minor*, in hypochondrium usque sinistrum producta,

5. *Tunicæ* sunt ;

- a. Exterior vocatur *tunica membranacea*, videtur quod hæc non tam à peritoneo, quam ab omento utroque proveniat. Firmior hæc est, robur fibrarum subjectarum muscularium auget.
- b. Secunda vocatur *tunica muscularis*. Compositur fibris diversis muscularibus. Sunt

enim tum fibræ longitudinales , quæ , ut continuationes fibarum longitudinalium œsophagi , circum cardiacam undique expanduntur : tum excurrunt aliæ ad usque pylorum , & intestinum duodenum , ubi denum evanescent ; aliæ fibræ circulares , & semicirculares sunt , in extremitate sinistra , & exhinc versus superficiem ventriculi fitæ ; Sunt denique & fibræ transversales , ab arcu ventriculi uno ad alterum excurrentes. Inter tunicam hanc , & priorem substantia hæret cellulosa.

c. Tunica tertia *nerves* adpellatur. Dicta fuit à colore suo albente ; Veteres enim partem omnem fibræ albis compositam , *nervæam* dixere. Textus est fibrarum variarum tendinearum , & nervæarum , directione decussata inter sese contextorum. In ambitu suo laxius patet , quam præcedentes binæ. Inter hanc & priorem , uti & sequentem denuo substantia cellulosa hæret.

d. Tunica *villi* quartam constituit ventriculi tunicam ; omnium reliquarum hæc amplissima est ; constat innumeris villis exiguis , seu canaliculis , specialem humorem secernentibus. \*

\* *Vasa* ventriculi *hæmorrhora* , & *lymbatica* sunt :

a. *Arteria coronaria stomachica* , quæ ramus est arteriæ celiacæ. Ramum emittit magnum , circa cardiacam coronæ ad instar dispersum ; rami reliqui distribuuntur per utramque superficiem.

b. *Ar-*

---

\* HUMOREM nempe gastricum , unum ex præcipuis digerentibus mensuris. De WASSERBERG.

- b. *Arteria pylorica*, & *gastrica major*: rami sunt arteriæ hepaticæ, disperguntur ex latere dextro per partem ventriculi superiorem, tum & secundum longitudinem arcus majoris, & per omentum.
- c. *Arteria gastrica minor*, ramus est arteriæ splenicæ, distribuitur per latus sinistrum arcus majoris, & per adhærescens eidem omentum.
- d. *Arteria dua tresve breves*, exortæ ab arteria splenica, per extremitatem sinistram sparsæ.
- e. *Venæ* dicuntur *gastricæ*, & *breves*, sanguinem contentum partim in truncum venæ portæ, partim & in venam splenicam exonerant. Vasa hæc omnia hærent in textu celluloso ventriculi.
- f. *Vasum* quædam *lymphatica* hærentia in tunica membranacea, in receptaculum chyli abeunt,

7. *Nervi gastrici* copiosi adsunt. Exoriuntur maximam partem à pari vago, tum & à ramis quibusdam nervi intercostalis, qui per superficies ventriculi diversos efformant plexus, rami exin venientes plurimi circa cardiam repunt, eique adnectuntur.

Usus ventriculi eo absolvitur, ut cibos per œsophagum in cavum suum delatos recipiat, tamdiuque retineat, donec motu ipso ventriculi, & adfluxu aliorum liquidorum, in chylum tandem resolvantur.

## III.

**INTESTINORUM** sub nomine proprio sensu intelligitur canalis longus varie inflexus, membranaceus, incipiens à pyloro, terminatus in anum. Canalis hicce ob diversam diametri rationem in *intestina tenuia*, & *intestina crassa* dirimitur. Pars tenuia intestina constituens constat portionibus tribus: prima vocatur *intestinum duodenum*, altera *intestinum jejunum*, tertia *intestinum ileon*: Pars reliqua demum in portiones tres abit: prima dicitur *intestinum cæcum*, altera *intestinum colon*, tertia demum *intestinum rectum*.

Intestina hæc omnia, excepto solum duodeno firmantur membranæ, *mesenterium* dictæ, in tres diversas partes divisæ. Pars mesenterii cui adnectitur *intestinum jejunum*, & *intestinum ileon*, vocatur *meseraum*, pars adfixa colo, *mesocolon*, pars conjuncta recto, *mesorectum*.

Est vero mesenterium membrana fortis, extremitate una corporibus vertebrarum lumborum adnexa, extremitate altera intestina ambiens. Exoritur à peritoneo, laminis constat binis, quæ substantia interjecta est cellulosa, cui inbærent vasa diversa, & glandulæ; nimirum:

- a. Ramificationes arteriæ mesentericæ superioris, & inferioris, quæ rami sunt arteriæ aortæ inferioris; circa intestina undique disperguntur
- b. Ramificationes venarum mesaraicarum, ad venam portæ decurrentes.
- c. Nervi intestinorum, à pari vago, & intercostali exorientes.

d. Va-



- d. *Vasa lactea* dicta, orta ex intestinis, decur-  
rentia in receptaculum chyli.  
e. Glandulæ variæ, *mesentericæ* dictæ.

Componuntur intestina tunicis quatuor, quæ  
dem, uti tunicæ ventriculi, nominibus adpel-  
luntur: nimirum:

- a. Extima vocatur *tunica communis*, seu *mem-  
branacea*. Continuatio hæc est mesenterii;  
laminae enim mesenterii ambæ amplectuntur  
intestina: idea hujus amplexus talis tormari  
debet, ac si mesenterium per omnem suum  
ambitum in canalem terminaretur membra-  
naceum, cui inhærent intestina. Sub tuni-  
cæ hæc eadem situs est textus cellulosus; in  
subjectis plurimis copiosissima pinguedine  
turgidus.
- b. Tunica secunda *musculosa* dicitur: constat  
fibrarum binis speciebus, extimæ longitu-  
dinales sunt, internæ circulares.
- c. Tunica tertia *nervea* audit. Convenit cum  
tunica nervea ventriculi: hæret vero inter  
hanc, & præcedentem in diversis locis tex-  
tus vasculorum plurimorum sanguiferorum,  
serosorum, & nervorum: unde & Aucto-  
res quidam textum hunc pro membrana spe-  
ciali venditarunt, eumque *tunicam* vocarunt  
*vasculosam*. Inter membranam nerveam, &  
sequentem denuo textus cellulosus hæret,  
cui insident glandulæ plurimæ, quarum  
nonnullæ solitariae solum juxta sese positæ  
sunt; dicuntur hæ *glandula solitaria*, seu ab  
inventore *Brunneriana*; occurrunt hæ etiam  
in duodeno: aliæ racematim positæ sunt,  
vocantur *plexiformes*, vel ab inventore  
*Peyeriana*. Glandulæ hæ secernunt humo-  
rem,

res, qui in intestinis tenuibus ad diluendum chylum, in intestinis crassis pro lubricatione excrementorum inserviunt.

- d. Tunica quarta dicitur *villosa*. Convenit quoad structuram cum tunica villosa ventriculi; perforatur vasibus variis, lacteis, sanguiferis, ac resorbentibus. Tunica hæc, uti & præcedens, amplior, & longior est, quam reliquæ: nascuntur hinc multæ plicæ, & rugæ, in jejunò, & ileo imprimis copiosæ, *valvula conniventes*, & ab inventore *Kerkringianæ* dictæ.

### Notanda veniunt de intestinis in specie sequentiæ

1. Intestinum *duodenum*, seu *dodecadactylon* dictum est, quod duodecim digitos transversos longum sit. Hæret in parte inferiori, & laterali regionis epigastricæ. in cavo triangulari, à mesenterio efformato, *duplicatura triangularis* dicto. Oritur à pyloro, terminatur in jejunum, terque incurvatur. Curvatura primæ statim ad ejus ortum est; decurrit enim intestinum posteriori loco oblique nonnihil à superioribus inferiora versus; secunda versus renem dextrum est, cui ope membranarum adfigitur; decurrit exhinc intestinum prope vasa renalia, & venam cavam versus latus sinistrum, tertiam formans curvaturam, ubi simul duodenum finitur. Intestinum hoc brevissimum quidem est intestinorum tenuium, sed & amplissimum; à tunica membranacea non ex integro obvolvitur, sed substantia cellulosa maximam partem amittitur. Vas instructum est propriis suis sanguiferis, quæ *vasa* dicuntur *duodenalia*: instructum præterea est glandulis Brunnerianis. Circa medium tere perforatur à ductu choledocho, & pancreatico, adeo ut  
du.


ductus hi utrique externe quidem binæ obferant orificia, inter ipsas vero intestini tunicas in unum confluant, ac in cavum intestini unico solummodo orificio pateant.

2. Intestinum *jejunum* sic vocatur, quia sæpe numero apprehenditur vacuum, hæret in media regione umbilicali, valvulas multas conniventes format: glandulis præterea Peyerianis plurimis instructum est, pluribusque, quam intestina reliqua, vasis hæmatophoris, unde & colore multo magis rubro gaudet.

3. Intestinum *ileon* omnium reliquorum est longissimum; ambas plerumque regiones iliacas tum & partem regionis hypogastricæ occupat: valvulis conniventibus instructum est paucis, glandulis vero multis Peyerianis; terminatur sub rene dextro in intestinum cæcum, loco superiori, ubi simul colon exoritur.

4. Intestinum *cæcum* saccum quasi format; tres circiter, quatuorve digitos transversos longum, latumque est; situm est in latere dextro, illico supra os ileon, ubi peritonæi ope cum rene dextro interiori loco cohæret. Ad nexum intestini ilei cum cæco notandum est, utrinque ab muscularibus tunicis, dum fibræ harum cum fibris nonnullis intestini colli uniuntur, circa circum protuberantem eminentiam, ab nervis vero, & villosis tunicis supra hanc ipsam eminentiam plicam generari. Tum plica hæc, tum & protuberantia illa unico nomine *valvula coli*, seu *cæci*, vel & ab inventore, *valvula BAUHINI* dicitur: circa fabricam valvulæ hujus notandum adhuc est:

- a. Versus intestinum ileon esse concavam, versus cæcum convexam.



b. Fibras ilei longitudinales, ad orificium, à valvula in medio interceptum duas formare productiones, quibus orificium ex integro aboleri potest: vocantur ab *Illustri* MORGAGNIO *fiens valvulae coli*. Lateri externo cæci canalibus adhæret parvus, quinque sexve transversos digitos longus, membranaceus, qui productio videtur cæci, unde & *appendix*, seu *processus vermiformis intestini cæci* dicitur. Adnexus est, secundum longitudinem, membranæ, quæ vices hic menterii obit; in membrana ejus interuag glandulæ multæ sunt exiguæ, humorem lubricum secernentes.

5. Intestinum *colon* incipit ab intestino cæco, ascendit exhinc directione perpendiculari sursum; membranarum ope reni dextro adnectitur; sub interiori facie hepatis, & prope cytidem selleam, ac ventriculi partem inferiorem ad splen usque fertur, cui per epiploon adhæret; exhinc prope renem sinistram, cui per membranas denuo adfixum est, ac secundum os ilei descendit, versus latus dextrum non nihil inflectitur, figuram litteræ S referens; intestino demum recto implantatur. Colon ligamentis tribus externis instructum est, secundum longitudinem decurrentibus. Unum horum liberum est, alterum cum omento, tertium cum mesocolo connectitur. Ligamenta hæc ipsa formantur à fibris muscularibus longitudinalibus: usus eorum est, ut coli extensionem impediunt nimiam.

6. Intestinum *rectum* oritur à colo ad vertebra ultimam lumborum; hinc secundum longitudinem prope faciem internam ossis sacri, & coccygis descendit, in cutis orificio, *anus* dicto, terminatur. Intestinorum crassorum hoc amplissimum

mum est, plurimæ pinguedini insidens; fibris longitudinalibus, & circularibus gaudet pluribus; ad finem ejus glandulæ occurrunt copiosæ, & muscoli ei proprii, uti in *Tabula myologica XIV.* dictum jam fuit. Cohæret in viris cum vesica urinaria, glandula prostrata, & vesiculis seminalibus; in feminis cum vagina uteri.

Uſus intestinorum consistit in eo, ut:

1. Chylum in tubo intestinali præparatum deducant in vasa lactea.

2. Partem residuam fœculentam ex corpore eliminant.





## TABULA V.

### VASA LACTEA ; RECEPTACULUM CHYLI; DUCTUS THORACICUS.

#### I.

**VASA LACTEA** vocantur vasa illa subtilissima, alba, quæ in intestinis imprimis exoriuntur tenuibus, ac in receptaculum terminantur chyli. Meliori titulo *vena lactea* dicuntur, quum officium expleant venarum, recipiendo chylum, eundem ulterius deferendo; quum insuper, venarum adinstar & valvulis gaudeant.

Oriuntur ab interna facie tunicæ villosæ, perforant dein & reliquas intestinorum tunicas, inter musculosam, & communem tunicam speciem retis formant; tum inter ambas mesenterii laminae ad glandulas usque mesaraicas proficiscuntur; atque hæ vocantur *vena lactea primaria*: exhinc ulterius ad receptaculum feruntur chyli; tumque *vena lactea secundaria* salutantur.

#### II.

**RECEPTACULUM CHYLI** sacculus est membranaceus, cellulosus, plerumque corporibus vertebrarum duarum primarum lumborum in-

cum-


cumbens ; à tendinibus musculorum inferiorum diaphragmatis obiectus ; inseruntur ei tam venæ lacteæ , quam & vasa multa lymphatica.

### III.

**DUCTUS THORACICUS** canalis est membranaceus , in parte superiori receptaculi incipiens. Ascendit hinc, supra corpora vertebrarum dorsi progrediens, inter arteriam aortam, venamque azygos ; supra vertebram circiter dorsi quintam sinistrorsum inflectitur, ac in venam demum subclaviam sinistram terminatur, ante cujus ostium valvula posita est semilunaris ; per totum etiam ductum thoracicum valvulæ hærent.

Descriptus nunc fuit situs, nexusque thoracici ductus, uti plerumque occurrit ; sæpius tamen observatur & alia horum ratio : incipit enim subin ramis duobus, vel & quatuor, qui dein primo coeunt ; subin & in thorace in plures denuo finditur ramos, & finis non in venam subclaviam, sed in venam jugularem internam implantatur. Detexit anatome in quibusdam subjectis receptacula duplicia, hinc vero & duplices ductus thoracicos. Vidi ipse in multis cadaveribus, canaliculos exiguos ex glandulis parvis collaribus enatos ductui thoracico insertos, quæ nil nisi venæ erant lymphaticæ, valvulis instructæ ; argentum enim vivum ex glandulis quidem ferebatur in ductum, non vero ex ductu in glandulas. Exonerantur præterea venæ multæ lymphaticæ aliarum partium in ductum thoracicum.

Uti harum partium consistit in eo, ut chylum ex intestinis receptum, aliosque humores in massam vehant sanguinis.



## TABULA VI.

### PANCREAS.

**PANCREAS** glandula est conglomerata coloris læte rubentis ; figuram refert linguæ caninæ, aut hepatis lucii piscis : in regione epigastrica parti ventriculi inferiori adjacet ; ex sinistro latere cum splene per vasa , & membranas , ex dextro latere cum intestino duodeno per propriam suam substantiam cohæret. Notanda sunt in pancreate :

1. 2. *Superficies* , quarum

- a. 2. Superf. superior ventriculum respicit.  
b. — Inferior versus duodenum directæ est.

2. 2. *Margines* , quorum

- a. Margo posterior vertebrae superiores lumborum,  
b. — Anterior colon respicit.

3. 2. *Extremitates* quarum

- a. Extremitas sinistra , seu minor lienem attingit :  
b. — Dextra seu major inter curvaturam primam , & secundam duodeni finitur. Per-rigetur & ibi loci pars pancreatis inferiora versus ad reliquam portionem duodeni ;  
lou-



longitudine circiter pollicem unum cum dimidio, latitudine eandem mensuram æquat: in animantibus vero multo major semper est, & *pancreas minus* vocatur, ut ab alio, quod hoc sub respectu *Pancreas majus* appellari poterit, distinguatur.

Quum *Pancreas* glandula conglomerata sit, ex plurimis glandulis minoribus constare debet. Harum glandularum quævis tunica propria cincta est, mediante substantia cellulosa inter sese cohærent; omnes vero simul involvuntur membrana communis, quæ continuatio est laminarum binarum mesocoli. Exit præterea ex glandula quavis parva ductus excretorius, quoductus omnes in ductum communem majorem excretorium patent, quem *pancreaticum*, & ab inventore *Mauritio HOFFMANNO*, aut, uti alii volunt, *WIRSUNGO*, *HOFFMANNIANUM*, vel *WIRSUNGIANUM* dicunt. Ductus huiusce tenuis, delicatæque structuræ, & diaphanus est: incipit ab extremitate sinistra pancreatis, per medium longitudinis in superficie inferiori decurrit, tandemque duodeno sequenti ratione inferitur. Perforat nempe ad quatuor digitorum transversorum a pyloro distantiam inter primam, & secundam duodeni curvaturam, tunicam hujus communem: proxime ad insertionem hanc tunica hæc eadem a ductu choledochi perforatur. Inter tunicam dictam externam, & sequentem musculosam, quæ ambæ per substantiam cellulosam connectuntur, ductus pancreaticus ductum choledochum perforat; ubi vero in ductu hoc eodem evanescit, mem-

branae suae productio speciem exhibet valvulae, exitumque ductus obtegit. Ductus hi uniti hiant demum in tunica interna duodeni mediante orificio communi, circa quod tunica villosa eminentem oram format, Subin & utriusque ductus binis a se invicem se junctis orificiis patent: tum saepius ductus quidam exiguus ex pancreate minori enatus in duodenum decurrit, alias lege ordinaria cum ductu pancreatico unitus.

PANCREAS ASELLII huc referri non debet, quum una ex glandulis majoribus mesenterii sit, & plerumque in canibus solum occurrat.

*Vasa pancreatis sunt:*

1. Arteriae quaedam pancreaticae ab arteria splenica maximam partem orientes.
2. Ramuli nonnulli arteriosi, exorti ab arteria mesaraica superiori, per extremitatem dextram dispersi.
3. Venae pancreaticae sanguinem evomunt in venam splenicam, quae secundum superficiem inferiorem pancreatis in sulco speciali ad venam usque portae excurrit.
4. Nervi pancreatis exoriuntur a pari vago, & intercostali.
5. Vasa lymphatica pancreatis evicta nondum sunt.

Uus pancreatis est, ut liquorem secernat specialem, *succi pancreatici*, aut *lymphae pancreaticae* nomine notum, qui caetera proprietatibus suis salivae analogus est, & una cum bile ad perfectam chyli elaborationem concurrat.

## TABULA VII.

## HEPAR; CYSTIS FELLEA.

## I.

*Hepar* dicitur viscus coloris obscure rubri, sat magnæ molis, constans fabrica vasculosa; hypochondrii dextri maximam partem, tum & partem anticam regionis epigastricæ occupans. Dividitur in genere hepar in partes duas, seu *lobos* duos, maximus ex his in latere dextro, minor in latere sinistro hæret: sejunguntur ambo ab invicem ex uno latere per profundam crenam, quæ *scissura hepatis*, seu *fossa umbilicalis* audit, ex altero per ligamentum latum. Inter ambos hosce lobos hæret tertius minor, qui cætera pro parte lobi majoris haberi potest, & *lobulus SPIGELII* dicitur.

Notanda præterea de hepate sunt sequentia.

Instructum est superficiebus binis, ligamentis variis, membranis, plurimisque vasis.

1. Superficies externa convexa est, & omnino lævis.
2. — Interna concava est, protuberantiis multis, & excavationibus, excavationes, & protuberantias partium vicinarum excipientibus instructa.
3. Margo superior latior est,
4. — inferior, seu exterior tenuis est.
5. Ligamenta hepatis sunt:



- a. *Ligamentum coronarium.* Exoritur a peritoneo, quod, dum partem diaphragmatis anticam, & posticam obvolvitur, illico hepar: (cum diaphragmate immediate nexum) ex utraque parte ambiens ad marginem usque inferiorem descendit, ibique demum jungitur; unde & hepatis tunica enascitur externa.
- b. *Ligamentum latum, seu suspensorium.* Pari-ter productio est peritonei. Coit nempe hoc ad umbilicum ex utroque latere in unum; ambitque
- c. *Ligamentum rotundum,* quod in infantibus vena umbilicalis fuerat, una cum hoc per fossam umbilicalem ad hepar fertur, & partim una cum rotundo sinui venæ portæ adhærescit, partim vero directione transversali superficiem hepatis convexam superscandit, & cum coronario nequitur.
- d. *Ligamenta lateralia.* Horum ex utroque latere hepatis hæret unum, productiones sunt membranæ hepatis externæ, hinc & peritonei; adfiguntur his ipsis partes hepatis laterales diaphragmati.
6. *Vasa hepatica* tum sanguinea sunt, tum cholephora, tum lymphatica; inter hæc & nervi distribuuntur. Sunt vero sequentia:
- a. *Arteria hepatica;* oritur ab arteria coeliaca, ad faciem concavam hepatis decurrit; ramis innumeris per substantiam hepatis dividitur.
- b. *Vena portæ.* Vena hæc est sat magna, & ampla, quæ ex unione venæ splenicæ, & melaricæ exsurgit. Truncus venæ portæ ad faciem concavam hepatis decurrit, in  
binos

binos ibi finditur ramos, & *sinum* sic dictum *venæ portæ* efformat. Ex ramis hinc binis oriuntur multi alii minores, per omnem hepatis substantiam dispersi. Sinus *venæ portæ* obtegitur membrana sat robusta, elastica, a ligamento lato enata, ab Inventore *capsula GLISSONII* dicta. Ambit hæc *vaginæ* adinstar ramulus licet minimos *venæ portæ*, eosque per totum hepar prosequitur. In capsula hac hæret simul ad quemvis ramum, & ramulum *venæ portæ* ramus arteriæ hepaticæ, ramus ductus hepatici, ramusque nerveus.

Extremities ramulorum minimorum vasorum nunc dictorum convolutionibus suis corpora constituunt glandulosa exigua, a capsula Glissonii pariter cincta mediante substantiæ cellulosæ invicem nexa, *acini glandulosi hepatis* dicta.

- c. *Vena cava.* Truncus hujus inter lobum sinistrum, & lobulum Spigelii prope hepar decurrit, ramos ibi emittit tres, aut quinque, substantiam hepatis subeuntes, *venæ hepaticæ* dictos: fines extremi horum cum extremitatibus arteriæ hepaticæ, & *venæ portæ* per anastomosin junguntur.
- d. *Ductus hepaticus.* Oritur hic canaliculis minimis, *pori biliarii* dictis ab acinis glandulosis; plurimi tales pori confluent in ramos ductus hepatici, donec tandem rami omnes abeant in ramum unicum, seu proprie sic dictum ductum hepaticum. Egreditur hic ex superficie concava hepatis, primum solitarius decurrit, dein ductui cystico unitur.



- e. *Vasa lymphatica.* Magna copia hæc occurrunt in facie hepatis externa, & interna; sub extima jam tunica delitescunt. Ab hepate ad receptaculum chyli feruntur.
- f. *Nervi hepatis.* Oriuntur a plexu hepatico, hic vero enascitur a nervo intercostali, parique vago. Quot ramificationes venæ portæ, tot & rami nervei subtilissimi in hepate adsunt.

Notandum demum est inter sinum venæ portæ, & venam cavam ligamentum albicans, a capsula Glissonii obtectum; in fœtu ligamentum hoc ipsum canalis fuit venosus.

Ufus hepatis est, ut bilem secernat, quæ ex hinc tum in vesiculam felleam, tum intestinum duodenum defertur.

## II.

**VESICA FELLIS, CYSTIS BILIARIA,** vesicula est exigua, pyro oblongo fere similis, in facie lobi majoris hepatis læva, foveæ hunc in finem insculptæ, speciali inhærens.

Dividitur in *fundum*, *collum*, & *corpus*.

*Fundus* pars est latissima, anterior, marginem anteriorem superascendens.

*Collum* pars est postica, angusta.

*Corpus* pars est media,

Componitur cystis fellea *tunicis* sequentibus.

- i. Prima vocatur *tunica membranacea*. Continuatio est membranæ exteræ hepatis.

2. Secunda dicitur esse *tunica musculosa*, & ex fibris variis longitudinalibus, transversalibus, & obliquis composita. Potius tamen tunica est nervea: inter hanc & priorem substantia hæret cellulosa, in qua sita sunt vasa sanguifera, & lymphatica cystidis felleæ.
3. Tertia *tunica est villosa*: villi hujus sunt subtilissimi. Inter eam, ac præcedentem substantia denuo cellulosa sita est, in qua non solum rete vasis sanguiferis, lymphaticis, ac nervis contextum, sed & glandulæ exiguæ hærent, quarum ductus in cavitatem vesicæ patere dicuntur. Tunica hæc ipsa villosa, ad instar villosæ tunicæ intestinorum hinc inde, præcipue vero in collo vesicæ felleæ, plicas format: inposuerunt hæc nonnullis, ut valvulas præsentem adsumferint: quæ tamen hic omnino non sunt.

Oritur ex collo vesicæ ductus, qui *ductus dicitur cysticus*. Ductus hic non recta ex vesicula egreditur, sed in collo incurvatur, hinc inde contrahitur, denuoque dehiscit. Duos circiter digitos transversos longus est: cum ductu hepatico dein unitur; ambo ductus tertium demum constituunt, *ductus coledochus* dictum. Digitos quatuor transversos longus est, recta ad intestinum duodenum fertur, tunicas hujus ad quatuor transversorum a pyloro distantiam perforat; in intestinum hians ab ora emiuenti circumvallatur, uti hoc jam in TABULA VI. dictum fuit.

Dicunt Auctores alios adhuc ductus exiguos in partes cystidis felleæ implantari, eosque ex substantia provenire hepatis: *ductus hepatico-cysticos* hos eosdem dixere. Incertum tamen hæc-

pus est, an in homine adsint, etsi in bobus nunquam non præsentes dicantur.

*Arteria venaque* cystidis felleæ *cystica* dicuntur. Oriuntur illæ ab arteria hepatica, hæ in venam proficiscuntur portæ.

*Nervi* a plexu veniunt hepatico.

Ulus felleæ cystidis est, ut per ductum cysticum adlatum fel tamdiu retineat, donec vel a pressione ventriculi, vel ab aliis causis per eandem viam, per quam ingressum fuit. emulgeatur, per ductum choledochum in intestinum duodenum ulterius promoveatur.



## T A B U L A VIII.

### S P L E N.

#### I.

**S**PLEN seu LIEN corpus est molle ex caru-lescenti rubrum celluloso-vasculosum, in regione hypochondriaca sinistra illico sub diaphragmate inter costas spurias, & ventriculum, supra renem sinistrum situm. Figuræ est subovalis; in statu naturali longitudine septem, octove, latitudine quatuor quinqueve digitos transversos æquat.

Connectitur .

a. Cum diaphragmate per ligamentum latum membranaceum.

b. — extremitate majori, seu sinistra ventriculi, per arterias, vchæque breves.

c.



- c. — rene sinistro , flexura coli sinistra , & omento per membranas,  
 d. — extremitate sinistra pancreatis per vasa , & membranas.

De liene notanda sunt sequentia;

1. *Margines.* 2. *Superior, & inferior.*
3. *Extremitates* duæ *Anterior, & posterior.*
4. *Superficies* duæ *Externa, & interna.* Convexa illa est , & lævis ; concavitatem respiciens costarum spuriarum. Hæc vero concava , sulco in duas denuo subdivisa cavitates minores ; quarum superior à rene sinistro , anterior à parte coli obtegitur. In sulcum hunc , cui & omentum majus adhæret , vasa intrant lienis.

In splene animalium quorundam , v. c. boum , vitulorum adfunt membranæ duæ obvolventes , substantia interjecta cellulosa ab invicem separatæ. In humano tamen liene tunicæ binæ difficulter distinguuntur , quin potius unica non nisi cernitur. Firma ea satis est , in superficie interna substantia cellulari prædita. Continuatio eam constituit omenti , cujus cellulofitas substantiam splenis cellularem subpeditat ; vasa in super splenis concomitatur , & cellulas in hujus substantia efformat.

Substantia splenis ex descriptione vasorum splenicorum simul patescit. Sunt hæc arteriæ , venæ , nervi , vasaque lymphatica.


1. *Arteria splenica.* Ramus est arteriæ coeliacæ , amplior multo , quam pro nutritione lienis foret requisitum , in primis si ratione ad arteriam hepaticam habita spectetur. Reptatu serpentino ad corpus lienis fertur ;

antequam vero viscus hoc ipsum intret, in tres, quatuorve ramos finditur, substantiam illius per sulcum antea dictum subeuntes, in eaque ramificationibus innumeris dispersos, finibus ultimis in tubercula, seu glomeres exilissimos terminatos, qui meræ sunt arteriolarum ipsarum convolutiones. Ex quovis horum glomerum exeunt vascula duo subtilia; alterum horum brevius est, in cellulas splenis patens, alterum longius; idque, uti recentissima Anatomicorum fert sententia, arteria est lymphatica, quæ ob summam exilitatem oculos omnino subterfugere debet. nec prius conspici poterit, quam dum sensim major evaserit, & in venam abierit lymphaticam.

2. *Vena splenica.* Ramus est venæ portæ, hinc valvulis nullis prædita. Antequam splenis substantiam intret, in multos dividitur ramos, per sulcum in illam penetrantes arteriarum ramificationes concomitantes, non tamen ad usque extremitates delatos, nec per anastomosis nexos, sed in cellulas lienis osculis sat amplis patentes.
3. *Nervi splenis* veniunt à plexu splenico; hic vero tum à pari vago, tum à nervo intercostali formatur. Rami hi nervei arteriam splenicam amplectuntur, & una cum ea quaquaversum distribuuntur: hinc pro ratione visceris non adeo magni rami plures adsunt nervei, quam pro sensilitate forent requisiti.
4. *Vasa lymphatica;* conspicienda hæc sese maximam partem in superficiebus lienis sub membrana externa in substantia cellulosa obferunt; venæ solum sunt lymphaticæ.

Patet ex his, quod splen ex plurrimis cellulis constet, universim invicem communicantibus; cætera vero structuræ sit vasculosæ.

Usus lienis est, ut sanguinem hepatis tradendum diluat.



## T A B U L A IX.

### RENES; RENES SUCCENTURIATI; URETERES; VESICA URINARIA.

#### I.

**R**ENES vocantur corpora duo sat firma, coloris profunde rubri, in regionibus lumbaribus extra peritoneum in substantia hujus cellulosa inter costas spurias, ossaque ilei hærentia; dexter subhepatis lobo majori latet, profundior est sinistro, liene tecto, elatiori. Ambo figuram phaseoli referunt; quivis longitudine quinque, vel sex, latitudine tres, vel quatuor transversos æquat digitos,

Notanda veniunt circa renes sequentia :

1. *Superficies.* 2., *Anterior, & posterior,*
2. *Margines* duo : *Convexus, seu major ; concavus, seu minor.*
3. *Extremitates* duæ : *Superior, & inferior.*



Cohærent renes extremitate superiori cum renibus succenturiatis, ac utrisque flexuris coli, in latere dextro sub jecinore, in latere sinistro sub splene; dexter jungitur etiam membranarum ope cum duodeno. Superficies posteriores mediante membrana adiposa ad musculos psoas, & quadratos lumborum firmantur. Margo convexus musculos abdominales, margo concavus corpora superiorum vertebrarum lumborum respicit; in medio est excissa crena, per quam vasa renum omnia intrant, & exeunt.

Renes compositi sunt substantiâ triplici. Extima *corticalis* dicitur, media *vasculosa*, seu *tubulosa*, subjecta huic *papillaris*. Extimam ambit membrana robusta, *membrana renum propria* dicta, à tunica extrema vasorum sanguiferorum deducta. Supra tunicam hanc propriam textus hæret cellulofus, renes laxissime obvolvens, in subjectis obesis pinguedine turgens, à substantia cellulosa peritonei ortus, *membrana adiposa* dictus.

*Vasa renum* sunt arteriæ, venæ, nervi, vasa lymphatica, ductusque specialis excretorius.

1. *Arteriæ, renales*, seu *emulgentes* dictæ, proficiscuntur ex trunco arteriæ aortæ inferioris.
2. *Venæ* iisdem nominibus dicta oritur ex trunco venæ cavæ; quum vero vena cava magis ex dextro, arteria aorta magis ex sinistro latere secundum corpora vertebrarum spinæ descendat, vena renalis dextra brevior, sinistra longior, arteria autem renalis dextra longior, sinistra brevior esse omnino debet. Circa fabricam earum specialem notanda sunt sequentia. Arteriæ per totum renem undique distribuuntur, ac inter substantiam corticalem, & tubulosam arcus formant,

membrana subtili cinctos. Ex ramis his ipsis oriuntur numerosissimi ramuli exigui, utrasque renum substantias penetrantes; qui corticalem subeunt, innumeras in ea faciunt circumvolutiones, eorum extremitates tum cum extremitatibus venarum, tum cum vasis lateralibus, quæ *tubuli audiunt urinaris Bellini*, tum denique cum vasis lymphaticis anastomosibus junguntur. Ex his ipsis contorsionibus, pledebisque variorum vasorum substantia exsurgit corticalis. Trans-eunt præterea vascula parva ex dictis arcibus enata substantiam corticalem; horum quædam superficiem perreptant renum, stellulas exiguas formantia, unde & RUY-SCHIUS *substantiam eam stellatam* dixit; alii vero membranam penetrant adiposam. Tubuli ante dicti urinaris BELLINI arteriis multo angustiores cernuntur, quum earum canales sint laterales secretorii. In fasciculos collecti juxta sese positi sunt; à substantia oriuntur corticali, adhuc ab invicem remoti; magis tamen sensim sensimque ad sese mutuò accedunt, vasis simul interceptis multis sanguiferis, proprieque sic dictam *substantiam tubulosam* constituunt. Fasciculus horum vasorum quilibet papillam tandem format, conii inversi figuram referentem, in apicem obtusum terminatam, in quam tubuli omnes aperiuntur. Papillæ hæc omnes (decem, duodecimve numero) *papillarem* dictam formant *substantiam*. Singulæ papillæ membrana, quæ *calix* vocatur, amittuntur. Calicis cujusvis margo cohæret cum amplo satis cavo, seu *pelvi venum*; pelvis hæc ipsa in minora tria subdividitur

cava, quorum quodvis calices quosdam cum suis papillis continet.

3. *Nervi* renum veniunt à plexu renali, ab intercostali nervo facti.
4. *Vasa lymphatica* occurrunt in renum superficie, sub membrana eorum propria.

De *Ductu* renum *excretorio* postea in specie agetur.

Ufus renum est, ut lotium à sanguine secerant.

#### IV.

**RENES SUCCENTURIATI**, seu **GLANDULE SUPRARENALES**, seu **CAPSULÆ RENALES**, seu **ATRABILIARIÆ** corpora sunt duo glandulosa, quorum ex utroque latere unum supra extremitatem renis superiorem membranæ simul adiposæ inhæret. Figuram referunt triangularem; substantia eorum spongioso-glandulosa est; membrana hæc tenui obtegitur: cohærent cum hepate, liene, pancreate, & renibus ope membranarum subtilium: in centro suo cavitatem recludunt, in statu naturali liquorem ex rubro fuscescentem, unctuosum continentem. Arteriis præditæ sunt, venis, vasis lymphaticis, & nervis.

1. *Arteria* exsurgunt tum ex aorta, tum ab arteriis phrenicis, tum à renalibus; *arteriæ* dicuntur *superarenales*.
2. *Venæ* ejusdem nominis sunt; dextra ex vena cava, sinistra ex vena renali sinistra oritur, etsi & dextra ex vena nonnunquam pro-

proveniat renali dextra. Hiant immediate in  
cavitatem capsulæ cuius insculptam.

3. *Nervi* veniunt à nervis renalibus.

4. *Vasa lymphatica* in utraque superficie sub  
membrana tenui decurrunt.

Ductu nullo excretorio instructi sunt: verò  
tamen videtur simile, venam locum ductus excre-  
torii obire, quum cum eorundem cavitate interna in-  
mediate communicer.

Usus capsularum harum specialis, & proprius  
detectus nondum est.

### III.

**URETERES** pro ductibus renum excretoriis  
haberi queunt. Canales duo sunt membranosi,  
crassitie calicatum scriptorium æquantes, ab renum  
pelvi exorti. Exhinc inflexi nonnihil supra mus-  
culos psoas, & vasa iliaca externa ad pelvis os-  
sium innominatorum feruntur; parti demum poste-  
riori vesicæ urinariæ versus hujus collum inserun-  
tur, membranas illius ea ratione, oblique valde,  
perforantes, ut, dum interne in cavum vesicæ uri-  
nariæ aperiuntur, apertura hæc interna collo vesicæ  
multo magis propinqua sit, quam externa.

Ureter quivis tunicis tribus componitur, pe-  
ritonei substantia cellulosa tectis.

1. Extima tunica *tendinea* fortis satis est, fi-  
bris instructa directione varia decurrentibus
2. Altera *musculosa* est, fibræ hujus sunt exi-  
lissimæ.
3. Tertia *nervæo-membranacea*, communicat  
cum tunica interna pelveos renum, & ve-  
sicæ; vascula habet plurima, & glandulas

numerosas exiguas, mucilaginem pro lubricatione secernentes. Format tunica hæc eadem multas plicas, quas nonnulli pro valvulis venditârunt.

*Arteria, Vasa, & nervi* veniunt à partibus vicinis; usus earum est, ut lotium renum fabrica secretum in Vesicam urinariam deferant.

#### IV.

**VESICA URINARIA** sacculus est membranaceus, in anteriori parte pelveos ossium innominatorum, illico retro ossa pubis extra sacculum peritonei hærens, figuræ subovalis, cucurbitam chemi-  
cam inversam referentis.

Notanda sunt circa vesicam urinariam sequentia:

- a. *Pars superior*, à Veteribus *fundus vesicæ* dicta.
- b. *Pars inferior*, contracta, seu *collum*, in canalem, *urethra* dictum, terminata.
- c. *Superficies anterior, & posterior.*
- d. = duæ *laterales.*

Membranis constat quatuor.

1. *Extima* oritur à peritoneo, hujusque substantia cellulosa, partem vesicæ posticam, & superiorem solum obvelat; *communis* appellari poterit.
2. *Alterâ tunica muscularis* est, fibris prædita plurimis, tum transversalibus, tum longitudinalibus.



nalibus, tum & obliquis, ut vesica undique contrahi queat (*Detrusor urinæ*) Præter hasce fibras alia adhuc collum circumdant, ab sphinctere ani provenientes (*Sphincter vesicæ*) v *Tab. Myolog. XIV.*

3. Tunica *nervea* tertia est, cum nervea ventriculi tunica quoad fabricam omnino conveniens.
4. Tunica quarta *villosa-membranacea* est, cum nervea firmissimè cohærens, unde & à multis pro una eademque describitur tunica sub nomine *nerveo-membranacea*. Cum tunica interna ureterum nexa est, multisque instructa glandulis exiguis, liquorem tenuem in cavum vesicæ secernentibus, quo mediante adrosio hujus ab lotio acri præcavetur.

In medio partis superioris vesicæ occurrit ligamentum rotundum, ex hinc ad umbilicum decurrens, ubi & terminatur: ajunt Auctores nonnulli esse id productionem membranarum internarum vesicæ (*Urachus in fœtu*.) Augetur ligamentum hoc ipsum accessu ligamentorum lateralium vesicæ (*arteriæ umbilicales in fœtu*) unde demum generatur ligamentum unicum robustum, quod *ligamentum vesicæ superius* dicitur.

*Arteriæ, venæque* vesicæ proveniunt ab arteriis, & venis hypogastricis, seu iliacis internis; *Nervi* autem à nervis lumbaribus, uti & à plexu hypogastrico, quem nervus hypogastricus format.

Ufus vesicæ urinariæ est, ut lotium tandiu retineat, donec debito demum tempore evacuetur.



# TABULA X.

## VIRORUM GENITALIA.

**VIRORUM GENITALIA** ratione ad officium habita, in *classes tres* commodè dividi queunt.

- a. Sub *prima* continentur *partes semen secernentes, & preparantes.*
- b. Sub *altera* militant *partes sperma tamdiu adservantes, donec excernatur.*
- c. Sub *tertia* demum collocandæ sunt *partes, semen excernentes.*

Ad *classem primam* pertinent *Testiculi*, horumque *vasa sanguifera, epididymides, vasique deferentia*:

Ad *alteram vesiculæ seminales*;

Ad *tertiam partes penem constituentes.* Dicto nunc ordine partes hasce omnes examinabimus.

### I.

**TESTICULI, TESTES**, ideo dicti fuerunt, quod sexum virilem testentur. Corpora duo sunt, magnitudine ovi columbini, extra abdomen in scroto hærentes, ubi in duobus receptaculis ab invicem separati sunt. Figura eorum ovalis est.

ex utroque latere complanata : notanda de his sunt sequentia :

1. *Superficies duæ, interna, & externa.*
2. *Margines duo, superior, & inferior.*
3. *Extremitates duæ, anterior, & posterior.*
4. *Involucra eorum tam communia sunt, quam propria. Ad communia solum pertinet scrotum. Hujus nomine venit involu-  
crum amborum testicularum, tum membra-  
naceum, tum musculosum. Pars externa,  
pilis obrita productio est cutis corporis,  
constans cuticula, & cute; glandulas mul-  
tas continet sebaceas, rugas multas format;  
externe linea nonnihil eminenti, inæquali,  
*Raphe* dicta, ab inferiori parte penis incipien-  
te, transversim per scrotum lata, & non  
procul ab ano cessante, in partes dirimitur  
duas. Scroti pars musculosa illico sub  
membranosa hæret, & cum hac per substan-  
tiam cellulosam connectitur; tunica *Dar-  
tos* audit. Tunica hæc saccos duos format,  
arcte ad invicem sitos, nexu suo *septum  
scroti* generantes. In quovis sacco te-  
sticulus hæret. Scrotum vasa habet san-  
guifera propria: arteria dicitur *pudenda exter-  
na*, venit ab epigastrica; venæ in saphenam  
vel & in cruralem sanguinem suum  
exonerant,*

Membranæ testium propriæ, testem quemvis in specie amicientes sunt :

1. Prima dicitur *tunica vaginalis*. Mera con-  
stat substantia cellulosa, ab substantia peri-  
toneæ cellulosa exorta. Testem laxissime  
ambit, vasis tamen hujus firmiter adhæret,

In externa, & superiori parte tunicæ huius vaginalis textus cellulofus hæret, *Cremaster* dictus, longitudinaliter tunicam illam circumdana vid. *Tab. Myolog. XIV.*

- b. Secunda tunica dicitur *albuginea* stricta hæc admodum est, ac tendinea, substantiam testiculi immediate obtegens, extrorsum lævis est, introrsum ex ea nascuntur fibræ quædam tendinæ, testiculum subeuntes, septaque producentes parva, queis substantia testium neccitur, ne secedat.

5. *Vasa sanguinea.* Vocantur hæc *vasa spermatica*, suntque sequentia;

- a. *Arteriæ* duæ spermaticæ, quarum ex quovis latere una hæret. O iuntur ab aorta mox infra, quandoque & supra arterias renales, inde longitudinaliter supra musculum psoam decurrunt; membranæ adiposæ renum, ureteribus, glandulis quibusdam vicinis lumbaribus, & peritoneo ramificationes largiuntur, tum serpentino reptatu ad annulos abdominales feruntur, per illos excurrunt, cum venis spermaticis, vasisque deferentibus junguntur, & cum illis *funiculum* sic dictum *spermaicum* formant, tunica vaginali circumdatum. ubi etiam vasa lymphatica ab Auctoribus quibusdam adsumuntur. Dum arteriæ spermaticæ ad testiculos pervenerunt, in tres quævis ramos abit, quorum unus per tunicam vaginalem dispergitur, alter in epididymide ac initio vasis deferentis evanescit, tertius ad ipsum testiculum decurrit, de quo mox plura dicentur.

b. *Venæ duæ Spermaticæ*, ex quolibet latere pariter una. Ramificationibus plurimis exiguis oriuntur à testiculo; conjunctæ hæ ramos majores formant, qui, ex quovis latere, hinc inde excurrunt, & ratione ad figuram habita *corpus* sic dictum *pampiniforme*, seu *pyramidale* constituunt. Corporis hujus pampiniformis rami omnes in unum denuo coeunt truncum, qui secundum arteriam spermaticam progreditur, quorumque dexter in venam cavam, sinister in venam renalem sinistram terminatur.

6. *Nervi* oriuntur hi partim à nervis lumbaribus, partim à plexu mesaraico posteriori, a quo in quovis latere ramus longus ad testinulum excurrit.

7. *Substantia*. Constat ex meris vasculis. Tertius enim ramus arteriæ spermaticæ, uti jam dictum est, in testiculo evanescit, & ex illo tenuiores, & subtiliores oriuntur canales, qui non explicando modo inter sese invicem, contexuntur. Canales hi omnes finiuntur tandem in receptaculum album, oblongum, *nucleus*, seu *corpus* HIGHMORI dictum, mox sub margine testiculi superiori reperiendum, atque à fibris tendineis, à superficie interna tunicæ albuginæ ortis, inque testiculum intrantibus, formatum. Ex nucleo hoc eodem oriuntur 5. vel 6. canales, tunicam albugineam in extremitate antica testiculi perforantes, atque externe, super marginem superiorem testiculi multas curvaturas, & implicationes formantes, quæ ad extremitatem testiculi posticam porriguntur; hincque oritur corpus longiusculum vasculosum, *epididymis*, seu *testiculus accessorius* dictum. Epididymis itaque nil nisi continuatio substantiæ est testiculorum, seu implicatio, & textus canalium



plurimorum, septis membranaceis pariter invicem nexorum.

Epididymis quævis dividitur a ) in *caput*, seu initium in extremitate antica testiculi, & b ) in *caudam*, seu finem in extremitate postica. Ambabus extremitatibus testiculo arcte adhæret; in medio autem per subtilem & tenuem membranam laxè solummodo connectitur.

Omnes isti contorti dicta ratione canales cujusvis epididymis terminantur demum in canalem unicum, *canalis* seu *vas deferens* dictum. Vasa hæc duo deferentia, secundum vasa spermatica, in tunica vaginali testium ad annulum usque abdominalem ascendunt, ita, ut vasa spermatica anteriori, deferentia posteriori loco hærent. Retro annulum à parte interna abdominis, sub peritonæo separantur vasa deferentia à spermaticis, ad latera pelveos descendunt, atque oblique ad collum vesicæ pergunt, ubi & arcte adhærent, ac vesiculis seminalibus in illarum collo implantantur.

## II.

*Vesiculae seminales*, seu *vesiculae spermaticæ* corpora duo sunt alba, mollia, nonnihil tumentia, longitudine tres circiter transversos digitos, latitudine unum digitum transversum æquantia; hærent inter intestinum rectum, & collum vesicæ ea ratione, ut parte superiori, seu *fundo* nonnihil remotiores, inferiori, seu *collo* magis sibi propinquæ sint; hoc tamen non obstante situ vesicula una cum altera neminimam quidem communicat.

Substantia earum meris constat cellulis, seu canaliculis, externa forma intestinula exigua referens, quæ ope membranae de. sæ elasticæ, fibris muscularibus auctæ, amiciuntur. Vesicula quævis ductu proprio excretorio, *ductus ejaculatorius* dicto, instructa est; oritur à collo vesiculæ, in sulco glandulæ prostratæ excurrit, patet in urethram supra eminentiam ibi sitam, *verumontanum* dictam.

Ufus descriptarum hæctenus partium sequens est: ex sanguine per arterias spermaticas ad testes lato pars lymphatica ad testiculum venit, ibique ope circulationis lentissimæ in sperma mutatur; sperma hoc per vasa epididymidis, vasque deferens ad vesiculas fertur seminales, ubi tamdiu adservatur, donec suo tempore natura superfluum expellat.

## III.

**PENIS, seu MEMBRUM VIRILE** componitur corporibus binis cavernosis, urethra una, glande uno, nonnullis glandulis, vasis sanguiferis, & lymphaticis, nervis, musculis, & integumentis.

I. *Corpora cavernosa*, seu *spongiosa penis* canales duo sunt spongiosi, flexiles, partem penis superiorem, *dorsum* dictum, partesque ejus laterales constituentes; substantia eorum meris absolvitur cellulis, seu cavernulis; externe membrana densa, firma, elastica amiciuntur. Pars canalishu us postica, quæ ejus *radix* audit, oritur ex utroque latere à medio marginis inferioris ossium innominatorum: ubi nempe os ischion cum osse pubis jungi-

tur, corpora cavernosa utrinque secundum marginem inferiorem ascendunt ad usque symphyse ossium pubis, ubi coeunt, & ad ductum urethrae currunt ad usque glandem. Ubi vero invicem coeunt, membranae, quibus involvuntur externae a se inter sese firmanur, hincque *septum corporum cavernosorum* enascitur. Etsi quidem hoc ipso septo corpora cavernosa utraque separentur mutuo, hinc inde tamen, nris anteriora versus, foramina quaedam intercipiuntur, quorum ope inter sese communicant: formant insuper corpora haec eadem coeuntia tum superne in dorso, tum & inferne sulcum; superiori vena, inferiori, eique nonnihil majori, maxima pars urethrae inhaeret.

Anterior corporum cavernosorum pars, *caout* dicta, subrotundum est, finitur in parte postica glandis, nec minimam tamen cum hac alit communicationem.

2. *Urethra* canalis est membranaceus, cuius orificium posticum à collo vesicae oritur; unde & pro continuatione hujus urethra est habenda. Ex hoc ortu canalis nunc dictus nonnihil progreditur, extra abdomen prodit, sulci corporum cavernosorum inhaereus producitur, demumque in anteriori glandis parte orificia longitudinali hiat. A collo vesicae usque ad exitum ex abdomine structura urethrae mere membranacea est; constat nimirum membranis binis quarum interior nerveo-tendinea est, vasculis plurimis sanguiferis dotata, poris exiguis pertusa, quae *licuae urethrae* audiunt, & per totam longitudinem urethrae occurrunt. Orificia sunt canalium, qui, uti postea demonstrabitur, à glandulis ibi loci circumpositis enascuntur. Membrana urethrae externa pariter tendinea est, interior



ri, primæque immediate adhærens. Dum vero urethra abdomen est egressa non jam pure membranacea est, sed substantia subtili spongiosa, seu cellulosa, seu cavernosa augetur, membranis utrisque interjecta. Substantia hæc spongiosa ad exitum suum corpus format crassum, oblongum, bulbum referentem, unde & *Bulbus urethræ* adpellatur. Bulbus hicce quodammodo dividitur, & urethram ad extremitatem usque anteriorem circumdat.

In urethræ parte postica, interna eminentia quædam exigua, nonnihil oblongata posita est, quæ *caruncula*, seu *verumontanum*, seu *caput gallinæ* dicitur; in hæc ostia ductuum excretoriorum vesicularum seminalium; cuius adnata est ora parva, subtilis, membranacea, speciem valvulæ referens. Circa verumontanum decem, duodecimve disposita sunt orificia ductuum excretoriorum, ex glandula prostata exsurgentium.

3. *Glans*, seu *Balanus* pars est antica, crassa, eminentis substantiæ cavernosæ urethræ; componitur hinc cellulis, seu cavernulis, quæ amittuntur membrana interna urethræ, hic loci tenuissima papillis plurimis nerveis dotata. Glans conum refert basi nonnihil excavata, capita corporum cavernosorum excipiente; margo basalis hujus ejusdem, *corona glandis* dictus, juxta sententiam Cl. LITRE, præditus est glandulis numerosis sebaceis, humorem unctuosum, lubricum secernentibus. Coni glandis apex recoudit orificium, seu potius finem urethræ.

4. *Glandula prostata* glandula est conglomerata, composita glandulis numerosissimis exiguis; inter collum vetricæ, bulbumque urethræ hærens. Fi-

gura ejus conica, simulque latefcens eft; bafi veficam urinarium, apice bulbum, parte latiori, inferna inteflinum rectum refpicientibus à bafi ad apicem excurrit fulcus, cui inhæret urethra, & à quo glandula hæc in binos quali dirimitur partes. Ambit glandulam hanc membrana denfa, elaftica, quæ continuatio eft membranæ ambientis veficulas feminales; ductibus inftituitur decem, duodecimve excretorius, in parte poftica urethræ, circa verumontanum apertis.

5. *Glandula mucofa majores COWPERI*, feu *antiproftata*, feu *proftatæ inferiores* glandulæ funt duæ exiguæ, ex utroque latere, ante proftatam, fub mufculis acceleratoribus, hærente una. Quævis ductu gaudet fat longo, & amplo excretorio, in medio fere urethræ aperto.

6. *Glandula mucofa minor COWPERI* glandula eft conglobata multo minor, quam præcedentes; hærens magis anteriora verfus non procul à bulbo urethræ; ductu & hæc inftituta eft longo excretorio, propæ priorem, in medio fere urethræ hiante.

7. *Glandula mufæ urethræ*; glandulæ fic vocantur numeroſæ, femina milli referentes, difpofitæ per omnem fubftantiam urethræ inter membranas illius ambas; ductus cuiusvis eft excretorius, in membranam urethræ internam, orificio fuo, quod antea lacunam diximus, apertus; pleræque glandularum harum anteriora verfus hærent: etfi quidem & pofteriori loco, pauciores tamen, occurrant; una adefit reliquis omnibus maior, quæ proprio nomine *glandula LITTRII* adpellatur.

Glandulæ nunc deſcriptæ omnes licuorem feernunt mucilaginoſum, veficam urinarium nunquam

quam non lubricantem, ne ab lotii acrimonia male adfici queat.

8. *Vasa penis humani hæmatopora sunt:*

a. *Arteriæ pudendales.* Oriuntur ab arteriis hypogastricis; in externas, & internas dividuntur, inter sese invicem tamen communicantes; plurimis ramis disperguntur supra corpora cavernosa penis inque his ipsis, uti & in glande, ac urethra. Ex arteriis hæc sanguis non immediate in venas, sed in cellulas prius exoneratur, quibus tum corpora spongiosa, tum & urethræ spongiosa substantia componuntur; ex hinc demum in venas transgreditur.

b. *Venæ penis plurimæ adsunt;* maxima ex illis secundum longitudinem partis superioris corporum cavernosorum, in sulco ibi hærente excurrit; *vena pudendi dorsalis* dicitur. Sanguinem suum venæ hæc venis tradunt hypogastricis.

9. *Vasa lymphatica* sub cuti penis decurrere, liquidum contentum in venas hypogastricas effundere ab Auctoribus adseritur.

10. *Nervi* veniunt tum à nervis lumbaribus, & sacris, tum & à nervo intercostali. Formant simul post symphyin ossium pubis plexum, à quo rami enascuntur magni, secundum ductum corporum cavernosorum excurrentes.

*Musculi* peni proprii in *Tabula myologica XIV* fuerunt expoliti.

19. *Integumenta sunt :*

- a. Primum, idemque extimum absolvitur *cuticula*, & *cute*; continuatio est cutis abdominis, ac scroti. Inhæret corporibus cavernosis, cum his ipsis mediante substantia cellulosa ad coronam usque glandis nexa est; exhinc ulterius procedit, glandem, quin tamen eidem minimum adnata, aut adhærensens sit, obteggit sub nomine *præputii*; interior hujus facies instructa est cuticula subtiliori a glande præveniente, circa basin glandis firmiter adnata; ubi pars inferior *frenulum præputii* vocatur. Involucro huic externo arteriolæ inferuntur exiguæ, ab arteria crurali ortæ, *arteria pudendales externa minores* dictæ. Ubi præputium cum glande nexum est, multæ adjunt glandulæ sebaceæ.
- b. Involucrum alterum, nunc exposito subjectum substantia solum cellulosa constituit; *membrana cellularis* audit.
- c. Tertium salutatur *membrana tendinea propria*. Corpora cavernosa immediate obvolvitur; membranaque tortior, tendinosa est. A corona glandis postrosum ad symphy sin u. que ossum pubis fere expanditur, ubi ductilitate sua supra sulcum superiorem corporum cavernosorum ligamentum format elasticum, robustum, *ligamentum suspensorium penis* dictum. Ascendit hoc, & symphysis ossum pubis adfigitur.
- d. Sub involucro hoc denuo *substantia* hæret *cellulosa*.

Notior est, quam ut hic latius exponatur, penis humani usus.

## TABULA XI.

## FEMINARUM GENITALIA.

**FEMINARUM GENITALIA** distinguuntur in ea, quæ abs dissectione vel minima externe illico patent; ac in illa, quæ intra cavum hærent pelveos: priora *externa* dicuntur, hæc *interna genitalia*.

*Ad genitalia externa referuntur:*

1. *Labia duo*, seu *ala majores*. Vocantur sic duæ plicæ ab integumentis communibus efformatæ, pinguedinem plurimam recondentes, sebum sæpe numero referentem; unde & crassæ, ac in illis, quæ frequentiori ad tactum partes has non exposuerunt, compactæ, firmiorisque structuræ sunt. Oriuntur ab synchondrosi ossium pubis, & ad anum usque excurrunt, fissuram intercipientes, quæ *vulva*, seu *rima*, seu *sinus* adpellatur. Nexus superiori, interiorique parte *commissurarum* titulo insigniuntur. Supra commissuram superiorem pars est elatior, *mons veneris* dicta; & hæc quoque constat pinguedine compacta, densaque; externe crinibus copiosissimis crispis, incurvis obsita est. Ad commissuram inferiorem hæret ligamentum transversum, *frenulum vulvæ* dictum, una cum interna, inferiorique parte ambarum alarum cavi speciem formans, quæ *fossa navicularis* audit. Frenulum in Virginibus tensum est, in feminis flaccidum, in il-

lio,

lis, quæ frequentem ediderunt partum, plerumque dilaceratum. Spatium inter frenulum ac anum *perineum* dicitur; quod perineum plerumque pollicem æquat, repetito partu minus redditur, partu vero d'fficili nonnunquam omnino dilaceratur. Superficies externa labiorum crinibus pariter est hirta, interna vero lævis, glabra, glandulis multis sebaceis instructa, liquidum mucilaginosum pro lubricatione, ac humefactione internarum partium recementibus. Adserit *U. GARENGEOT* invenisse se sub exteriori partium harum examine & fibras musculares.

2. *Alæ duæ minores*, seu *Nymphae*. Hæ quoque plicæ duæ sunt, ab interno labiorum integumento enatæ, lobulis illis, qui gallinarum, gallorumque inferioris rostri radici, gutturique adcreti sunt, æmuli. Ad latera hærent, labiorum superficiel internæ adcretæ; incipiunt sub clitoride, in vaginæ lateribus evanescent. Componuntur membranis, substantiam spongiosam recludentibus, cujus ope rigescere queunt; gaudent insuper glandulis multis sebaceis, quibus liquo mucilaginosus scernitur; tum papillis plurimis nerveis, unde & sensu illiæ sunt. In virginibus læte rubent, & crispæ sunt, in feminis autem frequenter enixis, albet, & flaccidæ pendent: usus earum est, ut tum effluens dirigant lotium, ne per femora defluat, tum & sensilitate sua insigni illecebras voluptatis augeant.

3. *Clitoris*, corpus est parvum glandiforme, illico sub commissura labiorum superiori loco interiori hærens, plica involucris, nympharum productionis, quæ speciatim *præputium clitoridis* audit, læxe obductum. Constat clitoris corporibus binis cavernolis, utrinque à tuberositate ischii exortis,

in latere ossium pubis interno adscendentibus, ad horum symphysin unitis, eaque unione, ad modum corporum cavernosorum: penis, septum eformantibus, quod pari ratione perforatum est, ut spongiosum corpus unum cum altero communicet. Firmatur superiori loco clitoris ad symphysin ossium pubis ope ligamenti suspensorii; corpora illius cavernosa musculis instructa sunt erectores binis, V. *Tab. myolog. XIV.*

Hærent & *glandula sebacea* circa clitoridem, liquidum secernentes subviscidum; *papilla* in super plurimæ *nerveæ*, quarum præsentia clitoridem summe reddit sensibilem: in hac eadem parte voluptatis sensus in feminis est imperium.

*Vas* clitoridis oriuntur a vasis hypogastricis.

4. *Urethra.* Est Urethra canalis membranaceus, quoad fabricam cum urethra virili conveniens: componitur siquidem a) membranis binis, externa, & interna, b) his utrisque substantia interjecta est spongiosa, eique c) inhærent glandulæ parvæ, quæ ductibus suis excretoriis in membrana interna patent, lacunas formant, perque has humorem, lubricantem urethram secernunt. Urethra oritur à collo vesicæ, longitudine pollices circiter duos æquat, diameter ejus amplior paulo diametro urethræ virilis; hinc illico sub clitoride inter utrasque nymphas.

5. *Vagina uteri.* Canalis est amplus, sex, septemve pollices longus sub ipso urethræ orificio ostio, quod *orificium uteri externum* dicunt, incipiens, ab exterioribus introrsum proficiscens, ad orificium uteri internum finitus.

Constat vagina membranis tribus.

- a. Prima, eaque intima *membrana* vocatur *nervea*. Ampla quidem ea est, multas tamen rugas, plicasque format, inter quas lacunæ hærent, ortæ à ductibus excretoriis glandularum exiguarum faciei internæ membranæ hujus ejusdem insidentium. Occurrunt imprimis lacunæ duæ, seu officia bina non procul ab utero externo orificio, ubi utriusque nymphæ finiuntur; lacunæ audiunt **BARTHOLINI**; sunt vero ostia ductuum duorum excretoriorum binarum glandularum majorum; humorem pariter secernunt mucilaginosum.
- b. Media membrana vocatur *muscularis*; constat maximam partem fibris longitudinalibus. Refertur huc etiam potest Sphincter vaginæ. V. *Tab. myologicam* XIV.
- c. Tertia, extima *membrana* cellularis est, à peritonæo exoriens. *Vas sanguis* uteri veniunt ab arteriis, & venis hypogastricis; ramisque plurimis inter tunicas vaginæ disserguntur. *Nervi* à nervis sacris profisciscuntur. Notari adhuc in vagina *plexus retiformis* debet; constat hic a) *Vas sanguiferis* copiosissimis, inter sese quasi intertextis. b) *substantia spongiosa*; ambit maximam partem vaginam, imprimis orificium uteri internum.

c. *Hymen*, seu *circulus membranaceus*; membrana est circa marginem orificii uteri externi tensa, ab interna vaginæ tunica efformata. Occurrit solum in virginibus, nisi fors ex proposito artis auxilio & in his aboleatur; alias autem per primos laceratur coitus; hocque factò reliquæ quædam hymenis supermanent, sub forma verucarum catenæ.



neum circa marginem illum hærentes *carunculae virginales*, seu *myrtiformes* dictæ.

Ad interna *feminarum genitalia* refèrri debent sequentia:

## I.

*Uterus* seu *matrix*, vocatur sic viscus hærens inter vesicam urinariam, & intestinum rectum; interne cavum; in *fundum* seu partem supernam, latiore, & *collum*, seu partem inferoam, angustioram divisum: fundus uteri maximam partem liber hæret; partes tamen ejus laterales quatuor ligamenti in debito retinentur situ. Bina ex his *ligamenta lata* dicuntur, de quibus postea; reliqua *ligamenta rotunda* audiunt. Oriuntur hæc à partibus lateralibus, & superioribus fundi uteri, amiciuntur substantia cellulosa ligamenti lati; vasa continent sanguinea plurima, quæ ramificationes sunt vasorum spermaticorum; annulum abdominales recta transeunt, ac in pinguedine finiuntur labiorum, montisque veneris. Collum uteri subrotundatum nonnihil vaginæ inmittitur, ostio transversali, quod *orificium uteri internum* dicitur, in eam hians.

Substantiam uteri quod adinet, maximam partem vasis composita est, quibus tamen interjectæ etiam fibræ musculares, cellulæ spongiosæ, & nervi. Singula seorsim exponentur; prius tamen considerandæ sunt *membranae* uteri binæ, *externa*, & *interna*. Membrana uteri externa nil nisi plica peritonei est, quæ eadem ratione vesicam urinariam, mediumque intestini recti ambit. Totum involvit uterum; & ex utroque latere membranam duplicatam format, quæ adinstar ligamenti lati à



partibus uteri lateralibus ad os usque ilei excurrit, ibique adnectitur. *Ligamentum* hoc dicitur *uteri latum*; inter binas hujus membranas substantia hæret cellulosa, cui insident ovaria, tubæ uteri, vasa varia, & ligamenta uteri rotunda.

Membrana uteri interna membrana est tenuis nerveo - villosa, cavitatem illius internam obvelans. Notanda circa hanc sunt sequentia.

- a. Formare eam rugas plurimas, seu plicas, quarum beneficio sub graviditate ea extendi apta nata est.
- b. Instructam eam esse lacunis multis, villisque, per quos humor aqueus in cavum venit uteri; ex quibus etiam, uti probabile maxime videtur, sanguis menstruus periodice scaturit.
- c. Villos nil nisi extremitates esse canalium lateralium arteriarum; villi hi in statu graviditatis abolentur, tumque uteri facies interna lævissima est.
- d. Hærere in collo, ac orificio interno vesiculas exiguas, rotundas, albas, diaphanas, liquorem lymphaticum continentem. Copiosissimæ hæc occurrunt vesiculæ in gravidis. Ajunt Auctores nonnulli, esse hydatides; alii pro ovulis eas venditant, ac, ab inventore, sub *ovarii NABOTHI* nomine describunt; alii denuo autumant, esse glandulas, e. s. p.

Inter membranas has ambas hærent.

1. *Vasa innumera:*

a. *Va.*

- a. *Vasa spermatica*, quibus tum arteriæ, tum venæ comprehenduntur. Exoriuntur, uti in viris, ex arteria sacra inferiori; ramis plurimis distribuuntur per uterum, ac ovaria.
  - b. *Arteria, & vena uterina*, à vasis hypogastricis ortæ, ramificationibus plurimis per uterum dispersæ. Notandum simul hic est, venas uterinas carere valvulis.
  - c. *Vasa lymphatica* in gravida sub membrana externa sese detexisse Ill. MORGAGNI adferit.
2. *Fitræ quædam musculares*. Occurrunt hæ nonnunquam in subjectis robustis, carnosis, & gravidis. Ait RUYSCHIUS, observasse se in superficie interna fundi uteri stratum musculare, quod *musculum* vocat *orbicularem uteri*, eique sanguinis congrumati, secundinarumque ex utero expressionem adtribuit.
  3. *Cellula spongiosa*; formantur hæ ab contextu infinito vasorum sanguineorum.
  4. *Nervi* quidam, à plexu hypogastrico, nervisque sacris orti.

Ufus uteri est, ut a ) graviditatis tempore contineat fœtum; b ) Extra graviditatem sanguis in ea excernatur menstruus.

## II.

*Ovaria*. Sunt corpora duo lata, compressa, oblonga, albertia, quorum ex utroque latere uteri, ad duos circiter ab ejus fundo pollices, unum



intra ligamenta lata hæret ; utero ope parvorum ligamentorum latorum , quæ *alæ* audiunt *vespertilionum* adnexum. Præter tegmen latorum ligamentorum ovarium quodvis membrana adhuc investitur propria , atque hæc ipsa substantiam continet ovariorum. Componuntur autem ovaria vasculis diversis, nervis, cellulis, & vesiculis.

1. *Vascula* tum lymphatica sunt, eaque copiosissima ; tum sanguifera à vasis orta spermaticis.
2. *Nervi* multi adsunt , a nervis venientes uteri.
3. *Vascula* hæc , & *nervi* contorsionibus suis *cellulas* formant multas.
4. *Vesiculae* exiguae sunt, molles, diaphanæ , cohærent cum extremitatibus vasculorum minimorum in substantia ovariorum ope canalis exigui, qui *calix* audit, & *ovula* vocantur. Numerus ovulorum horum in quovis ovario differt ; si nullum desit, 18 vel 20. adsunt. In feminis qui numerosos ediderunt partus, numerus ovulorum minuitur, eorumque loco cicatrices remanent.

Ovulum quodvis componitur membranis binis , intra has easdem liquor aquosus hæret. Usus eorum in conceptionis est negotio ; tum enim unum, vel & plures à calice aveillantur, per tubas fallopianas ad uterum deferuntur, ac ab humano semine fecundantur.


### III.

*Tuba fallopiana uteri.* Sunt fallopianæ tubæ canales duo membranacei , incurvi, quorum ex  
utro-

utroque latere uteri unus hæret, sex octove transversos digitos longus. Oriuntur orificio uno superius, & lateraliter ex fundo uteri, exhinc lateraliter decurrentes sensim latefcunt, demumque orificio lato cavum abdominis respiciente, patent. Orificium hoc fibræ ambiunt carneæ, *fimbriæ* dictæ.

Componuntur tubæ hæ *membranis* binis: exterior venit à ligamento lato; interior productio est membranæ uteri internæ, quæ in facie sua externa glandulis exiguis, fibrisque carneis obsidetur. Inter ambas autem membranas hasce distribuuntur vascula plurima sanguifera in substantia ibi hærente cellulosa.

Ufus tubarum est, ut sub conceptione ovula per fimbrias suas a vulva ad uterum deducant



## T A B U L A XII.

### FOETUS; HUIUSQUE PARTES.

**D**um per utriusque sexus coitum femina concipit, ovulum, à ipermate virili fœcundum redditum per tubas fallopianas ad uterum defertur; hoc facto, uterus sensim sensimque magis expanditur. Vasa omnia, sanguinem rubrum prius non admittentia, contorta, inplexa, oculis vix conspicua jam majora fiunt, ampliora, longiora. Hac ratione spatium internum augescit, ut ovulo semper incrementi, fœcundo reddito obex non ponatur. In ovulo tali, facto conceptu, vermiculi longiusculi figura conspicitur, quæ tamen mox in vesti-

culas binas mutatur; ad crescunt his sensim partes aliæ, tumque species ranæ juvenulæ exhibetur; tandem vero figura humana evolvitur, corpusculumque hoc *fœtus humanus*, seu *Embryo* dicitur, continuo incremento augendus.

Circa fœtum nunc descriptum notanda veniunt sequentia:

- a. *Integumenta*, seu *involucra*.
- b. *Placenta uterina*.
- c. *Funiculus umbilicalis*.
- d. *Diversitas ab adulto*.

1. *Integumenta*, seu *involucra fœtus* duo sunt:

- a. *Internum Membrana amnios* dicitur. Tenuis est, & subtilis, vasis sanguiferis aut omnino nullis, aut paucissimis solum, constans, sed meris fibris nerveis, & vasculis seroso-lymphaticis composita. Inter tunicam hanc, & fœtum liquor hæret, qui *liquor amnii* dicitur. Notandum etiam est, infantes haud raro tegmen secum ex utero adferre, *mitra* nomine veniens: mitra hæc nil nisi portio est membranæ amnios, quæ ob defectum liquoris amnii partibus corporis, in primis autem capiti adhærescit.
- b. *Involucrum alterum externum membrana chorion* audit; crassior hæc est, & robustior; vasis scatet sanguiferis plurimis, laminisque binis componitur, quarum intima cum præcedente firmiter cohæret, externa vero interna pariter quidem adnexa est, in uno tamen loco debilitat, placentamque recipit.

Præter membranas nunc expositas in animalibus tertia adhuc occurrit membrana; in equis hæc hæ-

hæret inter ambas prius dictas , in reliquis animantibus pariter quidem inter easdem membranas , in eo tamen non nisi loco interjecta est , ubi vasa umbilicalia placentæ inseruntur. *Tunica* hæc audit *alantois* , seu *farciminalis*. In hominibus non adest , sed lamina interna chorii à quibusdam pro ea habentur.

2. *Placenta uterina* dicitur corpus latum , complanatum , rotundum , cellulis & innumera vice inter sese intertextis ramificationibus vasorum umbilicalium compositum ; faciei uteri internæ adnexum , utrinque choro obductum. Chorion enim uti antea dictum fuit , laminis binis componitur , quarum una convexam , altera concavam placentæ faciem obvelat : illa adhæret utero , hæc libera est ; in medio autem funiculus adcretus umbilicalis.

Ufus placentæ est , ut firmet membranas foetus , foetum ipsum ; tum & ut sanguinis matrem inter ac foetum circulatio conservetur perpetua.

3. *Funiculus umbilicalis* canalis est tres , vel quinque spithamas longus , ab umbilico foetus in placentam usque productus , interne substantiam cavernosam recludens , cui inhærent vasa umbilicalia , à liquore ibidem secreto mucilaginoso lubrica reddita.

Vasa ipsa umbilicalia sunt sequentia :

a. *Vena umbilicalis*. Oritur hæc ex placenta ramificationibus plurimis ; in diametro sua ampla satis est , tum longitudinaliter per funiculum , & anulum umbilicalem foetus excurrit , hinc supra peritoneum , à quo plica quasi per decursum obtegitur , in sinum

proficiscitur venæ portæ, ubi demum finitur. Usus ejus est, ut sanguinem ex placenta in fœtum vehat.

- b. *Arteriæ duæ umbilicales.* Oriuntur in abdomine fœtus ab arteriis hypogastricis; ex hinc secundum latera vesicæ urinariæ ascendunt, supra peritoneum excurrunt, anulum umbilicalem fœtus transeunt, in funiculo secundum longitudinem venam umbilicalem ambiunt, in placenta uteri ramificationibus plurimis terminantur. Usus earum est, ut sanguinem ex placenta ad fœtum deducant.
- c. *Caalis membranaceus*, qui continuatio quoque modo est vesicæ urinariæ, & *Urachus* dicitur. Oritur hic à superiori parte vesicæ urinariæ, ex hinc inter arterias ambas umbilicales ad umbilicum ascendit; arterias, venasque umbilicales concomitatur, ac in tunicam sarciminalem terminatur. Loquor hic de uracho animalium, in quibus semper occurrit apertus, in fœtu vero humano apertus raro est, sed ligamentum nonnisi exhibet, ab urinaria fœtus vesica ad umbilicum hujus usque excurrans. Inventus tamen & in ipso humano fœtu fuit apertus; & Auctores non solum in infantibus, sed & in ipsis adultis apertos viderunt urachos.

q. *Diversitas fœtus humani ab adulto sequentibus in primis absolvitur:*

- a. In fœtu canalis ex sinu venæ portæ in venam cavam excurrit, qui *canalis venosus* dicitur; in adultis ad modum arteriæ, venæque umbilicalis in ligamentum abit.


b. He-



- b. Hepar foetus, proportione respectiva, majus est, sanguine plus turget, quam in adulto; altius insuper in thorace hæret, quum nulla adsit respitatio, hinc & actio nulla diaphragmatis.
- c. In septo, inter aurículas utraq; cordis hærente, in foetu foramen est, *foramen ovale* dictum. In adultis foramen hoc ipsum plerumque concrevit.
- d. Ex trunco arteriæ pulmonalis in foetu canalis ad truncum arteriæ aortæ oblique fertur, *ductus*, seu *canalis BOTALLI* dictus. In adultis vertitur in ligamentum.
- e. *Valvula EUSTACHII* ad initium venæ cavæ interioris hærens, in foetu major, & conspicua magis est, quam in adulto.
- f. Pulmones foetus nigricant, collapsi sunt, in aquam projecti ad fundum descendunt. In adulto sanguinei coloris sunt, expausi, aquæ inuadunt.
- g. Glandula thymus, processus vermiformis, renesque succenturiati proportione respectiva majores multo sunt, & ampliores in foetu, ac in adulto.
- h. Intestina, & ventriculus foetus materie viridescenti, tenaci, *meconium* dicta, scatent.
- i. Ossa cranii in foetu suturas nullas habent. *V. Tab. IV. osteolog.*
- k. Dentium & alia in foetu, quam in adulto, forma. *v. Tab. XV. osteolog.*
- l. Ea solum portio meatus auditorii ossea est, in qua hæret sulcus, cui adtensa est membrana tympani, & qui *circulus osseus* dicitur, & qui *circulus osseus* dicitur, Portio reliqua cartilaginea sensim ossea fit.

m. Membrana tympani in foetu membrana alia subtili obducitur, post partum evanescente. *V. Osteogeniam KERKRINGII pag. 222.*

Omnia demum ossa in genere sat in foetu adhuc imperfecta sunt. *loc. cit.*



## T A B U L A XIII.

### MAMMÆ.

**M**MAMMÆ vocantur binæ eminentiæ, plus minusve magnæ, rotundæ, in anteriori, & non-nihil laterali thoracis parte hærentes. Sunt in viris non minus, ac in feminis. In illis pulchritudini solum externæ inserviunt, in his & secretioni simul dicantur lactis, quo infantes juniores nutriuntur. Exhibent saccos duos membranaceos, quorum lamina inferior pectorali incumbit musculo, superior integumentis tegitur cutaneis; intra lamias has utrasque pinguedo hæret cum glandulis, vasis diversis, ac nervis.

1. *Pinguedo*, membrana adiposa contenta partem absolvit maximam.


2. *Glandula* copiosæ adsunt, à pinguedine colore subrubro discretæ. Ambit has undique, imprimis vero in medio mammarum, substantia cellulosa alba; hic etiam loci oriuntur ductus multi excretorii ex glandulis hisce, qui in ramos confluent majores, tumque *ductus* dicuntur *lactiferi*.


3. *Du:*

3. *Ductus hi lactiferi* ad radicem excurrunt papillæ, circa quam ea ratione inplexuntur, ut circulum quasi forment, ex quo 8. vel 10. ductus oriuntur, in papillam aperti. *Papilla* dicitur prominentia externa, circa quam circulus subruer conspicitur, qui *areola* dicitur, glandulisque multis instructus est sebaceis. *Papilla* quævis externa e idermide, & cute tegitur, quæ tamen hic loci tenuissima est, papillisque plurimis nerveis prædita, unde papillarum enascitur sensilitas. In substantia papillæ ad sunt fibræ tendineo-elasticae, circa quas substantia hæret spongioso-cavernosa, huicque interjiciuntur ductus lactiferi, ex circulo antea dicto enati, in apicem terminati papillæ.

4. *Vasa mammanum sanguifera arteriæ* sunt, & *venæ*, quæ *mammariæ* audiunt. *Arteriæ mamariæ* tum externæ sunt, tum internæ. Illæ oriuntur ex arteria axillari, hæ ex arteria subclavia, secundum faciem internam sterni descendunt, ad cartilagineum xiphoidem musculos perforant, & cum arteria epigastrica anastomosi junguntur. Rami arteriarum internarum trans musculos intercostales ad mamas feruntur. *Venæ mamariæ* in venas subclavas, & subaxillares abeunt.

5. *Nervi mammarum* veniunt à nervis dorsalibus, quorum ope cum nervo intercostali communicant.





## T A B U L A XIV.

PARTES CIRCA THORACEM, INQUE  
EJUS CAVO HÆRENTES; HARUM  
NEXUS, ET SITUS IN GÈNERE.

## PLEURA, ET MEDIASTINUM.

**P**ECTUS, seu THORAX dicitur pars corporis  
inter collum, & abdomen hærens, cavum ex-  
hibens ossibus constans, & musculis, interne mem-  
brana communi, *Pleura* dicta, inductum, cor,  
hujusque partes, pulmones, œsophagum, venam  
azygos, ductum thoracicum, glandulam thymum,  
& quosdam nervos recludens.

*Ossa* thoracem constituentia sunt :

- a. Costæ.
- b. Vertebrae dorsæ.
- c. Sternum.

*Musculi* sunt :

- a. Intercostales.
- b. Sterno - costales.
- c. Diaphragma.

De utrisque tum in Tab. Osteol. tum in Tab.  
myologicis dictum fuit. Hic de *Pleura* agam sola.

*Pleu-*

*Pleura* dicitur membrana firma, thoracis interiora, contenta singula vestiens; facies hujus interna lævis est, & nunquam non humens, externam substantia cellulosa tegit. Format pleura saccos binos, unum ex dextro, alterum ex sinistro latere. sacci hi in medio thoracis sibi mutuo contigui sunt; ex hac unione perpendiculari *mediastinum* formatur. Constat itaque mediastinum membranibus, quæ laterales saccorum pleuræ partes sunt, interjecta substantia cellulari. Anterius mediastinum versus sinistrum magis latus adnectitur thoraci ibi loci, ubi cartilagine costarum cum sterno ununtur: ex hinc membranæ ambæ à sese invicem secedunt, ut hæere in spatio intermedio queat pericardium; accedunt dein quidem ad se aliquate nus, mox tamen mutuo sese denovo relinquunt, adeo, ut quævis mediastini membrana ad latera corporum vertebrarum dorsi decurrat, & spatium iterum intercipiatur fere triangulare, in quo hærent oesophagus, aërea arteria, & ductus thoracicus.

Quoniã mediastinum anterius ad sinistrum magis thoracis latus adnectatur, adparet, cur saccus pleuræ dexter major sit sinistro.

*Vasa* pleuræ, & mediastini quod adtinet, tenendum est, arterias maximam partem venire à mammariis internis, intercostalibus, & diaphragmaticis; venæ sanguinem suum exonerant in venas intercostales, & mammarias internas.

*Nervi* pleuræ, & mediastini proveniunt partim à dorsalibus, & diaphragmaticis, partim à nervo intercostali, parique vago. Partestum in saccis ipsis pleuræ, tum & extra eosdem in substantia cellulosa hærentes, sunt sequentes.

I. *Pericardium*. Saccus est membranaceus, hærens in substantia cellulosa mediastini, cor includens. Facies ejus interna lævis est, ab humore



feroso nunquam non madescit ; externa undique substantia cellulosa mediastini circumdatur. Superius nequitur cum vasis majoribus, seu communibus cordis, inferius cum diaphragmate, cui arcte adcretum est. Vasa ei adveniunt à vasis mediastinis, & diaphragmaticis.

2. *Glandula thymus.* Hæret proxime supra sternum inter membranas ambas mediastini.

3. *Oesophagus.* Situs est posteriori loco ad sinistram parte thoracis latus in substantiæ cellulosæ mediastini parte postica.

4. *Vena azygos* posterior hæret, versus dextrum latus in eadem substantia cellulosa. Recipit per decursum ex utroque latere venas plerasque intercostales, uti & bronchiales; finitur superius in venam cavam superiorem.

5. *Ductus thymicus.* Incumbit hic corporibus vertebrarum dorsi inter arteriam aortam, venamque azygos; superne dein versus sinistram latus fertur; inseritur venæ subclaviæ sinistræ.

6. *Par nervorum oclavum, seu vagum.* Intrat superne thoracem, utrinque nervum dimittit recurrentem, ac in omnes thoracis partes ramos mittit.

7. *Par nervorum intercostale.* Hæret extra saccos pleuræ inter costas, & corpora vertebrarum dorsi; ad costam quamvis nodulum formæ; per thoracem in abdomen proficiscitur.


8. *Nervus diaphragmaticus,* secundum pericardium ad diaphragma tendit.

9. *Cor;* situm hoc est in pericardio ea ratione, ut superficies inferior plana incumbat diaphragmati; basis corpora vertebrarum dorsi, apex latus sinistram, superficies superior pulmones respiciat. Anterior hæret ventriculus anterior, seu dexter, posterior nonnihil ventriculus posterior, seu sinister.

Ex anteriori enascitur *arteria pulmonalis*, ex posteriori *aorta*, quæ in thorace *arcum* format, ex quo procedunt *ambæ carotides*, & *subclaviæ*. Utrunque cordi adhærent *auriculæ cordis*, quarum *dextra major*, & *amplior quam sinistra est*; sunt etiam ex utroque latere ad *auriculas sacci venosi* LOWE-RI.

10. *Pulmones*; dividuntur *pulmones in lobos binos*, quorum *uterque saccum explet pleuræ*. *Vasis suis connectuntur cum corde*, *bronchiis cum aspera arteria*.

11. *Diaphragma*. V. *Tab. myolog. XII.*



## T A B U L A XV.

### ASPERA ARTERIA; PULMONES.

#### I.

**A**SPERA ARTERIA in genere vocatur *canalis compositus cartilaginibus, membranis, & musculis*, incipiens in *oris cavo posteriori*, descendens *tum longitudinaliter in antica, mediaque colli parte donec thoracem intret*, ubi plurimis *ramificationibus per pulmones distribuitur*. Dividi solet in *partes tres, superiorem, mediam, & inferiorem*: *superior Larynx dicitur, media Trachea*, *tertia denuo in duos abit ramos, quos Bronchia dicunt.*

1. *Larynx*, seu *caput*, asperæ arteriæ pars superior, connectitur cum osse hyoide, lingua, & pharyngem tum per musculos, tum per ligamenta: constat cartilaginibus, ligamentis, musculis, glandulis, & membranis.

## A.

*Cartilaginee, & ligamenta.*

- a. *Cartilago thyroidea*, seu *scutiformis*. Maxima reliquarum hæc est, posteriora versus concava, antice convexa, prominentiam formans quæ *pomum Adami* dicitur. Hæret inter os hyoides, & cartilagineam annularem. In parte posteriori quatuor sunt proccili, qui *cornua* dicuntur: duo superiores ope ligamentorum robustorum cum extremitatibus cornuum ossis hyoidis, inferiores cum cartilagine annulari junguntur.
- b. *Cartilago cricoidea*, seu *annularis*, sita sub præcedente, posteriora versus latior, majorque est, quam antè. Basin quodammodo subpeditat duabus sequentibus.
- c. *Cartilaginee duæ arytenoideæ*: Exiguæ hæc sunt; supra cartilagineam cricoideam ad invicem hærent: conjunguntur cum cartilagine nunc dicta ope ligamenti annularis. Orificium asperæ arteriæ rotundum obtegunt, rimam tamen intercipiunt longitudinalem, quæ *Glottis* audit: sub iis cava duo sunt, quæ *ventriculi Galeni*, melius vero *sinus laryngis* dicuntur.
- d. *Epiglottis*. Cartilago est tenuis, flexilis, supra glottidem hærens, faciei internæ cartilaginis thyroideæ, & lateraliter cartilaginibus arytenoideis mediantibus ligamentis



guis adnexa. Posteriora versus pharyngem respicit; ligamento robusto gaudet, quod extremo uno secundum longitudinem faciei externæ epiglottidis, altero basi ossis hyoidis, tunicæque linguæ externæ adhærescit.

## B.

*Musculi laryngis* in *Tab. myolog. VII.* fuerunt descripti.

## C.

*Glandulæ* sunt sequentes :

- a. Thyroidea, sat magna, partibus suis lateralibus cartilagineam thyroideam, & cricoideam ex lateribus ambiens; parte vero media anteriori initio trachæe adnexa. Adfunt præterea.
- b. Multæ adhuc parvæ glandulæ in tunica, interiora canalis hujus vestiente, liquidum secernentes lubricum, à quo facies laryngis interior perpetuo humectatur.

## D.

*Membrana* partem canalis laryngei internam obducens nerveo-tendinea est, maxime sensilis, glandulas antea descriptas continens.

## II.

*Trachea* asperæ arteriæ pars media canalis est, membranis cartilaginibusque constans, incipiens à larynge, finitur ad bronchia. Anteriori loco car-

tilagineus est, cartilaginibus compositus octodecim, vel & viginti, quæ circulum integrum non absolvunt, sed duas circiter tertias solum explent; ad extremitates tenuiores sunt ac in medio, una circiter linea ibi ab invicem distant, hinc spatium intercipiunt, quod membrana firma, elastica expletur, inferne, ac superne cartilaginibus adcreta. Pars tracheæ reliqua clauditur membrana fat crassa. Notandæ veniunt in trachea tuniçæ sequentes.

- 1.) *Externa membranacea* audit; oritur a pleura, in facie ejus interna glandulæ hærent exiguæ.
2. *Altera cellularis* est, cartilaginibus interne & externe perichondrium largiens; continuatio est hæc membranæ cellularis pulmonum.
3. *Tertia, intima membrana nerveo-muscularis* est, fibris instructa tum circularibus, tum longitudinalibus; maxima sensilitate gaudet.

Larynx, & Trachea *arterias* acquirunt à carotidibus externis; *venæ* inferuntur venis jugularibus; *nervi* enascuntur à pari vago, huiusque in specie ramo maximo, qui *nervus recurrens* vocatur.

### III.

*Bronchia* vocantur ramiduo, ex fine tracheæ orti, per pulmones universos ramificationibus dispersi innumeris; de quibus notandum:

1. Ramificationes bronchiorum internæ obduci eadem tunica nerveo • musculari, uti trachea.
2. Cartilaginee bronchiorum, antequam ingrediantur pulmones, esse hemicyclicas, dum vero hos ipsos jam subierunt, fieri omnino circulares, formamque hanc dein retinere donec ramuli externi. & subtilissimi membranacei facti, in vesiculas terminentur exiguas, quarum sæpe plurimæ botri adinstar ramum uni bronchiali adhærent.
3. Ubique ad exortum ramorum ex bronchiis, hæere glandulas exiguas nigricantes, quæ *bronchiales* vocantur.

## II.

*Pulmonum* nomine venit viscus compositum meris vasculis, vesiculis, & cellulis membranaceis, hærens in utroque pleuræ sacco in thorace; quum vero thorax mediante mediastino in cavitates dirimatur binas, pulmones etiam in duas partes abeunt, qui *lobi pulmonales* adpellantur; dexter lobus major multo est lobo sinistro; dexter in lobulos minores tres, sinister in lobulos minores duos subdividitur.

Circa pulmones veniunt notanda :

1. Necti hos ope mediastini ad sternum, vertebraeque dorsi; ope vasorum pulmonalium ad cor; ope demum asperæ arteriæ ad œsophagum, pharyngem, cavumque oris posticum.

1. Superficies pulmonum ad latera esse convexas, inferius diaphragma versus concavas, adnexas nullibi.
2. Esse in lobo sinistro inferius ad marginem excisuram magnam crenatam, quæ intervit motui liberi apicis cordis sub systole.
4. Pulmonibus esse *membranas* binas, nempe :
  - a. *Exteriorem*, quæ continuatio est pleuræ, & *membrana communis* audit.
  - b. *Internam*, quæ *membrana cellularis* vocatur. Substantia solum est cellularis, per omnes pulmones expansa, vesiculas horum cunctas, vasa cuncta ambiens : inter membranas has ambas hærent copiosa vasa lymphatica, lympham suam ad ductum deferentes thoracicum.
5. Ramos bronchorum dispergi quaquaversum per pulmones.
6. *Nervos* pulmonum venire à plexu pulmonali, quem producit par vagum cum nervo intercostali. Decurrunt penes ramificationes bronchiorum, ac tum per vesiculas, vasaque ibi posita, tum per membranam bronchiorum internam distribuuntur. Pulmones habere *vasa sanguifera* duplicis speciei, quæ dividi possunt in *communia*, & *propria*. *Communia* sunt, quæ ad nutritionem hujus vitæceris nil faciunt, sed sanguinis solum circulationi universæ dicantur ; huc referuntur arteria, & vena pulmonalis. *Propria* dicuntur, quæ in specie ad bronchiorum adsunt nutritionem ; huc referas arteriam, venamque bronchiale.

a. *Arteria pulmonalis* oritur trunco unico ex ventriculo cordis dextro, tum in ramos duos abit, quorum unus ad lobum dextrum, alter ad lobum sinistrum fertur, ambo vero per lobos hos eosdem infinitis ramificationibus attribuantur: notandum circa hos est:

- a. Plures multo adesse ramificationes arteriæ, quam venæ pulmonalis in pulmonibus.
- b. Diametrum arteriarum ampliorem nonnihil esse diametro venarum.

t. *Vena pulmonalis* oritur ramis quatuor ex facco pulmonali, hi vero rami dein ramificatione infinita per pulmones errant.

c. *Arteria bronchialis* oritur communi lege ex aorta descendente, nonnunquam trunco simplici, nonnunquam & duplici, ad pulmones fertur, ubi in numerosissimos finditur furculos, bronchiis incumbentes, horumque membranæ, potissimum membranæ interiori ramulos plurimos largientes.

d. *Vena bronchialis* oritur passim ex vena azygos, prope venam cavam superiorem; subin ex vena cava ipsa. Ramulos habet totidem, uti arteriæ bronchiales, quæ etiam ad hujus ramos hæreut.

g. *Fabricam* pulmonum esse sequentem:

a. Ad vesiculas bronchiorum formant extremitates arteriæ pulmonalis textum vasculosum, qui *rete vasculosum* vocatur; in quo extremitates arteriarum cum venis per anastomosisi junguntur.

b. Ad quemvis ramum bronchialem hæret ex latere uno ramus arteriæ ex altero ramus

venæ pulmonalis; inter ramos hos utrosque hæret ex latere hoc ramus nerveus, ex illo ramus arteriæ, & venæ bronchialis.

- c. Vasa arcte ad invicem sita, in universum involvuntur à membrana cellulari, quæ & vesiculas pulmonicas, reteque vasculosum velat. Cellulæ membranæ hujus ejusdem cum vesiculis nullam omnino habent communicationem.
- d. Omnia demum hæc vasa, hasque celluias ambit membrana communis externa.

2. Usus pulmonis sub respiratione esse, ut

- a. Circulatio conservetur sanguinis.  
 b. Sanguis adtenuetur, ac refrigeretur. †  
 c. Ut soli periciantur varii.

## T A B U L A XVI.

### COR; PARTES AD COR PERTINENTES.

**C**OR dicitur corpus cavum, musculare, conoidium, contentum pericardio in thorace hærente, circulationis sanguinis princeps organon. *Pericardium* est, uti *Tab. XIV. No. 1.* dictum fuit, factus membranaceus, circa quem notandum adhuc est, laminis eum componi binis. Extima robusta est, substantia cellulosa mediastini, excepto solum eo loco, ubi pericardium diaphragmati arcte adhæret, undique circumdata; lamina interna tenera est, vasculis multis exiguis instructa; production sua tunicam subpeditat propriam cordis, & auricularum,

In corde notandum est.

1. Situm esse transversim in anteriori thoracis parte, ad latus sinistrum, *basin* habere, *apicem*, *superficies* duas, *margines* duos.

- a. *Basis* vocatur pars cordis latior, corpora respiciens vertebrarum dorsi, pinguedine multa, vasisque quatuor magnis instructa.
- b. *Apex* pars est magis acuminata, costas sinistrorsum respiciens.
- c. *Superficies superior* convexa est, sursum spectans.
- d. — *Inferior* plana est, diaphragmati incumbens.
- e. *Margo anterior* à basi ad apicem excurrit, antrorsum situs, à ventriculo anteriori, seu dextro firmatur.
- f. — *Posterior* margo est postorsum situs, convexus, à basi ad apicem pariter excurrens, à ventriculo posteriori, seu sinistro productus.

2. Substantiam cordis componi fibris muscularibus, quarum nonnullæ transversim, aliæ a basi ad apicem, exhinc vero spirali decursu retrorsum feruntur: omnes tum in externa cordis superficie, tum & interne tegi membrana subtili, sub qua vasa multa hærent lymphatica.

3. Instructum esse cavis binis, quæ *ventriculi* vocantur, & ob situm in *dextrum* ac *sinistrum*, melius autem in *anteriorem* & *posteriorem* dirimuntur: circa ventriculos hos in specie venit notandum:

- a. Excurrere eos a basi cordis ad apicem.
- b. Dijungi eos ab invicem per parietem interjectam muscularis fabricæ, constantem fibris

bris muscularibus utrinque coeuntibus ,  
sub *septi* nomine notum.

- c. Ventriculum anteriorem ampliolem multo esse posteriori.
- d. Fibras musculares ventriculi anterioris copiosiores non sunt , uti in ventriculo posteriori , hinc illius parietes laterales crassiores multo sunt , quam quidem illius.
- e. Fibras musculares in ventriculis producere eminentias quasdam , quæ *trabes* seu *columnæ carneæ* dicuntur.
- f. Ventriculum quemvis binis orificiis esse instructum ; unum patet in adhaerentem auriculam , alterum in arteriam ; prius orificium *auriculare* , hoc orificium *arteriosum* audit.
- g. Ante initium orificii auricularis cujusvis ventriculi hæere quosdam *valvulas* , tendinibus sat robustis ad columnas carneas adcretas. Valvulæ tres ventriculi anterioris dicuntur *tricuspidales* ; valvulæ duæ ventriculi posterioris *mitrales* audiunt.

4. Adnexos esse cordi utrinque saccum musculorum , *auricula cordis* dictum ; in *dextram* , & *sinistram* dividuntur auriculæ hæ ; auricula dextra per orificium auriculare cum ventriculo anteriori , auricula sinistra per orificium auriculare cum ventriculo sinistro communicat. Illa etiam bis , terte major est , quam hæc ultima. Ambæ uniantur cum sua substantia loco posteriori per parietem , in quo vestigium hæret foraminis ovalis, *V. Tab. XII. No 4. Lit. c.*

5. Cor gaudere *vasis* sanguiferis duplicis generis , *communibus* , & *propriis*. *Communia* dicuntur , quæ ad cordis nutritionem nil faciunt , sed sanguinis solum universæ circulationi inserviunt ; huc spectant arteria aorta , & pulmonalis , vena cava , &  
pul.



pulmonalis. *Propria* nutritioni dicantur motuique cordis; huc referuntur arteriæ, venæque coronariæ cardiacæ.

- a. *Arteria aorta* enascitur ab orificio arterioso ventriculi cordis sinistri; ad ortum ejus hærent *valvula* tres, *semilunares* dictæ, versus orificium arteriosum convexæ, versus arteriam concavæ. Constant lamellis binis, inter quas hærent fibræ musculares, in margine eorum anteriori, hujusque medio in centrum coeuntes, & nodulum, seu tendinem generantes, qui *noduli Morgagni* nomine venit.
- b. *Arteria pulmonalis* oritur ab orificio arterioso ventriculi dextri, ad hujus ortum pariter hærent *valvula* tres *semilunares*, quarum *noduli* conspicui adeo non sunt.
- c. *Vena cava* in *superiorem* & *inferiorem* dirimitur. Ambæ intra pericardium coeunt, & saccum constituunt musculosum, qui *saccus venæ cavæ*, seu *saccus Lowerianus dexter* vocatur; fibris constat muscularibus longitudinalibus, ac obliquis; interne & externe à membranis subtilibus circumdatus, oblique nonnihil in auriculam dextram terminatur.

Inter venam cavam inferiorem, & saccum venæ cavæ *Valvula* conspicitur EUSTACHII, semilunaris, sursum concava, deorsum convexa, finibus binis, *cornua* dictis circa orificium venæ coronariæ adcreta.


- d. *Venæ pulmonales* oriuntur in pulmonibus surculis innumeris, qui omnes in quatuor nonnisi ramos principes confluunt; rami vero biterminantur in saccum musculosum, sic-

*cus venarum pulmonalium, seu saccus Pomeritanus* nistum, ejusdem cum præcedente fabricæ; ambo fibris junctis, septum et formantibus invicem junguntur.

- e. *Arteria coronaria cordis* communi lege duæ solum adsunt. Oriuntur ex aorta illico sub valvulis semilunaribus, ea ratione, ut una ex dextro latere inter basin cordis, & auriculam dextram, altera ex sinistro latere inter basin cordis, & auriculam sinistram procedat. Arteriæ nunc dictæ abeunt in ramificationes numerosissimas, quæ per substantiam distribuuntur cordis, & cum extremitatibus *venarum coronariarum* anastomosis junguntur, hæ majores sensim fiunt, tandemque in truncum abeunt, qui in auriculam inferitur dextram, cuius orificium *orificium venæ coronariæ THEBESII* audit, ac valvula semilunari tegitur. Finiuntur præterea ramuli multi venosi in interstitio columnarum carnearum, imprimis in ventriculo anteriori.

6. *Nervi cardiaci* venire à plexu cardiaco, qui ex utroque latere à pari vago, & intercostali formatur.





## T A B U L A XVII.

### OCULUS; PARTIUM OCULI FABRICA.

**O**culus in anatome strictiori, laxiorique sub sensu consideratur. Posteriori ratione partes intelliguntur omnes, in fovea orbitali, circaque hanc hærentes. Proprio sensu oculi termino denotatur solum globus membranis, humoribusque specialibus compositus, in quavis orbita pinguedini ibi loci positæ inhærens, parte postica nervo adfixus optico, variis musculis mobilis, visus organon, quo mediante tum lux, tum lucis beneficio corpora ab eo illustrata videri queunt, speciali voce *Bulbus oculi* adpellatus.

Sunt ergo partes imprimis binæ considerandæ.

- a. Partes bulbum tum obtegentes, & extra orbitam sitæ, tum ambientes, intra ipsam orbitam hærentes.
- b. Bulbus ipse.

Sub prima classe comprehenduntur :

1. *Supercilia*: superciliorum nomine venit arcus pilis obsitus, in cute supra orbitam secundum arcum superciliarem hærens, à cute ipsa, & pinguedine subjecta formatus, divisus in *caput*, & *caudam*, seu majorem, minoremque extremitatem, per musculum frontalem elevandus, per

pet corrugatorem deprimendus, nasum versus ducendus; sudorem per frontem defluum, sordes alias ab oculis arcens.

2. *Palpebræ* sunt cartilaginee incurvæ, extrorsum convexæ, cute communi tectæ, introrsum concavæ, membrana tenuiori obductæ, in qua vasa multa, nervique reptant. Oculus quivis binas habet palpebras, superiorem unam, alteram inferiorem; illa crassior est, hæc tenuior, angustior; amice cohærent finibus suis, ( qui *canthi*, seu *anguli* dicuntur, & in *externum*, seu *minorem* ac *internum*, seu *majorem* dividuntur, ) *ligamentis tarsorum* *latis* WINSLOWI mutuo conjunctæ.

Palpebra quævis in margine anteriori, qui subdurus est, & imprimis à cartilagine *tarsæ* formatur, pilis obsidetur parvis, qui in superiori palpebra deorsum, in inferiori sursum directi sunt, & *cilia* vocantur, clausisque oculis quodammodo decussantur. Facies tarsi interna instructa est glandulis parvis sebaceis, quorum ductuli excretorii in margine palpebrarum *punctis ciliaribus* dictis hiant, liquidumque lubricans in oculos fecernunt. Hæret insuper in margine cujusvis palpebræ ad canthum fere internum orificium nonnihil majus, *punctum lacrymale* dictum. Puncta hæc bina confluent in saccum membranaceum *succus lacrymalis* dictum, in canali nasali situm, ac in cavum narium apertum.

3. *Carnucula lacrymalis* dicitur glandula exigua, inæqualis, rubicunda, in cantho cujusvis oculi interno sita, liquidum serosum fecernens. Adest insuper in cantho hoc eodem plica parva, à tunica adnata facta, *membrana semilunaris* dicta.

4. *Glandula lacrymalis*, vel & *innominata* dicta hæret in orbitæ parva fovea supra canthum oculi externum: ex ea sex, vel septem parvi ductuli exeunt,

eunt, in margine superioris palpebræ hiantes, atque secretum fluidum seroso-lymphaticum illuc deferentes.

Bulbum quod adinet oculi, situs est, uti jam antea dixi, in orbita inter pinguedinem, & musculos (*V. Tab. III. Myolog.*) pars illius dimidia anterior tenui subtilique obducitur membrana, *tunica adnata*, seu *conjunctiva* dicta. Continuatio hæc est internæ subtilis membranæ palpebrarum; cum lateribus bulbi, mediante substantia cellulosa, laxè cohærent, in cornea autem transparente multo firmitus; cæterum numerosissimis gaudet vasis seroso-lymphaticis.

Sub tunica adnata alia hæret membrana alba, anteriorem solum bulbi partem investiens, non vero, uti adnata, super corneam transparentem decurrens, sed circum illius margines adnexa. Formatur à tendinibus muscutorum bulbi; *tunica* dicitur *tendinea*, & quia album oculi constituit, *tunica albuginea*. Posterius in orbita bulbus oculi arctè adhæret nervo optico, de quo notandum, illum constituere secundum partem nervorum encephali, ortum ex thalamis nervorum opticorum, compositum fibris medullaribus; integumentis nervorum communibus, dura nempe, piaque meninge cingi; parva gaudere arteria, & papilla, circa quam foveola adest; demum intra bulbum finire. Parva hæc arteria, quæ *optica* adpellari posset (\*) ramulus est arteriæ carotidis internæ, quæ in substantia nervi optici cum eo per foramen opticum orbitam ingreditur, ibique, ubi nervus opticus papillam dictam format, circum illam ramulos dispergit, ex quibus tandem multi minores adhuc oriun-

(\*) ARTERIA *centralis* nervi optici, *III. HAL-  
LERI. De WASSERBERG,*

oriuntur ramuli, per tunicam retinam dispersi. Cæterum in bulbo adiunt tunicæ variæ, humores, vasa, & nervi.

1. *Tunica* bulbi sunt:

- a. *Sclerotica* audit. Tunica est firma, crassa, flexilis tamen, totum bulbum obducens, posterius crassa & opaca, ibique *cornea opaca* dicta, antè in circulo tenuior, & pellucida est, *cornea transparent* dicta. Componitur illa invicem lamellis multis, sibi quodammodo adglutinatis; inter hasce vascula decurrunt sanguifera, ramulique nervel. Hæc pariter constat ex nonnullis, arctius sibi superimpositis lamellis, multisque perforatur poris, per quos forsitan humor aqueus absorbetur.
- b. Altera *choroidea* est. Textus est hæc diversorum vasculorum sanguiferorum, lymphaticorum, serosorum, ductuumque nigrorum; *Ruyshius* eam in duas lamellas dividit; externa vocatur *tunica choroidea*, interna *tunica Ruyshiana*. Coloris est atrorubicundi paulumque nigricantis, atque externa superficie exterioris laminæ, medianibus quibusdam vasculis exiguis, cum sclerotica connectitur, a nervo nimirum optico usque ad corneam transparentem anteriora versus. In distantia circiter lineæ a circumferentiâ transparentis, circum illam colorem mutat, arctissime scleroticæ adhæret, ac albam format circulum, qui passim *ligamentum ciliare* dicitur. Huc usque choroidea cum sclerotica arcte est connexa; sed à ligamento deserit transparentem, interiorum pergat, & membranam format, *uvea*

dictam. Spatium igitur interjectum est inter uveam, & transparentem, *camera oculi anterior* dictum. Uvea transversim oculum emittitur, in medio tamen foramine pertusa est, quod *pupilla*, seu *prunella* audit. Anterior superficies uveæ variis depicta est coloribus, unde diversitas oculorum humanorum enascitur; quamobrem etiam *iris* dicitur. Posterior uveæ superficies duo habet strata fibrarum muscularium quarum nonnullæ circulares sunt, & arcte circum marginem pupillæ decurrunt, hincque actione sua pupillam constringunt, quare *sphincteris pupillæ* nomine veniunt. Retro has fibras aliud hæret stratum fibrarum longitudinalium, seu rectarum, radiatim à ligamento ciliari versus marginem pupillæ tendentium constrictione sua pupillam dilatantium, quæ *fibræ*, seu *processus ciliares*, seu *dilatator pupillæ* vocantur. Inter duas laminas tunicæ choroideæ plurima sita sunt vasa sangulifera, à STENONE *vasa vorticosa* dicta, quæ infra, & retro ligamentum ciliare circum formant, qui *circulus arterialis*, & *venosus* dicitur, nilque aliud est, quam ramificationes arteriæ carotidis internæ, venæque jugularis. Nervi vero, circum uveam dispersi, proveniunt à pari tertio, & quinto; par nempe tertium nervorum largitur primo musculis rectis nonnullos ramulos; quidam ex illis conjunguntur cum aliis ramulis, à primo ramulo quinti paris, qui *ophthalmicus* audit, provenientiibus; in orbita parvum formant ganglion lenticulare, ex quo varii proveniunt ramuli nervei, scleroticam perforantes, inter hæc, & choroideam ad

uveam

uram abeuntes, inque illius posteriori superficie maximam partem dispersi.

An non exin posset exponi, cur in gutta serena non semper dilatatio adsit pupillæ?

e. Tertia tunica vocatur *retina*. Est subtilissima, & tenuissima membrana, super quam fibræ medullares nervi optici, cum vasis multis sanguiferis, & lymphaticis sunt dispersæ. A peripheria papillæ nervi optici incipit, externa superficie adglutinatur quasi laminæ ruyshianæ; superficie interna cum membrana hyaloidea humoris vitrei per vasa lymphatica cohæret, & ad ligamentum ciliare decurrit, ubi & finitur; quamquam nonnulli adferant, illam per fibras ciliares transire, & capsulam humoris crystallini involvere.

a. *Humores bulbi oculi sunt.*

*Humor vitreus.* Corpus est clarum, pellucidissimum, occupans totum spatium à nervo optico ad ligamentum usque ciliare, (quod spatium nonnulli *tertiam oculi cameram* dicunt): componitur vasculis, succum gelatinosum vehentibus, tunica etiam subtili, *hyaloidea* dicta circumdatum. Constat hæcce tunica ex duabus laminis, arcte sibi adherentibus; dum vero antrorsum perveniunt, ab invicem laminæ ipsæ secedunt, foveamque formant, in qua humor crystallinus hæret; qui igitur ab ambabus laminis cingitur, unde & *capsulæ humoris crystallini* foveæ illi datum est nomen.

Ad peripheriam adhæisionis capsulæ humoris crystallini tunica hyaloidea canalem format, cap-  
su.



fulam ambientem, *duflus*, *plicatus*, seu *circularis* dictum.

b. *Humor cryftallinus*, seu *lens cryftallina*. Corpus est parvum, lentiforme, diaphanum, ex utroque latere convexum, in parva anteriori fovea humoris vitrei (quæ à quibusdam *camera oculi quarta* vocatur) fitum, a capsula illius in situ firmatum, & lateraliter per quasdam fibras ligamento ciliari adnexum; constat pariter vasculis, succum glutinosum continentibus; atque tunica propria subtili, *arachnoidea* dicta, circumdatur, quæ à quibusdam omnino negatur. Inter humorem hunc, & superficiem posticam uveæ parvum hæret spatium, *camera oculi posterior* dictum.

c. *Humor aqueus*. Est humor aqueus serum aquosum, nonnihil salsum, & viscidum, in ambabus oculi cameris præsens, cujus in anteriori camera quadruplo fere major copia continetur, quam quidem in camera postica.

3. *Vasa bulbi* sunt partim arteriæ, partim venæ, partim *vasa lymphatica*, partim *duflus nigri*. *Arteria* veniunt à carotide externa, & interna.

*Vena* partim in sinus duræ matris, partim in venam jugularem abeunt.

*Vasa lymphatica* VALSALVA in oculo bovis invenit, hincque conclusit ad præsentiam illorum in humano etiam oculo.

*Duflus nigri* à Cl. HOVIO in *Tract. de circulo humorum in oculo* optime fuerunt descripti.

4. *Nervi oculi* in genere sunt secundum, tertium, quartum, & sextum par nervorum cerebri,

uti etiam primus ramus quinti paris ; quorum omnium prolixior descriptio in *Tabulis Neurologicis*.

Usus *tunicarum* oculi consistit in eo , ut humores oculi recludant , & coerceant. *Humores* autem adsunt , ut radii lucis per illos frangantur , & ita dirigantur , ut in retina tunica uniantur , atque tali ratione perceptionem producant , quam *visum* vocamus.



## T A B U L A XVIII.

### FABRICA , USUSQUE PARTIUM OS CONSTITUENTIUM.

**O**S duplili sub sensu in anatome consideratur: primo per illud intelligitur , transversa illa rima , inter mentum , nasumque hærens. Secundo per os intelligitur spatium à labiis exorienz , ad vertebrae usque colli extensum , cujusque rima antea dicta transversa externam exhibet aperturam. Hoc ergo sensu *os* dividitur in *externum* , ac *internum*. Ad *os externum* sequentes referuntur partes.

1. *Labia* duo , superius unum , alterum inferius.
2. *Margines* duo , partes labiorum rubrae.
3. *Anguli* duo , quæ *commissurae* vocantur.
4. *Fovea* in labio superiori , *philtrum* , seu *lacuna* dicta.

5. Basis labii inferioris , quæ *mentum* , seu *genium* dicitur.

6. *Genæ* , quæ partes laterales faciunt. Cutis demum ambiens una cum pilis ei inhærentibus ; quorum ii , qui in superiori ceruuntur labio , uno nomine *Myflax* , qui circa *mentum* adsunt , *Barba* vocantur.

*Os internum* denuo in duas partes dividitur , in *anterior*em nempe , & *posterior*em. Anterior os à labiis ad *velum palatinum* , & *uvulam* ; formatur ab ossibus *maxillaribus* , *palatinis* , & *dentibus* , & speciatim *os interius* adpellatur. Os posterior ab *uvula* ad *vertebras* pertingit colli ; hoc in specie *faucium* nomine venit.

Partes hæ ambæ obducuntur membrana communi : continuatio hæc est *cuticulæ* , & *cutis faciei* ; dum enim hæ ad *margin*es usque pervenerunt oris. abeunt in *membranam oris communem* , *faciem labiorum* , *genarumque internam* vestiunt , *frenula varia labiorum* , & *linguæ faciunt* ; una cum *perioste*o *maxillarum* *gingivas* ipsas effingunt ; tum *palatum* obducunt , *velum palatinum* , *pharyngem* , & *œsophagum* ; inferiori loco decurrunt supra *linguæ superio*rem , *internamque superficiem* ; obducunt utrinque *musculos stylo - & pharyngo - staphyllinos* , & *tonsillas* , partim demum *laryngem* , partim & *pharyngem* , ac *œsophagum* subeunt. *Vasis sanguiferis innumeris* , & *nervis* membrana hæc oris communis gaudet , unde & *ruberrima* est , ac *sensilis*.

## A.

Partes in anteriori parte oris interni hærentes sunt :

L I 3 .

I .

## I.

*Palatum.* Hac sub voce sumitur fornix superior oris, constans marginibus, ac superficie palatina ossium maxillarium superiorum, dentibusque superioribus, ad uvulam usque producta. Fornix vero ossea obducitur primum periosteo, tum membrana oris communi, quæ hic loci crassior nonnihil est, firmissime adhæret, & anteriora versus plicas quasdam format.

## II.

*Velum palatinum, seu claustrum palati, seu valvula faucium, seu velum pendulum palatinum, seu palatum molle.* Vocatur sic paries hærens inter partem anteriorem, & posteriorem oris interni, superius, ac lateraliter; terminata quatuor productionibus, arcus referentibus, quorum arcuum duo anteriores cum lingua, duo posteriores cum pharynge ununtur. Constat velum hoc palati pendulum musculis, & glandulis, membrana oris communi obductis.

## III.

*Uvula, seu Uva, seu Columella* corpus est parvum ex musculis, & glandulis exiguis compositum, hærens in medio veli palatini, basi adnatum velo, aut potius nexui ossium palati, apice fluctuans libere in cavitate oris, membrana vestitum oris communi.

## IV.

*Tonsillæ, seu amygdalæ* glandulæ sunt duæ sat magnæ, quarum ex utraque oris parte hæret una in-

Interarcus veli palatini; per ductus parvos excretorios glandulæ hæ liquidum in substantia sua præparatum in cavum oris excernunt.

## V.

*Lingua* pars est musculosa, mobilissima, cavum occupans oris integrum, cum osse hyoideo, maxilla inferiori, processu styloideo, pharynge, larynge, ceterisque oris partibus tum musculorum, tum membranarum beneficio cohærens, In lingua notanda veniunt :

### 1. Dividi linguam

a. In *corpus*, partem mediam, maximam.

b. In *basin*, aut radicem, partem ossi hyoideo adnatam.

c. In *apicem*, partem anticam; acuminatam.

2. Instruam esse *marginibus*, binis, *superficiebus* binis, nimirum.

a. margine dextro.

b. margine sinistro.

c. superficie superna.

d. superficie inferna.

3. Superficie inferiori adhærere ligamentum, quod *frenulum* dicitur *linguæ*; adesse insuper ex utroque latere ligamentum membranaceum; quorum ope partes laterales maxillæ inferiori adhærant.

4. Posteriora versus in lingua insculptam esse excavationem, cujus circumferentia interna glandulis exiguis referta est; *foramen* dicitur *glandulosum cæcum* MORGAGNII.

5. In lingua medio adesse lineam longitudinalem, quæ *linea mediana* vocatur, & linguam in partes duas laterales dirimit.

6. Componi linguam maximam partem musculis, tum & involucris, seu membranis, vasis sanguiferis, nervis, glandulis, vasisque lymphaticis.

*Musculos* quod adtinet. *V. Tab. myolog. VI.*  
*Involucra*, seu *membranae* linguæ sunt:

- a. *Extima vaginalis* audit: continuatio est membranæ oris communis, linguam omnem investit; in superficie sua infinitis obita est eminentiis, quæ introrsum concavæ sunt, extrorsum convexæ, in apice perforatæ, & non perpendiculari omnino situ erectæ hærent, sed à basi versus apicem magis inclinantur.
- b. Membrana altera *reticularis*, seu *corpus reticulare MALPIGHII* vocatur. Componitur fibris densis, rete referens, papillis subjectis transitum concedens liberum.
- c. Membranam tertiam *papillarem nervosam* appellant. Crassa satis hæc est, in superficie papillis plurimis instructa, quæ per foramina membranæ reticularis transeunt, in vaginulas membranæ primæ, seu vaginalis inferuntur. Papillarum harum tres occurrunt species:
  - a. Quædam capitulis donantur rotundis exiguis, pedunculis brevibus adnatis, *papillæ capitatae*, seu *fungiformes* dictis. Glandulæ sunt humorem tequem salivalem secernentes circa foramen cæcum copiosissime posita,

b. Aliæ

- b. Aliæ planæ sunt, convexæ tamen, *papillæque* vocantur *semilenticulares*. In superficie, adinstar digitalis, pertusæ sunt foraminulis, per quæ exsudat liquidum tenuissimum; in lateribus linguæ potissimum occurrunt.
- c. Aliæ demum sunt minimæ, nonnihil oblongæ, molles; majori hæ adfunt copiæ, quam duæ priores species; *papillæ* salutantur *villosæ*, seu *coniformes*, seu *pyramidales*; veræ sunt *papillæ nervæ*, per totam hærentes linguæ superficiem, præcedentibus etiam interjectæ.

*Vasa linguæ sanguifera arteriæ* dicuntur, *venæque ranina*, seu *sublinguales*; arteriæ rami sunt arteriæ carotidis externæ, venæ implantantur venæ jugulari externæ anteriori, in facie linguæ inferiori optime conspiciuntur.

*Nervi linguæ sequentes* sunt :

- a. Pars integrum nonum nervorum encephali, *linguale* dictum.
- b. Nervus à nervo maxillari inferiori, ramo tertio paris quinti enatus.

*Glandulæ linguæ in sequenti* describentur *Tabula*.


*Vasa lymphatica linguæ* Cl. COSCHWITZ detexit, & in disputatione de *Ductu salivali* novo exposuit.

B.

*Fauces*. Faucium nomine venit pars oris interni postica; cavo constituitur inter velum palatinum, & vertebrae colli sito. Cavum hoc undique vestitur membrana oris communi.

Notanda hic sunt *orificia* sex sequentia ,

1. Anterius, *glottis* dictum, versus pulmones tendens, sub deglutitione ab epiglottide tegendum,
2. Posterius, initium *œsophagi*,
3. Duo superiora, *orificia* narium posteriora, seu *choana* narium.
4. Duo lateralia, in aures patentia, *orificia tubarum* EUSTACHII dicta.



## T A B U L A XIX,

### GLANDULÆ SALIVALES. EARUM DUCTUS EXCRETORII.

*Glandulæ salivales* dicuntur *glandulæ* compositæ arteriis, venis, vasis lymphaticis, nervis, & canalibus excretoriis; quævis obtegitur tunica propria, & secretioni tum salivæ, tum liquoris salivæ analogi dicantur. Referuntur huc 1. *parotides*, 2. *maxillares*, 3. *sublinguales*; quarum ductus excretorii ægerime adhuc deteguntur, & quæ veram secernunt salivam: reliquæ vero sunt *glandulæ molares*, *buccales*, *labiales*, *linguales*, *palatinae*, *uvulares*, & *tonsillæ*, hæ omnes, exceptis solum postremo loco positis, minimæ sunt, & vix ipsæ, multo minus ductus earum excretorii demonstrari queunt; liquidum etiam secernunt salivæ solum æmulum. Ordine nunc exponentur singulæ.



1. *Glandulae parotides* glandulae duae sunt conglomeratae, sat magnae, quarum ex utroque latere inter angulum maxillae inferioris, aurem externam, & processum mastoideum haeret una: ex qua vis anterior enascitur canalis albus, membranaceus, unione canaliculorum multorum exiguorum compositus; à posteriori loco antrosum supra faciem externam muscoli masseteris oblique decurrens, musculum buccinatorem perforans, demumque in os prope gingivam superiorem, inter tertium secundumque dentem molarem apertus: canalis hic *ductus salivaris superior*, vel ab inventore, *ductus salivaris STENONIANUS* dicitur

2. *Glandulae maxillares* duae pariter sunt, ex utroque latere una, sub angulo maxillae inferioris nonnihil interiora versus, prope musculum pterygoideum internum, inter digastricum, & cutaneum colli haerentes; ductum singulae emittunt; *ductus salivaris inferior*, aut ab inventore *ductus Warthonianus* dictum, inter musculos linguae, & ossis hyoidis transeuntem, ex latere frenuli sub lingua hiantem.


3. *Glandulae sublinguales* duae sunt glandulae, illico sub lingua haerentes, musculis interjectis genio-hyoideis ab invicem sejunctae. Antiquiores Anatomici rebantur, ductus glandularum harum excretorios patere in ductus glandularum maxillarium; falsa tamen haec est sententia; ex quavis enim ductus oriuntur exigui lateraliter inter partes linguae laterales, & gingivam inferiorem in os patuli. V. HEISTERI *compend, anatomicum. Tab. VII, fig. 33.*

4. *Glandulae molares* glandulae duae sunt, quarum ex utroque latere una inter musculum masseterem, & buccinatorem haeret, & ductu suo excretorio prope dentem ultimum molarem hiat. l. c. *Tab. VIII, fig. 39.*

5. *Glandulæ buccales, labiales, linguales, palatinae, & uvulares* hærent in illis partibus, à quibus denominantur, faciei insidentes internæ tunicæ oris communis, quæ ab earum ductibus excretoriis perforatur.

6. *Tonsilla* in *precedenti Tabula* fuerunt expositæ.

*Glandulæ hæ omnes* donantur vasis numerosis sanguiferis, lymphaticis, & nervis; latius de his omnibus agitur in *Tabulis Neurologicis, & Angiologicis.*



## T A B U L A XX,

### PARTIUM NASUM CONSTITUENTIUM FABRICA; SITUS.

Partes nasum constituentes commode ad binas redigi queunt classes, quarum prima *externas*, altera *internas partes* complectitur.

#### I.

Ad classem *partium externarum* pertinent eminentiæ in faciei anteriori parte conspicuæ, ossibus, cartilaginibus, integumentis compositæ, *sassinomine* proprie dicta. Notanda hic sunt:

1. *Radix nasi* pars est nasi superior.

2. *Dorsum*, seu *spina nasi* pars est media.

3. *Orbicularis nasi* anterior est apex.

4. *Ala*, seu *pinnae* partes dicuntur inferiores, ac laterales.

5. *Orificia narium externa*, seu *nares externa* ambo vocantur foramina.

6. *Cartilagines nasi*, quinque numero.

a. Media est fulcrum reliquarum, *septumque* dicitur nasi. Lata satis est, cum margine vomeris anteriori, cum processu inferiori ossis ethmoidei, cum ossibus utrisque maxillaribus, cumque spina nasali connexa. Nasum antérieur in cava duo dirimit. Ex utroque latere septi hujus hærent

b. *Cartilagines* duæ, quarum una *anterior*, altera *posterior* est; anteriores utrinque antrorsum recurvatæ sunt; nexu suo apicem formant nasi. *Cartilagines* posteriores *pinnae* constituunt *narium* ambæ *perichondrio* teguntur, & *opem* musculorum quorundam mobiles sunt.

Nasus externus undique tegitur integumentis communibus, eaque, ubi *cartilagines* ambiunt, *glandulas* nonnullas *sebaceas* continent,

## II.

Ad classem *partium internarum* nasi referuntur:

1. *Cavum narium*. Cavum est, septo nasi cartilagineo, & osseo in cavitates binas directum; ab ossibus nasi, frontis, unguis, ethmoideo, sphenoidæo, & maxillari superiori formatum.

2. *Se*

2. *Septum nasi osseum.* Vomere hoc constituitur. *V. Tab. osteolog. XV.*

3. *Ossa spongiosa superiora, inferiora, & cellule ossis ethmoidei.*

4. *Orificia posteriora narium:* pharyngem respicientia.

5. *Sinus frontales.* Cava sunt ab antica, mediaque parte ossis frontis efformata; uno, binisque orificiis superius in cavum narium hiantia.

6. *Sinus maxillares, seu antra Higburi.* Cava duo sunt, efformata ab ossis maxillaris superioris lamina sedecentibus, apertura horum in partibus cavi narium lateralibus conspicitur.

7. *Sinus frontales.* Cava sunt duo, (nonnunquam & unicum solum adest cavum) hærentia in corpore ossis sphænoidei; ductus patulus est in postica & superiori cavi narium parte.

8. *Saccus lacrymalis.* Saccus est membranaceus, oblongus, situs in canali nasali; ductus finitur sub osse spongioso inferiori.

9. *Membrana pituitaria, seu mucosa* ab inventore *Schneideriana* dicta. Membrana est crassior, mollis tamen, cavum omne narium, cavitatem omnium sinum, ossa spongiosa superiora, inferiora, cellulas ossis ethmoidei, & septum narium investiens; non tamen immediate ossibus, aut cartilaginibus, sed subjecto periosteo, & perichondrio adnatum.

Nasus plurimis instruitur *nervis, & vasis sanguiferis,*

*Nervi sunt:*

1. Totum par nervorum encephali, *olfactorium* dictum, soli odoratus sensui inserviens.

Transit, emissis hinc illincque fibris per  
to

foramina ossis ethmoidei, & ramificationibus innumeris per totam membranam pituitariam distribuitur.

- b. Ramificationes quædam paris quinti nervorum encephali. Dirimitur hoc ipsum in ramos tres principes, ophthalmicum, maxillarem superiorem, & inferiorem, ab horum primo membrana pituitaria ramum acquirit, qui *nasalis* audit, ex orbita per orificium orbitale interius ad nares decurrens, ac in membrana pituitaria evanescens. Alter ramus paris quinti membranæ huic etiã ramos quosdam largitur. Quum vero par quintum ad formationem intercostalis concurrat, à quo organa respirationi sacra nervos suos adipiscuntur; quum porro ramus ophthalmicus tum in nasum, tum in oculos, glandulamque in primis lacrymalem ramos mittat, explicari hinc potest:

Cur sternutatio ab odoratis acribus, aut adspecto sole, cælove serenissimo?

Cur oculi lacrymis perfunduntur, irritata ab acri quocumque membrana pituitaria?

Cur in graviori coryza frequens sternutatio?

*s. p.*


Vasa membranæ hujus ejusdem sanguifera sunt sequentia:

- a. Arteriæ, numero plurimæ, oriuntur ab arteriis carotidibus externis, nonnunquam & ab internis. Disperguntur per universam membranam, & extremitatibus suis in superficie ejus interna tubercula exigua, seu circumvolutiones formant, quæ, an glandulæ sint, nec ne? adhucdum quæritur. Oriuntur ex iis ductus excretorii, quibusdam in

locis conspicui, quorum ope secretio muci perficitur.

- b. *Vena* membranæ finiuntur in venas jugulares.

Ufus harum partium est : nasus externus non solum respirationi, vocique distinctæ, sed & ornamento faciei inservit. In sinibus secernitur mucus; ope membranæ pituitariæ, quæ expansione sua in sinibus ac cellulis maximum occupat spatium, odoratus perficitur.



## T A B U L A XXI.

### PARTIUM AUREM CONSTITUENTIUM STRUCTURA, ET USUS.

**A**UREM Anatomici in *externam*, & *internam* dividunt: sub aure externa intelligunt cartilagineam varie figuratam, meatui auditorio osseo externe adhærentem, & plurium muscutorum ope cum ossibus vicinis nexum: sub *aure interna* omnia, parte petrosa ossis temporum contenta; quo pertinent: tympanum, cavitas tympani, labyrinthus, meatus auditorius internus, una cum omnibus, hisce partibus inclusis.

#### A.

In *aure externa* inprimis notentur *facies* duæ, anterior, & posterior; convexa hæc est, illa  
emi-

eminentiis, cavisque inæqualis multis, nunc expouendis :

1. *Helix* audit margo reflexus magnus, oram peripheriæ externæ auris exhibens.

2. *Anthelix* eminentia est crassa, oblonga, illico ante helicem sita, in parte antica bifariam quasi divisa, interjecta est excavatio, quæ

3. *Scapba*, seu *fossa navicularis* audit.

4. *Tragus* dicitur eminentia exigua anterior, sita in fine antico helicis, in senibus obsita pilis.

5. *Antitragus* eminentia est, in anthelicis parte inferiori, è regione tragi posita.

6. *Concham externam* adpellant cavum illud duplex, quod sub anthelice locatur, & processu helicis, transversim posito, in cavitatem superiorem, & inferiorem dirimitur.

7. *Foramen auditorium* dicitur initium meatus auditorii, enatum ab inferiori cavitate conchæ.

8. *Meatus auditorius externus* canalis est longitudinalis, angustior, oriens à foramine auditorio, finitus ad membranam tympani; partim cartilagineus est, partim osseus.

9. *Lobulus* pars est inferior, mollis, dependens, cum trago, & concha membranarum ope connexus.

Facies auris postica maximam partem eminentia est, à convexitate conchæ formata. Superior ejus pars parum solummodo est excavata, eaque excavatio à concavitate oritur helicis.

Circa structuram harum partium notandum est :

a. Eminentias, & excavationes potissimum formari à cartilaginibus.

b. Aurem externam binis ligamentis (*anteriori*, & *posteriori*) adfigi capiti.

- a. *Ligamentum anterius* extremo uno radici processus zygomatici ossis temporum, altero lateri anteriori meatus auditorii adhæret.
- b. *Ligamentum posterius* extremitate hac nectitur basi processus mastoidei, illa parti posticæ conchæ.
- c. Aurē ope muscūlorum quorūdam esse mobilem.
- d. Integumenta partium auris externæ omnium ab integumentis oris faciei universæ.
- e. Cutim vestientem facies ambas auris magnam continere copiam glandularum parvarum sebacearum, humorem subviscidum secernentium.
- f. Tunicam meatus auditorii instructam esse glandulis aliis exiguis flavicantibus, *glandula ceruminosa* dictis, *cerumen aurium* secernentibus. Interna superficies tunicæ meatus hujus pilis obsessa est, inter quos orificia patent ductuum glandularum ceruminosarum.
- g. Arterias auris externæ ramos esse arteriæ carotidis; venas sanguinem suum effundere in venam jugularem.
- h. Nervos venire a portione dura nervi auditorii, tum & à pari cervicali secundo.
- i. Usū auris externæ esse: ut ornet caput; ut radios sonoros in partem hanc in lapsos concha excipiat, sibi magis unitos, hincque concentratos quasi meatui tradat auditorio, quo demum ferire queant membranam tympani.

## B.

In aure interna considerentur partes circa cavitatem tympani, & labyrinthi, inque partibus his  
 ipsis



Ipsis dispositæ ; quibus demum adnumerandus est canalis nervi auditorii. Antequam partium harum descriptionem adgrediar, *membranam* prius considerabo *tympani*, seu *tympanum*.

